ARCANA COELESTIA

QUAE IN

SCRIPTURA SACRA

SEU

VERBO DOMINI

SUNT, DETECTA:

HIC QUAE IN

GENESI.

UNA CUM MIRABILIBUS

QUAE VISA SUNT

IN MUNDO SPIRITUUM ET IN COELO ANGELORUM.

OPUS

EMANUELIS SWEDENBORG.

AD FIDEM EDIT. PRINCIP. 1749 ss. LONDINI EXCUSAE
DENUO CASTIGATIUS EDIDIT

D: JO. FR. IM. TAFEL.

PARS SECUNDA,
SEU TOTIUS OPERIS VOL. III.

PROSTAT
TUBINGAE
IN BIBLIOPOLIO ZU - GUTTENBERG.
1835.



PARS SECUNDA.

LIBRI GENESEOS

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

1886. In hoc Capite de Hagare et Ismaële agitur; sed quid per Hagarem et Ismaëlem repraesentatur et significatur in Sensu Interno, nemini adhuc notum est; nec notum esse potuit, quia huc usque putavit Orbis, etiam Eruditus, quod Historica Verbi non sint nisi historica, et nihil penitius involvant; et tametsi dixerunt, quod unaquaevis jota divinitus inspirata sit, usque per id nihil aliud intellexerunt, quam quod detecta sint, et quod aliquod dogmaticum applicabile ad doctrinam fidei inde possit deduci, et usui esse docentibus et discentibus, et quod ideo quia divinitus inspirata, vim Divinam habeant in mentibus, et prae omni alio historico operentur bonum. Sed historica in se spectata parum faciunt ad emendationem hominis, nec quicquam ad vitam aeternam, nam in altera vita historica oblivioni dantur; quid enim ibi inde, si scirent de Hagare ancilla, quod data Abramo a Sarai, si de Ismaële, imo si scirent de Abramo; nihil praeter quae sunt Domini, et quae a Domino, necessaria sunt animabus, ut intrent in Coelum, et fruantur gaudio, hoc est, vita aeterna; propter haec est Verbum, et haec sunt quae in interioribus illius continentur.

1887. Inspiratio involvit, quod in singulis Verbi, tam in illius Historicis, quam in reliquis, sint coelestia quae amoris

seu boni, et spiritualia quae sunt fidei seu veri, ita Divina: quod enim a Domino inspiratur, hoc descendit ab Ipso, et quidem per Coelum Angelicum, et sic per Mundum Spirituum, usque ad Hominem, apud quem sistitur quale est in litera; sed prorsus aliter est in prima sua origine; in Coelo nusquam est aliquod, historicum mundanum, sed omne est repraesentativum Divinorum, nec quicquam aliud ibi percipitur; ut quoque notum potest esse ex eo, quod ineffabilia sint, quae ibi; quare nisi Historica sint Repraesentativa Divinorum, et sic coelestia, nusquam possunt esse divinitus inspirata: quale est Verbum in Coelis, hoc noscitur solum ex Sensu Interno, nam *Sensus Internus est Verbum Domini in Coelis.*

1888. Quod Sensus literae Verbi sit repraesentativus arcanorum Divinorum, et quod sit receptaculum et sic reconditorium coelestium et spiritualium Domini, illustrare licet binis exemplis; uno quod per Davidem non intelligatur David sed Dominus; altero, quod Nomina nihil aliud significent quam res; consequenter reliqua. De Davide ita dicitur apud Ezechielem, „*Servus meus David Rex super eos, et Pastor unus erit omni-* „*bus illis: habitabunt super terra illi, et filii illorum, et filii* „*filiorum illorum usque in aeternum; et David servus meus* „*Princeps illis in aeternum,*" XXXVII. 24, 25. Et apud Hoscheam, „*Revertentur filii Israëlis, et quaerent Jehovam Deum* „*suum, et Davidem Regem suum,*" III. 5. haec a Prophetis illis scripta sunt post Davidis tempus, et tamen aperte dicitur, quod is erit Rex et Princeps illorum, ex quibus unicuique constare potest, quod per Davidem in sensu interno intelligatur Dominus; ita in caeteris locis, etiam in historicis, ubi David nominatur. Quod Nomina Regnorum, Regionum, Urbium, Virorum, significant res, constare potest evidenter apud Prophetas; pro exemplo sit solum hoc apud Esaiam, „*Sic dixit* „*Dominus, Jehovih Zebaoth, ne timeas popule mi, habitator* „*Zionis, ab Aschure; virga percutiet te, et baculum tollet su-* „*per te in via Aegypti: excitabit super eum, Jehovah Zeba-* „*oth flagellum, juxta plagam Midianis, in petra Horeb, et* „*baculum suum super mari, et tollet eum in via Aegypti: ve-* „*niet contra Ajath; transibit in Migronem; ad Michmasch* [3] „*mandabit armis suis; transibit Mabaram; Gibea diversorium*

„ *nobis; trepidabit Chormah; Gibea Schaulis fugiet; intona* „ *voce tua filia Gallim; ausculta Lajisch; misera Anathoth;* „ *vagabitur Madmena; habitatores Gebim congregabunt se;* „ *adhuc dies est in Nob ad consistendum; agitabit manum* „ *suam mons filiae Zionis, collis Hierosolymae. Succidet imple-* „ *xa sylvae ferro; et Libanus per Magnificum cadet,* " X. 24, 26 ad 34. Hic sunt paene mera nomina, ex quibus non aliquis sensus prodiret, nisi nomina singula significarent res; sique nominibus istis inhaereret mens, nusquam agnosceretur quod Verbum Domini foret: sed quis credet, quod omnia illa in sensu interno contineant arcana Coeli, et quod per illa describatur status eorum, qui per ratiocinia ex scientificis intrare conantur in mysteria fidei, et quod per unumquodvis nomen aliquid speciale illius status describatur; tum quod ratiocinia illa discutiantur per coelestia amoris et spiritualia fidei, a Domino: quod per Aschurem significetur Ratiocinatio, de qua hic agitur, constare manifeste potest ab illis, quae de Aschure ostensa sunt, n: **119. 1186**: et quod per Aegyptum Scientifica, ab illis quae n: **1164, 1165, 1462**, quae videantur et examinentur, annon ita se habeat; similiter se habet cum caeteris nominibus; et similiter cum singulis vocibus.

1889. Similiter se habet in hoc Capite cum nominibus Abrami, Sarai, Hagaris et Ismaëlis; quae autem illa involvunt, constare potest a Contentis, dein ab explicatione singulorum in sequentibus; sed talia sunt, quae non facile ad captum explicari possunt, agitur enim sub illis de Rationali Domini, quomodo illud conceptum et natum, et quale fuit, antequam unitum Domini Interno, quod erat Jehovah: quod non facile ad captum explicabile sit, causa est, quia hodie non scitur, quid Internus Homo, quid Interior, et quid Exterior; cum dicitur Rationale, aut Rationalis Homo, tunc aliqua idea habetur, at cum dicitur quod Rationale sit medium inter Internum et Externum, hoc pauci si ulli capiunt: sed usque quia in sensu interno hic agitur de Rationali Homine apud Dominum, quomodo conceptus et natus ab Interni Hominis influxu in Externum, et haec sunt quae Historica de Abramo, Hagare et Ismaële involvunt, ne prorsus peregrina obveniant, quae in explicatione sequuntur, sciendum, quod apud unumquemvis Hominem sit Internus Ho-

mo, sit Rationalis qui medius, et sit Externus; et quod hi inter se distinctissimi sint; de quibus videantur quae prius dicta n: 978.

CAPUT XVI.

1. Et Sarai uxor Abrami non peperit illi; et ei ancilla Aegyptia, et nomen ejus Hagar.

2. Et dixit Sarai ad Abram, ecce quaeso conclusit me Jehovah a pariendo, ingredere quaeso ad ancillam meam, forte aedificabor ab ea; et auscultavit Abram voci Sarai.

3. Et accepit Sarai uxor Abrami Hagarem Aegyptiam ancillam suam, a fine decem annorum ab habitando Abram in terra Canaan, et dedit eam Abramo viro suo, illi in mulierem.

4. Et ingressus ad Hagarem, et concepit, et vidit quod conceperit, et vilis fuit Domina ejus in oculis ejus.

5. Et dixit Sarai ad Abram, injuria mea super te, ego dedi ancillam meam in sinum tuum, et vidit quod concepit, et vilis sum in oculis ejus, judicet Jehovah inter me et inter te.

6. Et dixit Abram ad Sarai, ecce ancilla tua in manu tua, fac ei quod bonum in oculis tuis; et humiliavit eam Sarai, et fugit a facie ejus.

7. Et invenit eam Angelus Jehovae ad fontem aquarum in deserto, ad fontem in via Schur.

8. Et dixit, Hagar ancilla Sarai, unde venis, et quo vadis; et dixit, a facie Sarai Dominae meae ego fugio.

9. Et dixit ei Angelus Jehovae, revertere ad Dominam tuam, et humilia te sub manibus illius.

10. Et dixit ei Angelus Jehovae, multiplicando multiplicabo semen tuum, et non numerabitur prae multitudine.

11. Et dixit ei Angelus Jehovae, ecce tu gravida, et paries filium, et appellabis nomen ejus Iischmaël, quia audivit Jehovah ad afflictionem tuam.

12. Et is erit onager homo, manus ejus in omnes, et manus omnium in eum, et contra facies omnium fratrum suorum habitabit.

13. Et vocavit nomen JEHOVAE loquentis ad se, Tu DEUS videns me, quia dixit, num etiam hic vidi post videntem me.

14. Propterea vocavit fontem, fons Vivo videnti me, ecce inter Kadesch et inter Bared.

15. Et peperit Hagar Abramo filium, et vocavit Abram nomen filii sui, quem peperit Hagar, Iischmaël.

16. Et Abram filius octoginta annorum et sex annorum, in pariendo Hagar Iischmaëlem Abramo.

CONTENTA.

1890. AGITUR in hoc Capite de primo Rationali apud Dominum, quod conceptum ab Interni Hominis influxu in affectionem scientiarum Externi: Internus Homo est Abram; affectio scientiarum Externi est ancilla Aegyptia Hagar; Rationale inde est Iischmaël; quod quale fuit describitur, et dein Cap. XXI. quod expulsum domo, postquam Divinum Rationale Domini, repraesentatum per Isacum, natum est.

1891. Quod Domini Rationale primum juxta ordinem conceptum sit per influxum, seu conjunctionem Interni Hominis cum vita affectionis scientiarum, quae Externi, vers. 1, 2, 3. Sed quia ab Externo homine, natura ejus talis fuit, quod vilipenderet verum intellectuale, vers. 4. Quare cogitavit Dominus de illo subjugando, vers. 5, 6, 7, 8, 9. Et quando subjugatum, quod Spirituale et coeleste fieret, vers. 10, 11. Describitur quale foret, si non subjugatum, vers. 12. Intuitio Domini ab Interiori suo Homine in causam, vers. 13, 14. Describitur sic Rationale quoad ejus quale; tum status Domini, cum ortum, vers. 15, 16.

SENSUS INTERNUS.

1892. Vers. 1. *Et Sarai uxor Abrami non peperit illi, et ei Ancilla Aegyptia, et nomen ejus Hagar.* Sarai uxor Abrami non peperit illi, significat quod nondum Rationalis homo; Sarai est Verum adjunctum bono; Abram est Internus Ho-

mo Domini qui Jehovah: et ei ancilla Aegyptia, significat affectionem scientiarum: et nomen ejus Hagar, significat vitam hominis exterioris seu naturalis.

1893. Quod Sarai uxor Abrami non peperit illi, significet quod nondum rationalis homo, constabit a sequentibus, ubi de Isaco: sunt enim, ut dictum, apud unumquemvis hominem, Internus homo, Rationalis, homo qui medius, et Externus qui proprie Naturalis homo dicitur; hi repraesentati sunt apud Dominum per Abrahamum, Isacum, et Jacobum, Internus homo per Abrahamum, Rationalis per Isacum, et Naturalis per Jacobum: Internus Homo apud Dominum fuit Ipse Jehovah, nam conceptus est a Jehovah, quare Ipsum Patrem suum toties nominavit, et in Verbo dictus Unigenitus Dei, et solus Filius Dei. Rationalis homo non connascitur, sed solum facultas, ut homo fieri possit rationalis, ut cuique constare potest ex eo, quod infantes recens nati nulla ratione sint praediti, sed quod rationales fiant successu temporis mediis sensualibus externis et internis, sicut imbuuntur scientiis et cognitionibus: apud pueros quidem apparet Rationale, sed usque non est rationale, solum quoddam ejus initiamentum, quod noscitur ex eo quod Ratio sit apud adultos et senes. De Rationali homine apud Dominum in hoc Capite agitur; ipsum Rationale Divinum repraesentatur per Isacum, sed Rationale primum, antequam factum est Divinum, per Ismaëlem, quare hic per quod Sarai uxor Abrami non peperit ei, significatur quod adhuc, non Rationale Divinum: Dominus, sicut prius dictum, natus fuit sicut alius homo, et quoad illa quae traxit a Maria matre fuit sicut alius homo, et quia Rationale formatur per scientifica et cognitiones, quae per sensualia externa seu externi hominis intrant, inde Rationale Ipsius primum natum est sicut apud alium hominem, sed quia omnia quae humana erant apud se propria potentia faceret Divina, ita quoque Rationale: Rationale Ipsius primum describitur in hoc Capite, tum quoque in Cap. XXI, ubi etiam de Hagare et Ismaële a vers. 9 ad 21 [4] agitur, quod nempe hic expulsus sit, cum adolevit Isacus, per quem repraesentatur Rationale Divinum.

1894. Quod Sarai sit verum adjunctum bono, dictum et ostensum est prius n: 1468 et alibi; pariter quod Abram sit

Internus Homo Domini, qui Jehovah. Quod Internus Homo Domini, qui Jehovah, dicatur Homo, causa est, quod nemo sit homo, quam solus Jehovah, nam Homo significat in suo genuino sensu illud Esse ex quo Homo; ipsum Esse, ex quo Homo, est Divinum, proinde Coeleste et spirituale, absque Divino Coelesti et Spirituali nihil est humanum apud hominem, sed est animale quoddam, quale apud bestias: ex Jehovae seu Domini Esse habet omnis homo quod sit homo, inde etiam appellatur homo; Coeleste, quod hominem facit, est ut amet Dominum, et amet proximum, sic est homo, quia imago Domini, et quia illud habet a Domino; alioquin est fera: quod Jehovah seu Dominus sit solus Homo, et quod ab Ipso habeant homines quod dicantur homines, tum quod unus sit magis homo quam alter, videatur n: 49. 288. 477. 565; et praeterea constare potest ex eo, quod Jehovah, seu Dominus apparuerit Antiquissimae Ecclesiae patribus ut Homo, postea etiam Abrahamo, ut et Prophetis; quare etiam dignatus est Dominus, postquam nullus amplius homo in terra, seu nihil coeleste et spirituale amplius apud hominem, assumere naturam humanam per id quod natus sicut alius homo, et illam facere Divinam, sic etiam solus Homo: praeterea universum Coelum refert coram Domino imaginem hominis, quia Ipsum, inde Coelum Maximus Homo appellatur, ex eo imprimis, quia Dominus ibi est omne in omnibus.

1895. Et ei ancilla Aegyptia, quod significet affectionem scientiarum, constat ex significatione Ancillae, et ex significatione Aegypti. Sarai, quae hera seu domina, repraesentat et significaverum adjunctum bono, ut prius dictum; Verum adjunctum bono est verum intellectuale in genuino sensu; Verum autem rationale est infra illud, ita inferius, hoc nascitur a scientiis et cognitionibus vivificatis per affectionem eis correspondentem, quae affectio, quia est exterioris hominis, servire debet Vero Intellect tuali quod est apud Intimum, sicut ancilla herae aut famula dominae, quare illa affectio est quae repraesentatur et significatur per ancillam Hagarem: haec quomodo se habent, non ita ad captum dici potest, prius enim sciendum est, quid Verum Intellectuale in genuino sensu, tum quomodo nascitur rationale, quod nempe ab Interno homine ut patre, et ab Exteriori seu Naturali ut

matre, absque conjunctione utriusque nusquam aliquid rationale existit: Rationale non nascitur a scientiis et cognitionibus, ut putatur, sed ab affectione scientiarum et cognitionum, ut constare solum potest ex eo, quod nusquam aliquis rationalis possit fieri, nisi aliquod jucundum seu affectio scientiarum et cognitionum aspiret; affectio est ipsa vita materna, et ipsum coeleste et spirituale in affectione est vita paterna, inde quantum affectionis, et qualis affectio, tantum rationalis, et taliter rationalis, fit homo; scientifica et cognitiones in se non sunt nisi res mortuae seu causae instrumentales, quae per vitam affectionis vivificantur; haec est conceptio Rationalis hominis apud unumquemvis. Quod fuerit ancilla Aegyptia, et hoc dicatur, causa est, quia Aegyptus significat scientias, ut ostensum prius n: 1164. 1165. 1186. 1462.

1896. Nomen ejus Hagar, quod significet vitam hominis exterioris seu naturalis, constare potest ab illis quae dicta sunt, tam a significatione Hagaris, quod sit peregrina seu peregrinans; peregrini repraesentabant eos, qui instruerentur, et peregrinatio instructionem, tum vitae [5] instituta, ut ostensum prius n: 1463. Cum in Verbo dicitur, quod nomen ejus est, ut hic quod nomen ejus Hagar, significat quod nomen aliquod involvat quod observandum, nam nomine vocare est nosse qualis est, ut ostensum prius, n: 144. 145. 340: ne quidem vocula in Verbo est absque causa, et absque significatione rei alicujus in sensu interno.

1897. Vers: 2. *Et dixit Sarai ad Abram, ecce quaeso conclusit me Jehovah a pariendo, ingredere quaeso ad ancillam meam, forte aedificabor ab ea, et auscultavit Abram voci Sarai.* Dixit Sarai ad Abram, significat quod ita perceptum, ecce quaeso conclusit me Jehovah a pariendo, significat statum antequam Interior seu Divinus rationalis homo natus: ingredere quaeso ad ancillam meam, significat conjunctionem cum exteriori: forte aedificabor ab ea, significat sic nasci posse rationale: et auscultavit Abram voci Sarai, significat non aliter fieri potuisse.

1898. Quod dixit Sarai ad Abram, significet quod ita perceptum, constat ex significatione Sarai et Abrami, quod nempe Sarai sit Verum adjunctum Bono, et Abram Internus Ho-

mo; quare quod a Sarai Abramo dictum, in sensu interno non aliquam colloquutionem significare potest, sed perceptionem: perceptio Domini tunc fuit a Vero adjuncto Bono, quod Ipsi dictabat, quomodo se res haberet: simile quoddam est apud hominem coelestem, qui perceptionem accipit, est quoddam Verum adjunctum Bono quod dictat, postea est Bonum, ex quo seu per quod percipitur verum. Quod dicere in sensu interno significet percipere, videatur n: 1791. 1815. 1819. 1822.

1899. Ecce quaeso conclusit me Jehovah a pariendo, quod significet statum antequam Interior seu Divinus Rationalis Homo natus, constat ab illis quae prius de conceptione et nativitate Rationalis hominis dicta sunt, nempe quod Divinus Rationalis Homo Domini repraesentetur per Isacum, sed Rationalis homo primus, qui fieret Divinus, per Ismaëlem; haec ut repraesentarentur, tamdiu mansit Sarai sterilis, usque dum Ismaël puer factus, de quo in Cap: XXI; quare hic dicitur, quod Jehovah concluserit illam a pariendo.

1900. Ingredere quaeso ad ancillam meam, quod significet conjunctionem cum exteriori, constat quoque ab illis quae prius dicta, quod nempe Rationale hominis concipiatur et gignatur ab Interno homine ut patre, et ab Exteriore ut matre; ipsa vita hominis est ab Interno homine, qui non communicationem habere potest cum Externo, nisi obscurissimam, priusquam formata sunt vasa recipientia, quae sunt memoriae, quod fit per cognitiones et scientias; influxus Interni hominis est in cognitiones et scientifica Exterioris, media affectione; antequam haec sunt, interea quidem est communicatio, sed per solas affectiones, per quas regitur Externus, inde modo communissimi motus, et quidam appetitus, tum quaedam caecae inclinationes, quales apparent apud infantes: sed vita haec fit per gradus distinctior, sicut formantur vasa memoriae per cognitiones, et vasa interioris memoriae per rationalia; sicuti haec vasa formantur, et in serie disponuntur, et quidem in tali, ut se mutuo spectent respective sicut consanguinitates et affinitates, seu sicut societates et familiae, ita perficitur correspondentia Externi hominis cum Interno; et adhuc melius per rationalia, quae intermedia sunt; sed usque non congruenter, nisi cognitiones, per quas illa formantur, sint veritates; Interni enim hominis

coelestia et spiritualia non correspondentiam sibi inveniunt, nisi in veritatibus; hae in organicis utriusque memoriae formis, sunt genuina vasa, quibus coelestia amoris et spiritualia fidei possunt inaptari: tunc enim disponuntur a Domino secundum ideam et imaginem Societatum Coeli seu Regni Ipsius, adeo ut fiat homo in exigua forma Coelum seu Regnum Domini, ut quoque mentes illorum qui in coelestibus amoris et spiritualibus fidei sunt, in Verbo appellantur: sed haec dicta sunt illis, qui profundius cogitare amant.

1901. Et forte aedificabor ab ea, quod significet sic nasci posse rationale, constare potest a significatione aedificari, cum praedicatur de generatione, ita absque explicatione. Per Sarai, ut dictum, significatur Verum Intellectuale quod sicut uxor adjunctum est Bono: Verum intellectuale, quod est apud intimum, est prorsus orbum, aut sicut improlis mater, quando nondum aliquod Rationale est, in quod et per quod influat, nam absque Rationali medio non potest influere cum aliquo vero in exteriorem hominem; ut constare potest ab infantibus, hi ne hilum veri scire possunt, priusquam cognitionibus imbuti sunt, at quo melius et perfectius, ut dictum, imbuuntur cognitionibus, eo melius et perfectius potest Verum intellectuale, quod apud intimum est seu apud bonum, communicari: hoc Verum intellectuale per Sarai repraesentatum est ipsum Spirituale, quod per Coelum influit, et sic per viam internam, et hoc apud unumquemvis hominem, et jugiter obviam venit cognitionibus, quae insinuantur per sensualia, et implantantur memoriae, quod homo nescit, quia purius est, quam ut communi idea possit percipi; est sicut Lux quaedam quae illuminat, et dat facultatem sciendi, cogitandi et intelligendi. Rationale, quia non existere potest nisi etiam per influxum Veri intellectualis per Sarai repraesentati, non aliter se habet ac filius ejus, quando Rationale formatur ex veris quae adjuncta sunt bonis, et magis cum ex bonis a quibus vera, tunc est filius genuinus, antea quoque agnoscitur ut filius, at non ut genuinus, sed ex ancilla, usque tamen adoptatur, quae causa est, quod hic dicatur, quod aedificaretur ab ea.

1902. Et auscultavit Abram voci Sarai, quod significet non aliter fieri potuisse, constare potest a serie rerum in sensu in-

terno, et ex necessitate quod Rationale apud hominem non aliter nasci possit. Si homo nullo haereditario malo imbutus esset, tunc nasceretur Rationale immediate ex conjugio coelestium Interni hominis cum spiritualibus ejus, et per Rationale nasceretur Scientificum, sic ut homo omne Rationale et omne Scientificum, illico dum venit in mundum, secum haberet; hoc enim foret secundum ordinem influxus; quod concludi potest ex eo, quod omnia animalia, quaecunque sunt, nascantur in omne scientificum, quod illis ad victum eorum, tutelam, habitationem, et procreationem, necessarium est et conducit, quia eorum natura est secundum ordinem; quid non homo, nisi apud eum ordo foret destructus, nam solus in nullam scientiam nascitur: quod facit ut ita nascatur, est malum haereditarium a patre et matre, inde omnes ejus facultates sunt in contrario versu respective ad vera et bona, quae in formas correspondentes redigi nequeunt per influxum immediatum coelestium et spiritualium a Domino; quae causa est, quod alio prorsus modo, seu alia via, formandum sit Rationale hominis, nempe per scientifica et cognitiones insinuata per sensus, ita influentia per viam externam, sic ordine inverso; homo sic miraculose a Domino rationalis fit; hoc intelligitur per ingredi ad ancillam, quo significatur conjunctio Interni hominis cum Exteriori; et per quod Abram auscultavit voci Sarai, quo significatur quod non aliter fieri potuisset. Dominus, quia natus sicut alius homo, et a matre haereditarium habuit, similis alii homini in hoc fuit, ob causam ut per pugnas tentationum et victorias redigeret omnia in ordinem; ideo etiam Rationale Ipsius similiter conceptum et natum fuit ac apud alium hominem, cum differentia, quod Divinum seu Jehovah fuit in omnibus et singulis Ipsius intime, ita vita amoris erga universum genus humanum, pro quo et cujus salvatione, in omnibus suis tentationibus pugnavit.

1903. Vers: 3. *Et accepit Sarai uxor Abrami Hagarem Aegyptiam ancillam suam, a fine decem annorum ab habitando Abram in terra Canaan, et dedit eam Abramo viro suo illi in mulierem.* Accepit Sarai uxor Abrami, significat affectionem veri, quae in genuino sensu est Sarai uxor: Hagarem Aegyptiam ancillam suam, significat vitam hominis exterioris et affectionem scientiarum: a fine decem annorum ab habitando

Abram in terra Canaan, significat reliquias boni et inde veri, quas sibi comparavit Dominus, per quas conceptum rationale illud: et dedit eam Abramo viro suo illi in mulierem, significat conjunctionem incitante affectione veri.

1904. Accepit Sarai uxor Abrami, quod significet affectionem veri, quae in genuino sensu Sarai uxor, constat a significatione Sarai, quod sit Verum adjunctum bono, et ex significatione uxoris, quod sit affectio, de qua prius n: 915. 1468. Sunt binae affectiones inter se distinctae, affectio boni, et affectio veri; cum regeneratur homo, tunc affectio veri praecedit, nam afficitur vero propter bonum; cum autem regeneratus est, praecedit affectio boni, et ex bono afficitur vero; affectio boni est voluntatis, affectio veri est intellectus: antiquissimi inter binas affectiones instituerunt quasi conjugium, Bonum seu amorem boni appellarunt hominem ut maritum, Verum seu amorem veri appellarunt hominem ut uxorem; comparatio boni et veri cum conjugio, ducit originem a Conjugio coelesti. Bonum et Verum in se spectata nullius vitae sunt, sed ab amore seu ab affectione trahunt vitam, sunt modo instrumentalia vitae, quare qualis amor afficiens bonum et verum, talis est vita, nam omne vitae est amoris seu affectionis; inde est quod Sarai uxor in genuino sensu significet affectionem veri, et hic quia intellectuale desiderabat rationale, ut prolem, et quia desiderii seu affectionis est quae loquitur, ideo in hoc Versu expresse dicitur, „Sarai uxor Abrami dedit Abramo viro," quae non opus fuisset iterum dicere, in se enim superflua forent, nisi talia in sensu interno involverent. Verum intellectuale distinguitur a Vero rationali, et hoc a Vero scientifico, sicut Internum, Medium et Externum; Verum intellectuale est internum, Verum rationale est medium, Verum scientificum est externum; haec inter se distinctissima sunt, quia unum est altero interius; apud hominem quemcunque, Verum intellectuale, quod est internum seu apud intimum ejus, non est hominis, sed est Domini apud hominem, inde Dominus influit in Rationale, ubi primum Verum apparet sicut hominis, et per rationale in scientificum; ex quibus constat, quod homo nusquam cogitare possit sicut a se ex Vero intellectuali, sed ex Vero rationali et scientifico, quia haec apparent sicut ejus; Solus Dominus ex Vero intellectuali,

cum vixit in mundo, cogitavit, quia illud erat Divinum Ipsius conjunctum Bono, seu Divinum Spirituale conjunctum Divino coelesti; in hoc distinctus fuit Dominus ab omni alio homine; ex Divino cogitare ut a se Ipso, nusquam est hominis, nec dabile in homine, solum in Illo, qui conceptus fuit a Jehovah; quia ex Vero intellectuali, hoc est, ex amore seu affectione Veri intellectualis, cogitavit, etiam ex illo desideravit Rationale, inde est, quod hic dicatur, quod Sarai uxor Abrami, per quam intelligitur affectio veri intellectualis, acceperit Hagarem Aegyptiam, et dederit eam Abramo viro suo illi in uxorem: reliqua arcana, quae hic sunt, ad captum evolvi et explicari nequeunt, quia homo in obscurissimo est, imo in nulla idea, de Internis suis; in Scientifico enim ponit et Rationale et Intellectuale, nec novit quod distincta sint, et quidem ita distincta, ut Intellectuale dari queat absque rationali, ut et inde Rationale absque scientifico, quod ut paradoxon non potest non videri illis, qui in scientificis sunt, sed usque est veritas; non autem dari potest, quod aliquis in Vero scientifico sit, nempe in ejus affectione et fide, nisi sit in Vero rationali, in quod et per quod influat Dominus ab Intellectuali; haec arcana homini non patent nisi in altera vita.

1905. Hagarem Aegyptiam ancillam suam, quod significet vitam hominis exterioris, et affectionem scientiarum, constat ex significatione Hagaris, de qua supra n: **1895. 1896**; et a significatione Aegyptiae, tum ancillae, de qua etiam ibi.

1906. A fine decem annorum ab habitando Abram in terra Canaan, quod significet reliquias boni et inde veri, quas sibi comparavit Dominus, per quas conceptum rationale illud, constat ex significatione decem, quod sint Reliquiae, de qua prius n: **576**; quid Reliquiae, dictum et ostensum est, n: **468. 530. 560. 561. 660. 661. 798. 1050**, quod nempe sint omnes status affectionis boni et veri, quibus donatur homo a Domino a prima infantia usque ad finem vitae, qui status reconduntur illi in usum vitae ejus post mortem, nam omnes ejus vitae status in altera vita successive redeunt, et tunc temperantur ii per status boni et veri, quibus a Domino donatus est; quo itaque plus Reliquiarum in vita corporis accepit, seu plus boni et veri, eo jucundiores et pulchriores apparent status ejus caeteri, cum re-

deunt: quod ita se res habeat, unicuique constare potest, si expendat; homo dum nascitur, ne hilum boni ex se ipso habet, sed totus quantus malo haereditario conspurcatus est, at omne bonum influit, ut quod amet parentes, nutrices, similes sui, et hoc ex innocentia, haec sunt quae a Domino per Coelum innocentiae et pacis, quod intimum est, influunt, et sic homo, dum infans est, illis imbuitur; postea, cum adolescit, paullatim bonum, innocens, et pacificum hoc infantile recedit; et quantum in mundum introducitur, tantum in voluptates inde, et in cupiditates, ita in mala, et tantum aetatis infantilis coelestia seu bona disparari incipiunt, sed usque remanent, et per eos temperantur status, quos postea homo induit et sibi acquirit; absque illis nusquam homo potest esse homo; status enim cupiditatum seu mali absque temperatura per status affectionis boni, forent atrociores quam ullius animalis; status illi boni sunt qui appellantur Reliquiae, a Domino donatae, et ejus indoli implantatae, et hoc cum homo nescit: in sequente aetate etiam novis donatur, sed ii status non ita sunt boni sed veri, nam cum adolescit imbuitur veris, et similiter apud eum in Interiori ejus homine reconduntur; per has Reliquias, quae sunt Veri, natas ex influxu spiritualium a Domino, homo habet, quod cogitare possit, ut et intelligere quid bonum et verum vitae civilis et moralis, tum etiam recipere verum spirituale seu fidei, sed hoc nequit [6] nisiper Reliquias boni, quas in infantia accepit: quod Reliquiae sint, et quod eae recondantur homini in ejus interiori rationali, prorsus nescit homo, ex causa quia putat nihil influere, sed quod omne sit naturale quoddam, ei connatum, ita quod omne sit in se, cum infans, cum tamen prorsus aliter se res habeat: de Reliquiis passim agitur in Verbo, et per illas significantur status illi, per quos homo fit homo, et hoc a solo Domino. Reliquiae autem, quae apud Dominum, fuerunt omnes status Divini, quos sibi Ipsi comparavit, et per quos Humanam Essentiam univit Divinae, non comparandae sunt cum Reliquiis apud hominem, nam hae non sunt Divinae sed humanae: illae Reliquiae sunt, quae significantur per decem annos quibus Abram habitavit in terra Canaan: cum Angeli audiunt Verbum, non sciunt quid Decem, sed illico cum nominantur ab homine, obvenit illis idea Reliquiarum, nam per decem et decimas in

Verbo significantur Reliquiae, ut constat ab illis quae dicta et ostensa sunt n: 576. 1738; et cum percipiunt, quod fuerit a fine decem annorum, quo habitavit Abram in terra Canaan, obvenit idea Domini, et simul innumera quae significantur per Reliquias apud Dominum, cum fuit in mundo.

1907. Et dedit eam Abramo viro suo illi in mulierem, quod significet conjunctionem incitante affectione veri, constat ex illis quae supra dicta sunt de Sarai uxore Abrami, quod sit affectio veri in genuino sensu; et ex illis quae dicta sunt de conjunctione Interni hominis cum vita et affectione Exterioris, unde Rationale. Hagar non data est Abramo in uxorem, sed in mulierem, quod inde ducit causam, quia ex lege ordinis Divini est, quod non sit Conjugium, nisi unius viri et unius uxoris; amor conjugialis nusquam dividi potest, qui dividitur inter plures, non est amor conjugialis, sed est lasciviae, de qua re, ex Divina Domini Misericordia, in sequentibus.

1908. Vers: 4. *Et ingressus ad Hagarem, et concepit; et vidit quod conceperit, et vilis fuit Domina ejus in oculis ejus.* Ingressus ad Hagarem, significat conjunctionem Interni Hominis cum vita, quae est affectionis scientiarum: et concepit, significat primam vitam rationalis: et vidit quod conceperit, et vilis fuit Domina in oculis ejus, significat quod rationale hoc in conceptione sua vilipenderet ipsum verum adjunctum bono.

1909. Ingressus ad Hagarem, quod significet conjunctionem Interni Hominis cum vita quae est affectionis scientiarum, constat ex significatione Hagaris, quod sit vita hominis Exterioris seu naturalis, de qua supra ad Vers: 1; quae vita quod sit vita affectionis scientiarum, constat a significatione ancillae Aegyptiae, de qua etiam supra. Sunt plures affectiones Exterioris hominis, omnes suis usibus dicatae, sed prae omnibus illis praestat affectio cognitionum et scientiarum, cum pro fine habet, ut vere Rationalis fiat, nam sic pro fine habet bonum et verum. Ipsa vita Interni hominis influit in omnes affectiones hominis naturalis, sed ibi secundum fines variatur; cum in affectiones, quae pro fine habent mundum, vivificatur finis hic a vita illa, et fit vita mundana; cum in affectiones, quae pro fine habent semet, finis hic vivificatur a vita illa, et fit vita corporea, ita cum reli-

quis; inde est, quod cupiditates et phantasiae vivant, sed vitam contrariam affectioni boni et veri: vita influens non applicatur alii objecto quam fini, quia finis unicuique est ejus amor, et amor unice est qui vivit; caetera objecta sunt modo derivationes inde, quae vitam suam trahunt a fine: quisque videre potest, qualem vitam habet, modo exploret qualem finem; non quales fines, nam innumerabiles sunt, nempe quot intentiones, et fere quot cogitationum judicia et conclusa, sed haec sunt fines intermedii, qui a principali varie derivantur, vel ad illum tendunt, at exploret finem quem reliquis praefert, et cujus respectu reliqui sicut nihil sunt: si pro fine habet semet et mundum, sciat quod infernalis sit; si autem pro fine habet bonum proximi, bonum commune, Regnum Domini, imprimis Ipsum Dominum, sciat quod coelestis sit.

1910. Et concepit, quod significet primam vitam Rationalis, constat a significatione conceptionis, quod sit prima vita: quod Rationale attinet, hoc vitam suam, ut dictum, accipit a vita Interni hominis influente in vitam affectionis cognitionum et scientiarum Exterioris; vita affectionis cognitionum et scientiarum dat Rationali quasi corpus, seu induit vitam Interni hominis sicut corpus animam; cognitiones et scientiae non aliter se habent: idea seu instar animae et corporis est in singulis, quae apud hominem, in singulis ejus affectionis, et in singulis ejus cogitationis, nam nihil non, utcunque simplex apparet, est compositum, et existit a priori se.

1911. Et vidit quod conceperit, et vilis fuit Domina ejus in oculis ejus, quod significet quod Rationale hoc in conceptione sua vilipenderet ipsum verum adjunctum bono, constat a significatione Dominae seu Sarai, quod sit verum adjunctum bono: Rationale primum conceptum non potest agnoscere Verum intellectuale seu spirituale pro vero, quia adhaerent ei ex scientiis acceptis e mundo et natura plures fallaciae, et ex cognitionibus captis ex sensu literali Verbi apparentiae, quae non sunt vera: ut pro exemplo, Verum intellectuale est, quod omnis vita a Domino, Rationale primo conceptum id non capit, putat si non viveret ex se, nihil vitae haberet, imo indignatur si aliter dicitur, ut multoties apperceptum a spiritibus, qui fallaciis sensuum inhaerent. Verum intellectuale est, quod omne bonum et verum a

Domino, Rationale primo conceptum etiam hoc non capit, quia sentit quod quasi a se, tum putat si non bonum et verum a se, quod nihil boni et veri cogitare, minus facere possit, et si ab alio quod remitteret se, et continue exspectaret influxum. Verum intellectuale est, quod nihil nisi bonum a Domino, et quod ne hilum mali, Rationale primo conceptum nec hoc credit, putat quia Dominus omnia et singula regit, quod etiam malum ab Ipso, et quia omnipotens et omnipraesens et est ipsum Bonum, nec tollit punitiones malorum in inferno, quod malum poenae velit, cum tamen non alicui malum facit, nec aliquem puniri vult. Verum intellectuale est, quod coelestis homo perceptionem boni et veri habeat a Domino, primum rationale vel prorsus negat perceptionem, vel putat si perciperet ab alio et non a semet, quod foret sicut inanimatus seu nullius vitae: imo quo plus Rationale ex scientificis oriundis ex sensualibus, et quo plus ex philosophicis, cogitat, eo minus illa et reliqua vera intellectualia capit, nam fallaciae inde eo crassioribus umbris involvuntur, inde est quod docti minus quam alii credant. Cum Rationale primo conceptum tale est, constat, quod vilem habeat Dominam, hoc est, vilipendat verum intellectuale: Verum intellectuale non prius patet, hoc est, agnoscitur, quam cum fallaciae et apparentiae discussae sunt, quae nusquam discutiuntur, quamdiu homo ratiocinatur de ipsis veris ex sensualibus et scientificis, sed tunc primum cum simplici corde credit, quod verum sit, quia ita a Domino dictum, tunc discutiuntur fallaciarum umbrae, et apud eum tunc nihil facit quod non capiat. Apud Dominum autem nullae fuerunt fallaciae, sed cum primo Rationale Ipsius conceptum, apparentiae veri, quae non fuerunt vera in se, ut patet ab illis quae dicta sunt, n: 1661, inde etiam Rationale Ipsius in prima conceptione vilipendebat verum intellectuale, sed successive sicut Rationale Divinum factum, nubes apparentiarum discussae sunt, et Intellectualia Vera in sua luce Ipsi patuerunt, quod repraesentatum et significatum est per quod Ismael expulsus domo cum adolevit Isacus. Quod Dominus non vilipenderit Verum intellectuale, sed quod perceperit et viderit quod novum Ipsius Rationale vilipenderet, ex illis, quae sequuntur n: 1914, constabit.

1912. Vers: 5. *Et dixit Sarai ad Abram, injuria mea*

super te, ego dedi ancillam meam in sinum tuum, et vidit quod concepit, et vilis sum in oculis ejus, judicet Jehovah inter me et inter te. Dixit Sarai ad Abram, significat quod affectio veri ita perceperit: injuria mea super te, ego dedi ancillam meam in sinum tuum, significat quod illa non culpam in se accipere vellet: et vidit quod concepit, significat vitam primam Rationalis: et vilis sum in oculis ejus, significat, hic ut prius, quod Rationale hoc in conceptione sua vilipenderet ipsum verum adjunctum bono: judicet Jehovah inter me et inter te, significat indignationem Domini.

1913. Quod dixit Sarai ad Abram, significet quod affectio veri ita perciperet, constat ex significatione Sarai, quod sit affectio veri, n: 1904: et dicere, quod in sensu interno sit percipere, ut dictum supra n: 1898, ubi eadem verba.

1914. Quod injuria mea super te, ego dedi ancillam meam in sinum tuum, significet quod illa non culpam in se accipere vellet, constat absque explicatione: haec in sensu interno involvunt, quod Dominus perceperit hoc primum Rationale tale esse, ut vilipenderet verum intellectuale, quare illud redarguit; cogitavit enim Dominus ex Vero intellectuali, ut dictum supra n: 1904, quod quia supra rationale, percipere et videre potuit quale Rationale esset, nempe quod vile haberet Verum illud. Quod Dominus ab Interiori percipere et videre potuerit, quale esset novum rationale apud se, constare potest inde, quod Interius percipere queat quid existit in Exteriori, seu quod idem, quod superius possit videre quid in inferiori; sed non vicissim: etiam qui conscientiam habent, hoc possunt et solent facere, dum enim aliquid influit contra verum conscientiae in cogitationem aut in conatum voluntatis, non solum id appercipiunt, sed etiam incusant, imo indolet illis quod tales; magis qui perceptionem, nam perceptio est interior in Rationali; quid non Dominus, Qui habuit Perceptionem coelestem Divinam, et ex affectione Veri intellectualis, quod supra rationale est, Cogitationem; quare non potuit non quam indignari, sciens quod nihil mali et falsi ex Semet, et quod ex affectione Veri summa opera sollicitus fuerit ut rationale esset purum: inde constare potest, quod Dominus non vilipenderet Verum intellectuale, sed quod perceperit quod primum rationale apud illum, illud vilipenderet.

Quid sit cogitare ex Vero intellectuali, non explicari potest ad captum, et eo minus quia nemo ex illa affectione et ex illo Vero cogitavit quam Dominus; qui inde cogitat, is supra coelum angelicum, nam Angeli tertii Coeli non cogitant ex vero intellectuali, sed ex interiori Rationalis; at quantum Dominus univit Essentiam Humanam Divinae, cogitavit ex Ipso Divino Bono, hoc est, ex Jehovah: Antiquissimae Ecclesiae Patres, qui perceptionem habuerunt, cogitarunt ex interiori Rationali; Ecclesiae Antiquae Patres, qui non perceptionem sed conscientiam habuerunt, cogitarunt ex Rationali exteriori seu naturali; omnes autem, qui absque conscientia sunt, nusquam cogitant ex Rationali, nam non Rationale habent, tametsi apparet sicut haberent, sed cogitant ex naturali sensuali et corporeo; quod illi qui non conscientiam, non ex Rationali cogitare possint, causa est, ut dictum, quia rationale non habent, Rationalis homo est, qui cogitat bonum et verum fidei, nusquam qui contra illud, qui cogitant malum et falsum, insaniunt cogitatione, quare de illis nusquam Rationale praedicari potest.

1915. Et vidit quod concepit, quod significet vitam primam rationalis, constat a significatione conceptionis, quod sit vita prima, hic ut prius, n: 1910.

1916. Quod vilis sum in oculis ejus, significet quod rationale hoc in conceptione sua vilipenderet ipsum verum adjunctum bono, constat ab illis quae mox supra n: 1911. 1914, dicta sunt.

1917. Judicet Jehovah inter me et inter te, quod significet indignationem Domini, constat ab illis quae mox dicta sunt, ita absque explicatione. Quomodo haec porro se habent, idea non capi potest, nisi ab illis qui in tentationum pugnis fuerunt; in tentationibus sunt vastationes et desolationes, sunt desperationes, ac inde indolentiae et indignationes, praeter alios motus dolorificos interiores, et hoc varie et alternis secundum status mali et falsi, qui a malis geniis et spiritibus excitantur, et contra quos pugnatur; diabolici spiritus nihil plus cupiunt, quam invenire aliquod falsum, imo commune apud eos est inducere a se falsum, et simul tunc accusare; inde tanta Domini indignatio, in cujus primo Rationali nullum falsum, sed apparentia veri, quae in se non vera, de quibus prius n: 1661. 1911 ad fin.

1918. Vers: 6. *Et dixit Abram ad Sarai, ecce ancilla tua in manu tua, fac ei quod bonum in oculis tuis, et humiliavit eam Sarai; et fugit a facie illius.* Dixit Abram ad Sarai, significat perceptionem: ecce ancilla tua in manu tua, significat rationale hoc conceptum esse sub potestate veri adjuncti bono: fac ei quod bonum in oculis tuis, significat imperium: et humiliavit eam Sarai, significat subjugationem: et fugit a facie ejus, significat indignationem rationalis hujus primum concepti.

1919. Dixit Abram ad Sarai, quod significet perceptionem, constat ab illis quae supra n: 1898, dicta sunt: Perceptio Domini repraesentata fuit et hic significatur per id, quod Abram dixit ad Sarai, sed Cogitatio ex perceptione per id, quod Sarai dixit ad Abram; Perceptio erat ex qua Cogitatio; qui in Perceptione sunt, non aliunde cogitant; sed usque perceptio est aliud quam cogitatio; ut sciatur quod aliud, sit, ad illustrationem, Conscientia; Conscientia est quoddam dictamen commune, ita obscurum, illorum, quae influunt per Coelos a Domino, quae influunt, sistunt se in interiori rationali homine, et ibi sicut in nube, quae nubes est ex apparentiis et fallaciis de veris et bonis fidei; Cogitatio vero distincta est a Conscientia, sed fluit a Conscientia, nam qui conscientiam habent, secundum illam cogitant et loquuntur, estque cogitatio vix aliud quam explicatio illorum quae sunt Conscientiae, et sic illorum partitio in ideas, et dein in voces; inde est, quod, qui conscientiam habent, teneantur a Domino ut cogitent bene de proximo, atque detineantur a cogitando male; quare Conscientia nusquam dabilis est nisi apud illos qui amant proximum sicut semet, et bene cogitant de veris fidei: ex allatis constare potest, quae differentia est conscientiae et cogitationis, unde sciri potest quae differentia perceptionis et cogitationis. Perceptio Domini fuit immediate ex Jehovah, ita ex Divino Bono, Cogitatio autem ex Vero intellectuali et ejus affectione, ut supra n: 1904. 1914. dictum: Perceptio Divina Domini, non aliqua idea, ne quidem angelica, capi potest, ita nec describi; Perceptio Angelorum, de qua n: 1384 seq: 1394. 1395, vix aliquid est respective ad Perceptionem, quae fuit Domino; Perceptio Domini, quia Divina, fuit omnium quae in Coelis, et quia omnium quae in Coelis, fuit omnium quae in terris, ordo

enim est talis, nexus, et influxus, ut qui in illorum perceptione est, etiam in horum sit: at postquam Humana Domini Essentia unita facta Divinae Ipsius, et simul Jehovah, tunc Dominus supra illud, quod perceptio dicitur, fuit, quia supra ordinem qui in Coelis, et inde in terris; est Jehovah, a Quo ordo, inde dici potest quod Jehovah sit ipse Ordo, a se Ipso enim regit ordinem, non ut putatur, solum in universali, sed et in singularissimis; singularissima enim sunt ex quibus Universale, dicere universale et inde separare singularia, foret non aliud ac dicere totum in quo nullae partes, sic dicere aliquid in quo nihil; ita falsissimum, et sicut vocatur, ens rationis est, dicere, quod Providentia Domini sit universalis, et non singularissimorum, nam providere et regere in universali et non in singularissimis, est prorsus nihil providere et regere: hoc philosophice verum est, sed usque mirum, quod ipsi Philosophi etiam sublimiores aliter capiant et aliter cogitent.

1920. Ecce ancilla tua in manu tua, quod significet Rationale hoc conceptum esse sub potestate affectionis veri adjuncti bono, constat a significatione manus, quod sit potestas, de qua prius n: 878, et ex significatione Hagaris Aegyptiae, quod sit affectio scientiarum, de qua etiam prius: postquam Rationale per influxum Interni Hominis in vitam affectionis scientiarum Exterioris conceptum est, tunc per Ancillam etiam intelligitur tenerum illud Rationale quod in utero; quod autem, cum natum est et adolevit, repraesentatur per Ismaelem, de quo in sequentibus. Quod Domino fuerit potestas in Rationale quod apud Ipsum, et quod ex propria potentia subjugaverit illud, constabit ex mox dicendis.

1921. Fac ei quod bonum in oculis tuis, quod significet imperium, constat absque explicatione. In sensu Interno haec repraesentant et significant, quod Dominus ex propria potentia evicerit, subjugaverit, et expulerit malum, quod ex haereditario quoque se in primum hoc Rationale insinuavit, nam sicut dictum, Rationale conceptum fuit ab Interno Homine, qui fuit Jehovah, ut a patre, et natum ab Exteriori, ut a matre; quicquid ab Exteriori, hoc secum habuit haereditarium, ita quoque malum; hoc fuit quod Dominus propria potentia evicit, subjugavit, et expulit, et tandem Divinum fecit: quod ex pro-

pria potentia, ab omnibus et singulis, quae in hoc Versu, constat; ut „quod ancilla tua in manu tua," per quae significatur quod Rationale illud esset in potestate Ipsius; et nunc quod dicatur, „fac ei quod bonum in oculis tuis," quo significatur imperium super illud; et mox „humiliavit eam Sarai," quo significatur subjugatio. Haec dicta sunt ad Sarai, per quam repraesentatur Verum intellectuale, quod fuit Ipsius Domini, ex quo cogitavit, ut supra 1904. 1914, dictum, et ex quo imperium habuit super Rationale, ut et super naturale, quod erat Exterioris hominis: qui ex Vero intellectuali cogitat, et ex Bono Divino percipit, quod etiam Ipsius fuit quia Patris, nam alia non Ipsi anima fuit, non potest aliter quam ex propria potentia agere; quare quia malum ex haereditario, propria potentia domavit et ejecit, etiam ex propria potentia Humanam Essentiam univit Divinae, unum est consequens alterius. Qui concipitur a Jehovah, non aliud Internum habet, hoc est, non aliam animam, quam Jehovam, quare fuit quoad ipsissimam vitam Ipse Jehovah; Jehovah seu Divina Essentia non potest dividi, sicut anima patris hominis, ex qua concipitur proles, haec quantum recedit a similitudine patris, tantum a patre, ita magis et magis procedente aetate, inde est quod amor patris erga liberos diminuatur secundum aetatis progressionem; aliter Dominus, progrediente aetate quoad Humanam Essentiam non recessit, sed continue accessit, usque ad perfectam unionem; inde constat quod idem sit cum Jehovah Patre, ut Ipse quoque clare docet, Joh. XIV. 6. 8. 9. 10. 11.

1922. Et humiliavit eam, quod significet subjugationem, sequitur ex illis quae dicta sunt.

1923. Et fugit a facie ejus, quod significet indignationem rationalis hujus primum concepti, constat etiam absque explicatione; nam fugere a facie non aliud est quam non sufferre praesentiam, quod est indignationis. Hic describitur indignatio hujus rationalis contra verum intellectuale, ex eo quod Verum intellectuale seu Dominus illud humiliare seu subjugare voluit: cum Rationale insurgit contra Intellectuale, existit pugna intestina, et indignatio a parte ejus qui subjugatur, ut fit in tentationibus, quae non aliae sunt quam pugnae intestinae, et

sunt disceptationes et contentiones de potestate et imperio, mala ab una parte, et bona ab altera.

1924. Vers: 7. *Et invenit eam Angelus Jehovae ad fontem aquarum in deserto, ad fontem in via Schur.* Invenit eam Angelus Jehovae, significat Interioris hominis cogitationem; angelus Jehovae hic est interior cogitatio quae ab Interno Domini: ad fontem aquarum in deserto, significat verum naturale adhuc non vitam adeptum: ad fontem in via Schur, significat quod verum illud esset ex illis quae procedunt a scientificis.

1925. Invenit eam angelus Jehovae, quod significet interioris hominis cogitationem, nempe apud Dominum, constare potest a repraesentatione et significatione Angeli Jehovae: Angelus Jehovae aliquoties memoratur in Verbo, et ubivis, cum in bono sensu, repraesentat et significat aliquod essentiale apud Dominum et a Domino; quid autem repraesentat et significat, constare potest ex serie: fuerunt Angeli, qui missi ad homines, ut et loquuti per Prophetas, sed quod loquuti non fuit ab Angelis, sed per Angelos; status enim tunc fuit, ut non sciverint aliter quam quod ii fuerint Jehovah, hoc est, Dominus, sed mox cum eloquuti sunt, redierunt in statum suum pristinum, et loquuti sicut a se: ita se habuit cum Angelis, qui loquuti sunt Verbum Domini, quod ex multa experientia hodie simili in altera vita, mihi nosse datum, de qua experientia, ex Divina Domini Misericordia, in sequentibus; quae causa est, quod Angeli quandoque dicti fuerint Jehovah; ut manifeste constat ab Angelo, qui apparuit Mosi in rubo, de quo ita, „Apparuit „*Angelus Jehovae* Mosi in flamma ignis e medio rubi: vidit „*Jehovah* quod secederet ad videndum, et clamavit ad eum „*Deus* e medio rubi. Dixit *Deus* ad Mosen, *Sum Qui Sum;* „et dixit adhuc *Deus* ad Mosen, sic dices ad filios Israelis, *Je-* „*hovah Deus* patrum vestrorum misit me ad vos," Exod. III. 2, 4, 14, 15. ex quibus patet, quod Angelus fuerit, qui apparuit Mosi ut flamma in rubo, et quod ille loquutus sicut Jehovah, quia per illum Dominus seu Jehovah: ut enim loquutio fiat ad hominem per voces quae soni articulati, et in ultima natura, Dominus ministerio Angelorum utitur, implendo eos Divino, et, quae propria eorum sunt, sopiendo, ut non sciant aliter tunc quam quod Ipsi Jehovah; ita Divinum Jehovae,

quod in supremis, delabitur in infimum naturae, in quo est homo quoad visum et auditum. Similiter Angelus, qui loquutus cum Gideone, de quo ita in Libro Judicum, „Apparuit „Gideoni *Angelus Jehovae*, et dixit ad eum, Jehovah tecum, „potens robore: et dixit ad eum Gideon, in me Domine mi, „quare invenit nos omne id; et aspexit eum *Jehovah*, et dixit, „vade in robore tuo; tunc dixit ad eum *Jehovah*, atqui ero „tecum," VI: 12. 13. 16. et postea „Vidit Gideon, quod *An-„gelus Jehovae* ille, et dixit Gideon, ah *Domine Jehovih*, „quandoque vidi *Angelum Jehovae* facie ad faciem: et dixit ei „*Jehovah*, pax tibi, ne timeas," ib: vers: 22. 23. ubi similiter fuit Angelus, sed in illo statu tunc, ut non sciverit aliud, quam quod ille Jehovah seu Dominus esset. In Libro Judicum alibi, „Ascendit *Angelus Jehovae* ex Gilgal ad Bochim, et dixit, „ascendere feci vos ex Aegypto, et adduxi vos in terram, quam „juravi patribus vestris, et dixi, non irritum faciam foedus „meum vobiscum in aeternum," II: 1. ubi similiter Angelus loquitur nomine Jehovae, dicens se eduxisse eos e terra Aegypti, cum tamen Angelus non eduxit, sed Jehovah, ut multoties alibi dicitur: inde constare potest, quomodo Angeli loquuti sunt per Prophetas, nempe quod Ipse Dominus, tametsi per Angelos, et quod Angeli ne hilum a se; quod a Domino Verbum, constat a multis locis, etiam apud Matthaeum, „Ut impleretur id „quod *dictum a Domino per Prophetam*, dicentem, ecce virgo „in utero habebit, et pariet filium," I: 22. 23, praeter alibi. Quia Dominus loquitur per Angelos, quando cum homine, inde est, quod etiam Dominus passim in Verbo dicatur Angelus, et tunc per Angelum aliquod essentiale apud Dominum et a Domino, ut dictum, significatur, ut hic, quod Interior Domini cogitatio, quare etiam Angelus hic quoque Jehovah ac Deus in hoc Capite appellatur, ut in Vers: 13, „Et Hagar vocavit „nomen *Jehovae* loquentis ad se, tu *Deus* videns me." Alibi similiter per Angelos aliquid speciale Domini significatur, ut apud Johannem, „Septem stellae, *Angeli* septem Ecclesiarum sunt," Apoc: I. 20, angeli Ecclesiarum non dantur, sed per angelos significatur illud quod est Ecclesiae, ita quod Domini respective ad Ecclesias: apud Eundem, „Vidi murum sanctae „Hierosolymae magnum et altum, habentem portas duodecim,

„et super portis *Angelos* duodecim, et nomina scripta quae „sunt duodecim tribuum filiorum Israëlis,“ Apoc: XXI: 12. ubi per duodecim Angelos idem significatur, quod per duodecim Tribus, nempe omnia quae sunt fidei, ita Dominus, a Quo fides et ejus omnia: apud Eundem, „Vidi *Angelum* volantem „in medio coeli, habentem Evangelium aeternum,“ Apoc. XIV. 6. ubi per Angelum significatur Evangelium, quod est solius Domini: apud Esaiam, „*Angelus facierum* Ipsius salvavit nos, „propter amorem suum, et propter clementiam suam, ille re„demit eos, et tulit eos, et portavit eos, omnibus diebus ae„ternitatis,“ LXIII. 9. ubi per Angelum facierum intelligitur Domini misericordia erga universum genus humanum, quod redemerit eos: a Jacobo benedicente filiis Josephi similiter, „*Angelus*, qui redemit me ab omni malo, benedicat pueris,“ Gen: XLVIII: 16; ubi etiam Redemptio, quae est Domini, per Angelum significatur: apud Malachiam, „Subito veniet ad „templum suum Dominus, quem vos quaerentes, et *Angelus* „*foederis*, quem vos desideratis,“ III: 1. quod Dominus per Angelum significetur, manifeste ibi patet, ubi Angelus foederis dicitur ob adventum Ipsius; adhuc manifestius, quod per Angelum significetur Dominus, in Exodo, „Ecce Ego mitto *Ange*„*lum* coram te, ad custodiendum te in via, et ad deducendum „te ad locum, quem praeparavi; non sustinebit praevaricatio„nem vestram, quia *nomen meum in medio illius,*“ XXIII: 20. 21. inde nunc constat, quod per Angelum in Verbo intelligitur Dominus, sed quid Domini, ex serie in sensu interno, patet.

1926. Quod Angelus Jehovae hic sit interior cogitatio quae ab Interno Domini, constat, ut dictum, a serie. Per Interius intelligitur hic illud apud Dominum, quod unitum fuit Jehovae, seu Interno Ipsius: Unitio non facta est simul et una vice, sed successive, nempe a prima pueritia ad ultimum Ipsius vitae in mundo; et hoc praecipue per tentationes et victorias; unaquaevis tentatio et victoria univit; etiam quantum se univit cum Interno seu Jehovah, tantum Cogitatio interior facta, et tantum Intellectuale Verum fuit unitum Divino Bono: haec Cogitatio est, quae intelligitur per Interiorem cogitationem quae ab Interno Domini, et quae repraesentatur et significatur hic proprie per Angelum Jehovae.

1927. Ad fontem aquarum in deserto, quod significet Verum naturale adhuc non vitam adeptum, constat a significatione fontis aquarum, quod sit verum; et ex significatione deserti, quod sit id quod parum vitale adhuc; similiter ac per illud in sensu interno apud Lucam, ubi de Domino, „Puer crevit et corro„boratus est spiritu, erat tamen in *Desertis* usque ad dies ap„paritionis illius ad Israëlem," I: 80. [7] Quod fons aquarum et desertum haec significent, confirmari potest plurimis ex Verbo, sed quia in sequentibus saepius fit mentio fontium, ut et deserti, etiam in tali significatione, ibi, ex Divina Domini Misericordia, confirmabitur: quid sit quod Verum nondum vitam adeptum, constabit a mox dicendis.

1928. Quod ad fontem in via Schur, significet quod Verum illud esset ex illis quae procedunt a scientificis, constat a significatione fontis, tum viae, ut et Schur; fons, ut dictum, significat verum; via significat quod ducit ad verum et quod procedit a vero, ut ostensum prius n: 627; Schur autem significat tale scientificum, quod adhuc quasi est in deserto, hoc est, quod non adhuc vitam adeptum: Vera ex scientificis dicuntur vitam adipisci, cum se adjungunt seu associant veris, in quae influit coeleste amoris, ipsa vita veri est inde: sunt rerum, ita veritatum conjunctiones sicut societatum in Coelo, quibus etiam correspondent; nam homo quoad interiora sua est exiguum quoddam coelum; res seu veritates, quae non secundum formam coelestium societatum conjunctae sunt, nondum sunt vitam adeptae, nam prius coeleste amoris a Domino non convenienter influere potest; vitam tunc primum accipiunt, cum forma similis utrinque est, seu cum hominis exiguum coelum sit maximi correspondens imago; prius nemo dici potest coelestis homo: Dominus Qui ex Se Ipso gubernaret universum coelum, vera et bona apud Externum suum Hominem, seu in Essentia sua Humana, dum in mundo fuit, in talem ordinem redegit; sed quia percepit, quod Rationale Ipsius primo conceptum non tale esset, ut dictum supra ad vers: 4 et 5, causam cogitavit et percepit, quod vera naturalia ex scientificis orta adhuc non vitam adepta sint, hoc est, in ordinem illum coelestem redacta. Praeterea vera fidei, nusquam aliquam vitam habent, nisi homo in charitate vivit; ex charitate fluunt omnia vera fidei, et in charitate sunt; et

cum in charitate et ex charitate, tunc vitam habent, in charitate est vita, nusquam in veris absque charitate. Quod Schur significet scientificum nondum vitam adeptum, constat ex significatione ejus; Schur enim fuit desertum non procul a mari Suph, ita versus Aegyptum, ut constat apud Mosen, „Proficisci fecit Moses Israelem a mari Suph, et exiverunt ad *Desertum Schur*, inde iverunt tres dies in *deserto*, nec invenerunt „aquas," Exod: XV: 22. quod versus Aegyptum, constat etiam apud Mosen, ubi de posteris Ismaëlis, „Habitaverunt a Chavillah, usque ad *Schur*, quod ad *facies Aegypti*," Gen: XXV. 18. et apud Samuelem, „Percussit Schaul Amalekum a Chavillah, quo venitur *Schur*, quod ad *facies Aegypti*," 1 Sam: XV: 7. et alibi, „David effudit se ad Geschuritam, et Gisritam, „et Amalekitam, qui habitantes terra quae a saeculo, quo venitur in *Schur*, et usque ad *terram Aegypti*," 1 Sam: XXVII: 8. ex quibus constare potest, quod per Schur significetur primum scientificum, et quidem tale, quod adhuc in deserto est, seu nondum conjunctum reliquis secundum societatem coelestem, nam per Aegyptum, ad cujus faciem erat, significatur Scientia in omni sensu, ut ostensum prius, n: 1164. 1165. 1186. 1462.

1929. Quod haec significentur, per quod Angelus Jehovae invenerit Hagarem ad fontem aquarum in deserto, ad fontem in via Schur, nusquam apparere potest ex sensu literali, et minus cum historicum est, qui sensus perquam remotus a significatione talium esse videtur; sed usque is est sensus qui venit in ideas Angelorum, cum ab homine haec leguntur; Angeli enim nullam ideam habent Hagaris, nec fontis aquarum, nec deserti, nec viae, nec Schur, omnia haec non ad illos penetrant, sed pereunt in primo limine; sed quid per Hagarem, per fontem, per desertum, per viam, et per Schur, significatur, hoc intelligunt, et inde formant ideas coelestes, et sic Verbum Domini percipiunt, nam sensus internus est illis Verbum.

1930. Vers: 8. *Et dixit, Hagar ancilla Sarai, unde venis, et quo vadis; et dixit, a facie Sarai Dominae meae ego fugio.* Dixit, Hagar ancilla Sarai, significat informationem: unde venis, et quo vadis, significat de statu: et dixit, a facie Sarai dominae meae ego fugio, significat responsum et indignationem.

1931. Dixit, Hagar ancilla Sarai, quod significet informationem, constat ex serie, nam est appellatio Hagaris ab Angelo, sicut informaretur: in Verbo solenne est, quod Jehovah interroget hominem, et homines respondeant, tametsi Jehovah id prius novit, nec solum factum, sed etiam causas et fines, ita omnia minima et intima; sed quia homo hoc nescit, et credit quod nusquam aliquis sciat quod in occulto, non vidente aliquo, facit, et minus quid cogitat, ideo secundum fidem hominis ita fit: sed usque ita se in veritate habet, quod Spiritus vulgares cogitationes hominis percipiunt melius quam ipse homo; Spiritus angelici adhuc interiora cogitationum; et Angeli adhuc interiora, nempe causas et fines, de quibus homo parum novit; hoc a multa et continua plurium annorum experientia scire datum; cum illa Spiritus et Angeli percipiunt, quid non Dominus seu Jehovah, Qui Infinitus, et omnibus dat percipere.

1932. Unde venis, et quo vadis, quod significet informationem de statu, constat inde.

1933. Et dixit, a facie dominae meae Sarai ego fugio, quod significet responsum et indignationem, constat ex illis quae dicta sunt; de indignatione videatur supra ad vers: 4, ubi eadem verba: quia facies significat interiora, ut ostensum prius, n: 358, ita indignationes et plura.

1934. Vers: 9. *Et dixit ei Angelus Jehovae, revertere ad dominam tuam, et humilia te sub manibus illius.* Dixit Angelus Jehovae, significat Interioris hominis Domini responsum, revertere ad dominam tuam, significat quod animadverterit se non fidere sibi debere, sed vero interiori et ejus affectioni: et humilia te sub manibus illius, significat quod se cogere debeat, ut sit sub illius potestate.

1935. Dixit Angelus Jehovae, quod significet Interioris Hominis Domini responsum, constat ex significatione Angeli Jehovae, quod sit Interior Cogitatio Domini, de qua supra n: 1925; et quia est cogitatio, et est responsum. Interior Cogitatio Domini fuit ex affectione Veri Intellectualis, et haec Affectio ex Ipso Divino Bono; talis cogitatio, ut prius dictum, nusquam apud aliquem hominem est, nec esse potest: apud hominem etiam est interior cogitatio, quae influit per Internum ejus hominem, in interiorem rationalem, a Domino, apud eos qui conscien-

tiam habent, quod constare potest ex eo, quod animadvertere possint malum et falsum quod in Externo suo homine, quod pugnat contra bonum et verum in interiori; et haec cogitatio est multo inferior, non comparanda ullo modo cum Domini, quae fuit ex Affectione Veri Intellectualis, fuit et Ipsius propria: qui autem conscientiam non habent, interiorem cogitationem non habere possunt, quare nec apud eos ulla pugna est, causa est, quia rationale eorum unum et idem agit cum sensuali corporeo; et tametsi apud eos quoque continuo influit bonum et verum a Domino, usque illud non appercipiunt, quia illico id exstinguunt et suffocant, inde est, quod nec credant aliquod verum fidei.

1936. Quod revertere ad Dominam, significet quod animadverterit se non fidere sibi debere, sed Vero interiori et ejus affectioni, constat a significatione Dominae, quod sit affectio veri interioris, sed quid in specie per Sarai, per Sarai uxorem, et per Sarai dominam, significatur, non describi potest, quia nulla idea capi, sunt, ut dictum prius, supra intellectum etiam angelicum; hic modo innuitur, quomodo Dominus cogitavit de apparentiis, quae primum Rationale apud Ipsum detinuerunt, nempe quod iis non fidendum, sed ipsis Divinis Veris, utcunque coram Rationali illo apparerent incredibilia: ita se habet cum omnibus Veris Divinis, si consulitur de illis Rationale, nusquam possunt credi, nam superant omnem ejus captum; sicut pro exemplo, quod nullus homo, spiritus et angelus, vivat a semet, sed solus Dominus, et quod vita hominis, spiritus et angeli, sit apparens vitae apud eos; hoc repugnat Rationali, quod ex fallaciis judicat, sed usque credendum, quia Verum est. Verum Divinum est, quod indefinita sint in unaquavis voce Verbi, quae tam simplex et rudis apparet homini, imo quod plus quam universum coelum, et quod arcana, quae inibi, coram Angelis a Domino sisti queant cum perpetua varietate in aeternum; hoc tam incredibile est Rationali, ut nusquam aliquam fidem ei dare velit, sed usque est Verum. Verum Divinum est, quod nusquam aliquis remuneretur in altera vita propter bene acta, si meritum in illis posuerit, et si illa fecerit sui lucri, honoris et famae causa: et quod nusquam aliquis puniatur propter male acta, si ex fine vere bono egerit, fines sunt qui spectantur,

inde acta; haec quoque a Rationali non credi possunt, sed quia est verum, non fidendum rationali, quod non ex internis, sed ab externis concludit. Verum Divinum est, qui minimum gaudium in altera vita affectat, quod is accipiat a Domino maximum, et qui maximum, is habeat minimum; tum quod in gaudio coelesti nusquam sit aliquid praeeminentiae prae altero, et quantum praeeminentiae, tantum inferni; tum quod in gloria coelesti ne minimum gloriae mundanae sit; haec quoque Rationali repugnant, sed usque credenda, quia sunt vera. Verum quoque Divinum est, quod quis eo sapientior sit, quo plus credit quod nihil sapientiae a se, et quod eo insanior, quo [8] plus credit a se, ita quo plus prudentiam sibi ipsi tribuit; Rationale hoc quoque negat, quia quod non ex se, putat esse nihil: talia dantur innumerabilia; ex illis, ut paucis exemplis constare potest, quod non fidendum Rationali, nam Rationale est in fallaciis et apparentiis, quare vera fallaciis et apparentiis nudata rejicit, et eo magis, quo plus in amore sui et ejus cupiditatibus est, inque ratiociniis, tum in principiis falsi de fide. Videantur etiam quae supra allata, n: 1911.

1937. Quod humilia te sub manibus illius, significet quod se cogere debeat ut sit sub illius potestate, constat absque explicatione: humiliare se exprimitur in lingua originali per vocem, quae significat *affligere;* quod se affligere in sensu interno sit se cogere, ex plurimis in Verbo locis constare potest, de qua ejus significatione in sequentibus. Quod homo se cogere debeat, ad faciendum bonum, ad obediendum illis quae a Domino mandata sunt, et ad loquendum vera, quod est ad humiliandum se sub manibus Domini, seu ad se submittendum sub potestate boni et veri Divini, plura arcana involvit, quam ut paucis possit explicari, sunt quidam Spiritus, qui pro principio habuerunt, dum vixerunt in mundo, quod, quia audiverunt, omne bonum esse a Domino, et hominem nihil boni a se facere posse, se nihil coegerint, sed se remiserint, irritum fore omnem conatum putantes quia ita est, et ideo exspectaverint immediatum influxum in voluntatis eorum conatum, nec se ad faciendum aliquod bonum coegerint; imo usque adeo, ut dum aliquod malum irrepserit, quod, quia non senserunt aliquem renisum ab

interiori, se quoque ei reliquerint, putando sic permissum fore; sed ii tales sunt, ut sint quasi absque proprio, sic ut sint nullius determinationis, quare inter inutiliores, duci enim se patiuntur aeque a malis ac a bonis, et a malis multum patiuntur; at qui se coegerunt contra malum et falsum, tametsi primum putarunt, quod hoc esset a se seu a propria potentia, at postea illustrati, quod conatus eorum fuerit a Domino, imo omnium minima conatus, ii in altera vita non possunt duci a malis spiritibus, sed inter felices sunt: exinde constare potest, quod homo se cogere ad faciendum bonum, et loquendum verum debeat: arcanum, quod in eo latet, est, quod sic donetur homo proprio coelesti a Domino; proprium coeleste hominis formatur in ejus cogitationis conatu, quem si non per *se cogere,* sicut apparet, nusquam per se non cogere, obtinet; ut hoc pateat, quomodo se habet, in omni coactione ad bonum, est liberum quoddam, quod non ita appercipitur, cum in coactione est, sed usque inest; sicut qui vult subire discrimina mortis propter finem quendam, aut sicut qui vult pati dolores corporis propter sanitatem, est voluntarium et sic liberum quoddam in illis, ex quo id facit, tametsi discrimina et dolores, dum in illis est, auferant apperceptionem voluntarii seu liberi; ita se habet cum illis qui se ad bonum cogunt, est intus voluntarium, ita liberum, ex quo et propter quod se cogunt, nempe propter obedientiam illorum quae Dominus mandavit, et propter salutem animae suae post mortem, in quibus adhuc interius est, quod homo non novit, propter Regnum Domini, imo propter ipsum Dominum; hoc fit quam maxime in tentationibus, in quibus cum se cogit homo contra malum et falsum, quod infunditur et suggeritur a malis spiritibus, plus liberi est, quam usquam in aliquo statu extra tentationes, quamvis homo id non tunc capere potest, est liberum interius, ex quo vult subjugare malum, et in tantum ut aequivaleat vi et forditudini mali quod impugnat, alioquin nusquam pugnaret: hoc liberum est a Domino, qui illud ejus conscientiae insinuat, et per illud facit ut vincat malum sicut ex proprio; per hoc liberum accipit homo proprium, in quod Dominus operari potest bonum; absque proprio per liberum acquisito, hoc est, donato, nusquam aliquis homo reformari potest, quia non novam voluntatem, quae est conscien-

dia, accipere potest; liberum sic donatum est ipsum planum, in quod influxus boni et veri a Domino; inde est, qui non ex illo voluntario seu libero in tentationibus resistunt, quod succumbant: in omni libero est vita hominis, quia est amor ejus, quicquid homo ex amore facit, hoc liberum ei apparet; at in libero illo, cum homo se cogit contra malum et falsum, et ad faciendum bonum, est amor coelestis, quem Dominus tunc insinuat, et per quem ejus proprium creat, quare vult Dominus ut illud appareat homini sicut ejus, tametsi non sit ejus; hoc proprium, quod ita accipit per apparens coactum in vita corporis, Dominus in altera vita implet indefinitis jucundis et felicibus; ii quoque illustrantur per gradus, imo confirmantur in illa veritate, quod ne hilum se a semet coegerint, sed quod omnia minima conatus voluntatis eorum fuerint a Domino; et quod apparuerit sicut a semet, quod causa fuerit, ut daretur illis a Domino novum voluntarium sicut eorum, et sic appropriaretur illis vita amoris coelestis; Dominus enim vult unicuique communicare quod Ipsius, ita coeleste, ut appareat sicut ejus ac in eo, tametsi non ejus sit; Angeli in tali proprio sunt, et quantum in illo vero, quod a Domino omne bonum et verum, tantum in proprii illius jucundo et felici. Qui autem omne bonum et verum contemnunt et rejiciunt, et qui volunt nihil credere, quod repugnat eorum cupiditatibus et ratiociniis, ii non possunt se cogere, ac ita non possunt proprium hoc conscientiae seu novum voluntarium accipere. Ex supradictis etiam patet, quod se cogere non sit cogi, nam ex *cogi* nusquam aliquod bonum, ut fit cum homo ab alio homine ad bonum agendum cogitur, sed quod hic *se cogere* sit ex libero quodam ei ignoto, nam a Domino nusquam aliquod coactum; inde est lex universalis, quod omne bonum et verum inseminetur in libero, alioquin humus nusquam fit recipiens et fovens boni, imo non aliqua humus, in qua semen crescere possit.

1938. Vers: 10. *Et dixit ei Angelus Jehovae, multiplicando multiplicabo semen tuum, et non numerabitur prae multitudine.* Dixit Angelus Jehovae, significat interioris hominis cogitationem: multiplicando multiplicabo semen tuum, significat fructificationem Rationalis hominis, cum se sub potestate

Veri Intellectualis adjuncti Bono submittit: et non numerabitur prae multitudine, significat multiplicationem in immensum.

1939. Dixit Angelus Jehovae, quod significet Interioris Hominis cogitationem, constat ex Vers: praec: ubi eadem verba.

1940. Multiplicando multiplicabo semen tuum, quod significet fructificationem Rationalis hominis, cum se sub potestate Interioris Hominis adjuncti Bono submittit, constat ex significatione Seminis, quod sit amor et fides, de qua prius n: 1025. 1447. 1610: hic autem significatur per multiplicare semen, fructificatio coelestium amoris in Rationali, quando Rationale se submiserit Vero Interiori seu Divino: multiplicatio praedicatur de Veris, at fructificatio de Bonis, ut constat ab illis quae dicta et ostensa sunt prius n: 43. 55. 913. 983; sed quia agitur de Domino, per multiplicationem significatur fructificatio, quia omne Verum in Rationali Ipsius factum Bonum, ita Divinum, quod hic praedicatur: aliter in homine, cujus Rationale ex Vero aut Affectione veri a Domino formatur, illa Affectio est ejus Bonum, ex quo agit. Ut sciatur quomodo se habet multiplicatio et fructificatio apud hominem in ejus Rationali, non intelligi potest, nisi sciatur quomodo se habet cum Influxu, de quo haec in genere: apud unumquemvis hominem est Internus homo, est Rationalis qui medius, et Externus, ut prius dictum; Internus homo est qui Intimum ejus est, ex quo est homo, et per quem distinguitur a brutis animalibus, quae tale intimum non habent, estque ille quasi porta aut introitus Domini, hoc est, coelestium et spiritualium Domini, in hominem; quid ibi peragitur, non capi potest ab homine, quia est supra omne ejus Rationale ex quo cogitat; huic Intimo seu Interno homini subjectum est Rationale, quod apparet ut hominis proprium, in hoc influunt per Internum illum hominem coelestia amoris et fidei a Domino; et per Rationale hoc in scientifica, quae sunt Externi hominis; sed quae influunt, recipiuntur secundum statum cujusvis; nisi Rationale se submittat bonis et veris Domini, tunc quae influunt, Rationale hoc vel suffocat, vel rejicit, vel pervertit, et adhuc magis, cum influunt in scientifica sensualia memoriae; haec sunt, quod semen vel cadat in viam, vel super petrosum, vel inter spinas, sicut Dominus docet Matth: XIII: 3 ad 7. Marc: IV: 3 ad 7. Luc: VIII: 5 ad 7; at cum Ratio-

nale se submittit, et credit Domino, hoc est, Verbo Ipsius, tunc est Rationale sicut humus seu terra bona, in quam cadit semen, et multum fructum fert.

1941. Et non numerabitur prae multitudine, quod significet multiplicationem in immensum, constat absque explicatione; per haec significatur Verum, quod sic multitudine crescet a Bono: apud Dominum, de Quo hic in sensu interno agitur, quia Divina et Infinita omnia, illa non sunt expressibilia, quare ut idea possit aliqua capi quomodo se habet cum multiplicatione Veri ex Bono, de homine dicendum: apud hominem, qui in Bono est, hoc est, in amore et charitate, semen a Domino ita fructificatur et multiplicatur, ut prae multitudine numerari nequeat; dum vivit in corpore non ita, sed in altera vita incredibiliter; quamdiu enim homo in corpore vivit, est semen in humo corporea, et ibi inter implexa et densa, quae sunt scientifica et voluptates, tum curae et sollicitudines; at his exutis, quod fit dum transit in alteram vitam, semen exsolvitur illis, et excrescit, sicut solet semen arboris, cum surgit ex humo, crescere in virgultum, tum in magnam arborem, et dein multiplicari in arborum hortum; omnis enim scientia, intelligentia et sapientia, et illarum jucunda et felicia ita fructificantur et multiplicantur, et sic crescunt in aeternum, et ex minimo semine, ut Dominus docet de grano sinapis, Matth: XIII: 31. quod satis constare potest, a scientia, intelligentia, et sapientia Angelorum, quae tunc, cum fuerunt homines, illis fuit ineffabilis.

1942. Vers. 11: *Et dixit ei Angelus Jehovae, ecce tu gravida, et paries filium, et appellabis nomen ejus Jischmael, quia audivit Jehovah ad afflictionem tuam.* Dixit ei Angelus Jehovae, significat Interioris Hominis cogitationem: ecce tu gravida, significat vitam Rationalis hominis: paries filium, significat verum ejus: et appellabis nomen ejus Jischmael, significat statum vitae: quia audivit Jehovah ad afflictionem tuam, significat cum se submitteret.

1943. Dixit Angelus Jehovae, quod significet Interioris hominis cogitationem, constat ex illis quae supra ad Vers: 7. 9. 10. dicta sunt.

1944. Ecce tu gravida, quod significet vitam Rationalis

hominis, constat ab illis quae supra de conceptione ejus, dicta, ex illis quae de Ismaele sequuntur, quod nempe sit primum rationale apud Dominum. In genere de Rationali homine sciendum, quod Rationale tunc vitam accipere, in utero esse, et nasci, dicatur, quando homo cogitare incipit, quod apud se malum et falsum sit quod contradicit et adversatur vero et bono, et magis adhuc cum illud amovere et subjugare vult; nisi hoc appercipere et sentire potest, non habet aliquod Rationale, utcunque putat se habere; Rationale enim est medium uniens Interni hominis cum Externo, et sic a Domino appercipiens quid in Externo peragitur, et redigens Externum ad obsequium, imo elevans eum a corporeis et terrennis, in quae se immergit, et efficiens ut homo sit homo, ut spectet ad coelum, cujus indigena est, non, ut bruta animalia, solum ad terram, in qua modo peregrinatur, minus ad infernum; haec sunt Rationalis officia; quare nisi homo talis sit, ut id cogitare possit, non dici potest quod Rationale habeat, ex ejus usus seu functionis vita cognoscitur, num sit: ratiocinari contra bonum et verum, quod corde negat, et quod novit quia de eo audivit, non est rationale habere, hoc possunt etiam plures, qui extus ruunt absque vinculis in omne nefarium, cum differentia solum, quod illi, qui putant Rationale se habere et non habent, loquantur ex quodam decoro sermonis et agant ex simulatorio honesto, in quibus tenentur per vincula externa, quae sunt timor legis, jacturae lucri, honoris, famae, vitae; si vincula haec, quae sunt externa, auferrentur, insanirent aliqui plus quam illi; quare nemo dici potest Rationale habere ex eo quod ratiocinari possit; imo qui non rationale habent, ex sensualibus et scientificis loqui solent multo solertius, quam qui habent; hoc clarissime constat a spiritibus malis in altera vita, qui tametsi ut Rationales habiti prae aliis, dum vixerunt in corpore, usque tamen cum vincula externa, quae decorum sermonis, et simulatorium honestum vitae eorum fecerunt, auferuntur, ut solet fieri cum omnibus in altera vita, insaniores sunt illis, qui in mundo aperte insani sunt, ruunt enim in omne nefas absque pudore, timore, horrore; at qui Rationales fuerunt, cum vixerunt in mundo, non ita, quum his vincula externa auferuntur, adhuc saniores sunt, nam vincula interna habuerunt, quae sunt vincula conscientiae,

per quae Dominus tenuit cogitationes illorum alligatas legibus veri et boni, quae fuerunt rationalia illorum.

1945. Paries filium, quod significet verum, nempe hujus Rationalis, quod per Ismael significatur, constat a significatione Filii, quod sit Verum, de qua prius, n: 264. 489. 491. 533. 1147. Verum hoc describitur in Versu sequente.

1946. Et appellabis nomen ejus Jischmaël, quod significet statum vitae: antiquitus nomina indebantur filiis et filiabus, quae significabant statum, in quo fuerunt parentes, imprimis matres, cum conceperunt, vel cum gravidae fuerunt, vel cum pepererunt, vel in quo fuerunt infantes cum nati: ita nomina fuerunt significativa: unde Jischmaël suum nomen habuit, explicatur hic, nempe quia audivit Jehovah ad afflictionem, quod fuit status matris; quid autem Jischmaël repraesentat, describitur in Versu sequente.

1947. Quia audivit Jehovah ad afflictionem tuam, quod significet cum se submitteret, constat ex illis, quae supra n: 1937 dicta sunt, quod humiliare se et affligere sit submittere se potestati Interni Hominis, de qua submissione etiam actum est, et ibi ostensum, quod sit cogere, tum quod in *cogere se* sit liberum, hoc est, spontaneum et voluntarium, quo *se cogere* distinguitur a *cogi;* ostensum quoque, quod absque hoc libero, seu spontaneo aut voluntario, nusquam homo possit reformari, et aliquod proprium coeleste accipere; tum etiam, quod in tentationibus plus liberi sit, tametsi contrarium apparet, quam extra tentationes, tunc enim liberum fortius fit secundum impugnationes a malis et falsis, et corroboratur a Domino, ut proprium coeleste ei donetur, quare etiam in tentationibus Dominus praesentior est; ut, et quod Dominus nusquam aliquem cogat, qui cogitur ad cogitandum verum, et faciendum bonum, non reformatur, sed tunc adhuc magis cogitat falsum, et vult malum, omnis coactio hoc secum habet, quod etiam constare potest a vitae actis et documentis, per quae cognita sunt haec bina, quod conscientiae non patiantur se cogi, et quod nitamur in vetitum; quisque etiam a non libero in liberum cupit, nam hoc est vitae ejus; inde patet, quod nusquam Domino gratum sit aliquid quod non ex libero, hoc est, ex spontaneo, aut voluntario; nam cum quis ex non libero colit Dominum, ex nullo

suo colit; est externum quod se movet, hoc est, quod ex coacto movetur, interno vel nullo, vel repugnante, imo contradicente: cum regeneratur homo, a libero, quo donatur a Domino, cogit se, humiliat imo affligit Rationale, ut se submittat, et inde accipit proprium coeleste, quod proprium dein a Domino per gradus perficitur, et fit magis et magis liberum, sic ut fiat affectio boni et inde veri, et ei jucunditas, et in illa et hac felicitas, qualis Angelorum; hoc Liberum est, de quo Ipse Dominus ita apud Johannem, „Veritas vos *liberos* facit, si „Filius vos *liberos* facit, vere *liberi* estis," VIII: 32. 36. quid liberum hoc, prorsus nesciunt, qui conscientiam non habent, liberum enim ponunt in lubitu et licentia cogitandi loquendique falsum, ac volendi faciendique malum, et haec non cogere et humiliare, minus affligere, cum tamen prorsus contrarium est, ut quoque Dominus docet apud Eundem, „Omnis faciens peccatum, *servus* est peccati," VIII: 34. Liberum hoc servum accipiunt a spiritibus infernalibus qui apud eos, qui infundunt illud, in quorum vita cum sunt, etiam in eorundem amoribus et cupiditatibus sunt, aspirante jucundo impuro et excrementitio, quorum cum quasi torrente auferuntur, in libero se putant esse, sed est liberum infernale, differentia inter liberum hoc infernale et inter liberum coeleste, est, quod illud sit mortis et detrahat eos ad infernum, hoc autem, seu liberum coeleste, sit vitae et elevet eos ad coelum. Quod omnis cultus verus internus non ex coacto sed ex libero fiat, et nisi ex libero non sit cultus internus, constat ex Verbo; ex *Sacrificiis* spontaneis, votivis, pacificis seu eucharisticis, quae munera et oblationes dicta, de quibus, Num: XV. 3. seq. Deut: XII: 6. Cap. XVI: 10. 11. Cap. XXIII: 23. [?] 24, et alibi: apud Davidem, „In „*Voluntario sacrificabo* Tibi, confitebor Nomini tuo Jehovah, „quia bonum," Psalm: LIV: 8. Ex Thruma seu Collecta, quam facerent ad Tabernaculum, et ad Vestes sanctitatis, de qua apud Mosen, „Loquere ad filios Israëlis, et accipiant Mihi collectam a „cum omni viro, *quem sponte impulit cor ejus* accipietis collec„tam meam," Exod: XXV: 2. et alibi, „Omnis *Spontaneus corde* „adducet eam, collectam Jehovae," Exod: XXXV: 5. Humiliatio autem rationalis hominis seu ejus afflictio, ex libero, ut dictum, repraesentata quoque fuit per Afflictionem animarum in

diebus festis, de qua apud Mosen, „ Erit vobis in statutum aeter-„ nitatis, in mense septimo, in decimo mensis, *Affligetis ani-„ mas vestras,*" Lev: XVI: 29, et alibi, „ In decimo mensis sep-„ timi, is dies expiationum ille, convocatio sancta erit vobis, „ et *Affligetis animas vestras*, omnis anima, quae se non *affli-„ xerit* in ipso die hoc, exscindetur e populis suis," Lev. XXIII: 27. 29. inde Azymum, in quo non fermentatum, dicitur *Panis Afflictionis*, Deut: XVI: 2. 3. [10] de afflictione ita apud Davidem, „ Jehovah, quis peregrinabitur in tentorio tuo, quis habita-„ bit in monte sanctitatis tuae, ambulans integer, et operans ju-„ stitiam, qui jurat *ad affligendum se*, non mutat," Psalm: XV: 1. 2. 4. Quod Afflictio sit domatio et subjugatio malorum et falsorum assurgentium ab Externo homine in ejus Rationalem, ex illis, quae dicta sunt, constare potest, ita non est aliqua detrusio sui in paupertatem et miserias, seu abdicatio jucunditatum corporis, inde non domatur et subjugatur malum, quandoque etiam aliud malum inde exsuscitatur, nempe meritum propter abdicationem, praeter quod liberum hominis patiatur, in quo, ut in humo, unice bonum et verum fidei inseminari potest. De Afflictione quod etiam sit tentatio, videatur prius n: 1846.

1948. Vers: 12. *Et is onager homo, manus ejus in omnes, et manus omnium in eum; et contra facies omnium fratrum suorum habitabit.* Is erit onager homo, significat verum rationale quod describitur: manus ejus in omnes, significat quod pugnaturum contra illa quae non vera, et manus omnium in eum, significat quod falsa repugnatura: et contra facies omnium fratrum suorum habitabit, significat quod continuae contentiones in iis quae fidei sunt, sed quod usque victor erit.

1949. Is erit onager homo, quod significet Verum rationale, quod describitur, constat ex significatione onagri, quod sit verum rationale: in Verbo pluries memorantur Equi, Equites, Muli, Asini, et nemini adhuc notum est, quod significent intellectualia, rationalia, et scientifica, qui quod illa significent, ex Divina Domini Misericordia, suis locis, multis confirmabitur; ejusdem generis est onager, est enim mulus deserti seu asinus sylvestris, et significat Rationale hominis, non Rationale in suo complexu, sed modo verum rationale: Rationale consistit a bono et vero, hoc est, ex illis quae sunt charitatis, et ex illis

quae sunt fidei; Rationale verum est id quod per onagrum significatur; hoc nunc est, quod per Ismaelem repraesentatur, et describitur in hoc versu. Nemo credere potest, quod Verum rationale separatum a Bono rationali, tale sit, nec scivissem quod tale nisi per vivam experientiam instructus; sive dicas Verum rationale, sive Hominem, cujus Rationale tale est idem est: Homo, cujus Rationale tale est, ut solum in Vero sit, etiamsi in Vero fidei, non simul in Bono charitatis, est prorsus talis; est vir morosus, nihil patiens, contra omnes, unumquemvis videns sicut in falso, illico increpans, castigans, puniens, non miseretur, non se applicat, et studet flectere animos; nam ex Vero spectat omne, et nihil ex Bono; inde est, quod Ismaël expulsus, et dein habitavit in deserto, et mater ei uxorem accepit e terra Aegypti, Gen: XXI, 9 ad 21, quae omnia sunt repraesentativa tali Rationali praediti. Onagrorum mentio fit in Propheticis Verbi, ut apud Esaiam, „Palatium erit desertum, „multitudo urbis derelicta, clivus et specula erit pro speluncis, „usque in saeculum *gaudium Onagrorum*, pascuum gregum," XXXII: 14. ubi de vastatione intellectualium, quae cum vastata quoad Vera, vocantur gaudium Onagrorum, et quoad bona pascuum gregum, ita ut non rationale: apud Jeremiam, „*Onagri* „steterunt super collibus, sorbuerunt ventum, sicut ceti, con„sumti sunt oculi eorum, quia non herba," XIV: 6. ubi de siccitate, seu non bono et vero; de Onagris praedicatur quod sorbeant ventum, cum inania captantur loco realium, quae sunt vera; consumti oculi pro quod verum quid sit non capiatur: apud Hoscheam, „Quia illi ascenderunt Assyriam, *Onager so*„*litarius* sibi, Ephraim mercede meretricia expetiverunt amo„res," VIII: 9, ibi de Israele seu Ecclesia spirituali; Ephraim pro intellectuali ejus; ascendere Assyriam pro ratiocinari de vero num verum; onager solitarius pro rationali sic destituto veris: apud Eundem, „Quia ille *inter fratres sicut Onager* erit, „veniet orientalis ventus Jehovae a deserto ascendens, et exa„rescet scaturigo ejus, et exsiccabitur fons ejus, ille depraeda„bitur thesaurum omnium vasorum desiderii," XIII: 15. ubi de Ephraim, per quem intellectuale Ecclesiae spiritualis significatur, cujus rationale sicut onager, de cujus dissipatione agitur: apud Davidem, „Jehovah Deus emittet fontes in fluvios, inter

« montes ibunt, potum praebent omni ferae agrorum, frangunt « *Onagri* sitim suam, » Psalm: CIV: 10. 11. fontes pro cognitionibus, ferae agrorum pro bonis, onagri pro veris rationis.

1950. Quod manus ejus in omnes, significet quod pugnaturum contra illa quae non vera, et manus omnium in eum, significet quod falsa repugnatura, constat ex eo quod per Ismaelem significetur Verum rationale separatum a Bono, ut dictum, de quo Vero cum praedicatur quod manus ejus in omnes, et omnium in eum, constat quod illa significentur. Supra indicatum, quod per Abramum repraesentetur Domini Internus Homo, seu quod idem, Ipsius Divinum coeleste et spirituale; per Isacum Domini Interior Homo, seu Ipsius Divinum Rationale; per Jacobum Domini Exterior Homo, seu Ipsius Divinum Naturale; hic agitur de Rationali, quale foret nisi uniretur Interno seu Divino coelesti et spirituali; quod Rationale, quia naturam traxit a vita affectionis scientiarum, hoc est, ab Hagare Aegyptia ancilla Sarai, et haec vita erat Externi hominis, quae a Domini matre haereditarium habuit, contra quod pugnandum, et quod expellendum, ideo Rationale describitur, quale foret, si absque Bono rationali; sed postquam Dominus haereditarium illud per pugnas tentationum et victorias, humiliavit, seu afflixit et subjugavit, et vivificavit ipsum suum Rationale Bono Divino, tunc fit illud Isacus, seu repraesentatur per Isacum, Ismaele e domo, una cum Hagare matre ejus, ejecto. Omne Rationale genuinum constat ex bono et vero, hoc est, ex coelesti et spirituali; Bonum seu coeleste, est ipsa anima seu vita illius, Verum seu spirituale est quod inde vitam suam accipit; Rationale absque vita ex bono coelesti, est sicut hic describitur, quod nempe pugnet contra omnes, et contra illud pugnent omnes: Bonum rationale nusquam pugnat, utcunque impugnatur, quia mite est et clemens, patiens et cedens, nam est amoris et misericordiae; et tametsi non pugnat, usque omnes vincit, nec usquam de pugna cogitat, nec de victoria gloriatur, et hoc quia Divinum est, et tutum a Se Ipso, nam nullum malum potest aggredi Bonum, ne quidem potest subsistere in sphaera ubi Bonum, cum modo approximat, malum ex se recedit et relabitur, nam malum est infernale, Bonum est coeleste: similiter fere se habet cum coelesti spirituali, hoc est,

cum Vero ex coelesti origine, seu cum Vero quod est ex Bono, nam hoc verum est verum formatum a Bono, sic ut dici queat forma boni; sed Verum separatum a Bono, quod hic repraesentatur per Ismaelem, et describitur in hoc Versu, prorsus aliud est, nempe instar onagri, et pugnat contra omnes, et omnes contra illud, imo vix aliud cogitat et spirat quam pugnas, delectatio ejus communis, seu affectio regnans est, ut vincat, et cum vincit, gloriatur de victoria, quare describitur per onagrum, seu mulum deserti, aut asinum sylvestrem, qui non cum aliis esse potest; talis vita est vita veri absque bono, imo vita fidei absque charitate; quare cum regeneratur homo, fit quidem per verum fidei, sed usque simul per vitam charitatis, quam Dominus insinuat secundum incrementa veri fidei.

1951. Quod contra facies omnium fratrum suorum habitabit, significet quod continuae contentiones in iis quae fidei sunt, sed quod usque victor erit, constat ex illis quae nunc dicta sunt; quod adhuc plenius describitur, ubi de Ismaelis posteris agitur, his verbis, „Habitaverunt a *Chavillah*, usque ad *Schur*, quod „ad facies *Aegypti*, qua venitur in *Aschur*, ad facies omnium „fratrum cecidit (sors:)“, Gen: XXV: 18. quorum sensus internus patet a significatione Chavillah, Schur, Aegypti, et Assyriae; Chavillah significat illud quod est intelligentiae, ut patet ab illis quae ostensa n: 115; Schur verum procedens a scientificis, de qua supra n: 1928; Aegyptus omne quod est scientiae, n: 1164. 1165. 1186. 1462; et Assyria quod est rationis, n: 119. 1186. ex quorum significationibus in unum sensum redactis, constat, quod per Ismaelem tale Rationale repraesentetur. Ipsum tale Verum in altera vita repraesentative variis modis sistitur, et semper ut forte, validum, durum, adeo, ut prorsus resisti nequeat; dum modo Spiritus cogitant de tali Vero, obvenit quoddam terroris, ex causa quia natura ejus est, ut non cedat, ita nec recedat; ex quibus etiam constare potest, quid per habitare contra facies omnium fratrum significatum sit. [11] Quisquis scire potest, quod in descriptione hac arcanum lateat, sed quale, hucusque nescitum.

1952. Vers: 13. 14. *Et vocavit Nomen Jehovae loquentis ad se, Tu Deus videns me, quia dixit, num etiam hic vidi post videntem me. Propterea vocavit fontem, fons*

Vivo videnti me; ecce inter Kadesch et inter Bared. Et vocavit nomen Jehovae loquentis ad se, significat statum Interioris Hominis Domini, cum illa cogitavit: Tu Deus videns me, significat influxum: quia dixit, num etiam hic vidi post videntem me, significat influxum in Exterioris hominis vitam absque rationali medio: propterea vocavit fontem, significat statum veri inde: fons Vivo videnti me, significat verum ita conspicuum: ecce inter Kadesch et Bared, significat qualitatem.

1953. Et vocavit nomen Jehovae loquentis ad se, quod significet statum Interioris Hominis Domini, cum illa cogitaret, constat ex illis quae antecedunt, et quae sequuntur, tum a significatione Nominis, quod sit nosse qualis est; de qua prius n: 144. 145. 1754: describitur hic status, qualis fuit, seu in quo fuit Dominus, cum ita cogitavit de Rationali; Rationale non potuit hoc cogitare, sed Interior seu Superior Homo, de quo prius n: 1926; nusquam enim potest Rationale cogitare de se, quale est, nam semet nemo potest intueri, sed erit interius seu superius, quod de illo cogitat, quia illud intueri potest; sicut pro exemplo, Auris non potest scire, minus percipere loquelam, quam haurit, sed est interior Auditio, Auris modo discernit sonos articulatos seu voces, interior auditio est, quae capit, et dein interior visus seu intuitio quae percipit, inde per auditionem apperceptio sensus loquelae: similiter se habet in visualibus, primae ideae, quae ab objectis visus excipiuntur, sunt materiales, sicut etiam vocantur, at interior adhuc visus est, qui intuetur illa, et sic cogitat; ita se habet cum Rationali hominis; Rationale nusquam potest se intueri, minus explorare quale est, sed erit interius quoddam, quod hoc facit; quare dum homo hoc potest facere, nempe percipere aliquod falsum in suo Rationali, et aliquod verum quod elucet, et magis si aliquod pugnans et vincens, scire potest, quod sit ex influxu Domini per Internum hominem; Interior Homo Domini, de quo supra 1926, et qui hic intelligitur, erat ille, qui conjunctus fuit Interno, qui Jehovah, ita longe supra Rationale illud, ex illo ut in coelesti luce, videbat et percipiebat, quale Rationale futurum, si in solo Vero esset, non in Bono.

1954. Tu Deus videns me, quod significet influxum, constat ex illis, quae nunc dicta sunt: intuitio a superiori in inferi-

orem, seu quod idem, ab interiori in exteriorem, appellatur Influxus, nam fit per influxum; sicut Visus interior apud hominem, nisi is continue influeret in visum ejus externum seu oculi, nusquam hic capere posset et discernere ullum objectum, nam visus interior est, qui per oculum capit illa quae oculus videt, nusquam oculus, tametsi ita apparet: ex iis quoque constare potest, quantum homo in fallaciis sensuum est, qui credit quod oculus videat, cum tamen est visus ejus spiritus, qui est visus interior, qui per oculum videt; Spiritus, qui apud me, tam bene viderunt per oculos meos illa quae in mundo, ac ego, de quo n: 1880, at illorum quidam, qui in fallaciis sensuum adhuc erant, putarunt quod per suos oculos vidissent, sed ostensum illis quod non ita esset, clausis enim oculis nihil in mundo hoc atmosphaerico viderunt; ita quoque se habet cum homine, ejus spiritus est qui videt, non oculus, sed per oculum; idem etiam constare potest a somniis, in quibus quandoque homo videt sicut in die; sed usque similiter se habet cum visu hoc interiori seu spiritus, hic non videt ex se, sed ex adhuc interiori seu Rationalis ejus, imo nec hic videt a se, sed est adhuc Interior, qui est Interni hominis, de quo n: 1940; sed usque non hic, sed est Dominus per Internum Hominem, qui Solus videt quia Solus vivit, et dat homini ut videat, utque ei appareat sicut ex se videret: ita se habet cum Influxu.

1955. Quia dixit, num etiam hic vidi post videntem me, quod significet influxum in Exterioris hominis vitam absque Rationali medio, constat ex significatione videre post videntem; post videntem videre est ex Interiori seu superiori, quod *intra* seu *supra* in sensu interno, exprimitur per *post* in sensu literae, cum illud apparet in eo quod extra vel infra est; est Hagar, quae hic loquitur, per quam, ut prius ostensum est, significatur vita scientiarum, quae est Exterioris hominis; quia ex illa vita ortum est Rationale primum, ideo Dominus causam, cur ita factum, videbat ex Interiori suo homine in Exteriori, et hoc absque Rationali medio. Quod haec involvant arcana, quisque videre potest, ex eo solum, quod nemo scire possit, quid sit *videre post videntem me,* nisi ex sensu interno, in quo etiam talia sunt, ut ad captum explicari nequeant, nisi per ideas quales sunt Angelicae, quae non cadunt in voces, solum

in sensum vocum, et hoc abstracte ab ideis materialibus, ex quibus ideae sensus vocum; de his, quae tam obscura apparent homini, habent Angeli tam claras et distinctas ideas, tot repraesentationibus locupletatas, ut volumen scriberetur, si modo pauxillum inde describeretur.

1956. Propterea vocavit fontem, quod significet statum veri inde, constat ab illis quae dicta sunt, tum a significatione fontis, quod sit verum, de qua supra n: 1927: quia verum hoc visum fuit non in Rationali, sed infra Rationale, *fons* in lingua originali alia voce, quam supra et communi fontis, exprimitur.

1957. Fons Vivo videnti me, quod significet Verum ita perspicuum, constat quoque ab illis quae dicta, nempe quod Dominus perspicue viderit, quomodo se habuit cum Vero Rationalis hujus, quod non esset bonum. Interior Domini Homo, ex quo vidit dicitur Vivus videns, quia conjunctus Interno, Qui Jehovah, Qui Solus Vivit, et Solus Videt, ut ostensum mox supra, n: 1954.

1958. Ecce inter Kadesch et inter Bared, quod significet qualitatem, nempe quod viderit quale esset hoc Verum, ita quale esset Rationale, constat ex significatione Kadesch et Bared: quod Kadesch significet Verum, tum contentiones de Veris, ostensum est prius, n: 1678; [12] Bared autem quod infra est, ita Verum scientificum, ex quo etiam Rationale. Quod Nomina in Verbo significent res, videatur, n: 1876. 1888. 1889; tum n: 1224. 1264.

1959. Vers. 15. *Et peperit Hagar Abramo filium, et vocavit Abram nomen filii sui, quem peperit Hagar, Jischmael.* Peperit Hagar Abramo filium, significat Rationalem hominem ex conjunctione et conceptione illa natum: et vocavit Abram nomen filii sui, quem peperit Hagar, Jischmael, significat quale ejus.

1960. Peperit Hagar Abramo filium, quod significet Rationalem hominem ex conceptione et conjunctione illa natum, constat a repraesentatione et significatione Hagaris, Abrami, et filii, quod Hagar significet vitam affectionis scientiarum Exterioris hominis, dictum est supra n: 1895. 1896: quod Abram Internum Hominem Domini, n: 1893. 1950; et quod filius

Verum, ita verum, quod hujus Rationalis erat, n: 264. 489. 491, 533. 1147; inde quod peperit Hagar Abramo, significat Rationalem hominem ex conceptione et conjunctione illa natum: in hunc sensum mutatur sensus literae, cum ad Angelos pervenit, seu apud Angelos est.

1961. Et vocavit Abram nomen filii sui, quem peperit Hagar, Jischmael, quod significet quale ejus, constat ex significatione nominis, quod sit nosse qualis est, de qua n: 144. 145. 1754; tum ex repraesentatione et significatione Ismaelis, quod sit Rationale verum, quod describitur in Vers: 11. 12. his verbis, „Apellabis nomen illius Jischmaël, quia audivit Je- „hovah afflictionem tuam. Et is erit onager homo; manus „ejus in omnes, et manus omnium in eum; et contra facies „omnium fratrum suorum habitabit"; de quibus in explicatione istorum Versuum; ejus quale ibi describitur.

1962. Vers: 16. *Et Abram filius octoginta annorum et sex annorum, in pariendo Hagar Jischmaëlem.* Abram filius octoginta et sex annorum, significat statum Domini quoad coelestia acquisita bona per pugnas tentationum: in pariendo Hagar Jischmaëlem, significat cum vita affectionis scientiarum peperit Rationale.

1963. Abram filius octoginta annorum et sex annorum, quod significet statum Domini quoad coelestia acquisita bona per pugnas tentationum, constat a significatione octoginta, qui numerus simile involvit ac quadraginta, quae quod significent tentationes, ostensum est prius, n: 730. 862; et a significatione Sex, quod sit pugna, de qua etiam prius, n: 720. 737. 900; tum quoque a significatione Decem, quod sint Reliquiae, de qua n: 576; quae Reliquiae apud Dominum fuerunt acquisitiones coelestium bonorum, quibus univit Humanam Essentiam Divinae, n: 1906 ad fin. ex his tribus numeris compositus est numerus Octoginta et sex, qui talia involvit, ita significat statum Domini quoad coelestia acquisita bona per pugnas tentationum: omnes enim numeri in Verbo significant res ut ostensum prius n: 482. 487. 575. 647. 648. 755. 813. Hic quia Numeri annorum sunt, et quidem historice nominati de Abram, apparet sicut quod non significativi talium forent; sed in Verbo nihil scriptum est, quod non in spiritualem et coe-

lestem sensum transeat dum ad Angelos, Angeli enim non in aliis quam spiritualibus et coelestibus ideis sunt, ii, dum legitur Verbum ab homine, non sciunt nec percipiunt quid octoginta et sex, nec curant qua aetate fuit Abram cum Hagar ei peperit Ismaëlem, sed ex numero tali lecto, illico obveniunt illis, quae numeri involvunt; et ex reliquis sicut in sensu interno explicata sunt.

1964. In pariendo Hagar Jischmaëlem Abramo, quod significet cum vita affectionis scientiarum peperit Rationale, constat ex significatione Hagaris, quod sit vita affectionis scientiarum; et ex significatione Ismaëlis, quod sit Rationale primo conceptum, de quibus supra. In hoc Capite, quia actum est de Rationali hominis, et descriptum quale est, quando solummodo vera illud constituunt, et quale est cum bona, et ex bonis vera, sciendum, quod Rationale nusquam concipi et nasci, seu formari possit, absque scientificis et cognitionibus; sed scientifica et cognitiones pro fine habebunt usum, et quando usum, pro fine habent vitam, nam omnis vita est usuum quia finium; nisi addiscuntur propter vitam usuum, nullius momenti sunt, quia nullius usus; ex solis illis, nempe scientificis et cognitionibus, absque vita usus, fit Rationale, sicut descriptum, instar onagri, morosum, pugnax, vitam torridam et siccam habens, ex quadam dilectione veri conspurcati amore sui; at cum pro fine habent usum, tunc accipiunt vitam ex usibus, sed talem vitam, qualem usus: qui cognitiones addiscunt, ut perficiantur in fide amoris, nam vera et ipsa fides est amor in Dominum, et erga proximum, illi in omnium usuum usu sunt, et vitam spiritualem et coelestem accipiunt a Domino, et cum in illa vita, in facultate sunt percipiendi omnia quae sunt Regni Domini; in hac vita sunt omnes Angeli, et quia in vita illa, in ipsa intelligentia et sapientia sunt.

1965. Hic nunc est sensus internus rerum in hoc Capite de Abramo, Hagare et Ismaële; sed quam copiosus ille sensus sit, seu indefinita contineat, constare solum exinde potest; quod, sicut omnia et singula, quae in Verbo, in sensu interno spectent Dominum, et agant de Domino, vita Verbi, quia ipsum Verbum, inde est, etiam in sensu interno simul agant de Regno Domini in Coelis, tum de Regno Ipsius in terris, hoc

est, de Ecclesia; similiter de unoquovis, in quo est Regnum Domini; et praeterea in genere de omni Coelesti et Spirituali; nam ex Domino omnia haec: inde est, quod per Abramum etiam repraesentetur Coelestis Ecclesia, Coelestis homo, tum ipsum coeleste, et sic porro, sed eo usque explicationem extendere, prolixissimum foret.

De Visionibus et Somniis, etiam Propheticis, quae in Verbo.

1966. *Paucis notum est, quomodo se habent Visiones, et quae Visiones genuinae sunt; et quia nunc per aliquot annos paene continue cum illis in altera vita fui, ut ex Parte Prima satis constare potest, et stupenda ibi vidi, sic de Visionibus et Somniis per ipsam experientiam informatus sum; de quibus haec licet referre.*

1967. *Venditantur Visiones quorundam, qui dixerunt se vidisse plura, etiam viderunt, sed in phantasia; instructus sum de iis, et ostensum quoque, quomodo existunt; sunt Spiritus, qui inducunt tales species per phantasias, ut appareant sicut forent, ut dum in umbra aliquid vident, aut in lumine lunari, aut etiam in die si objectum in obscuro, tunc spiritus tenent animum ejus in cogitatione alicujus rei fixe et continenter, sive animalis, sive monstri, sive sylvae, sive alius cujuspiam rei, in qua quamdiu tenetur, phantasia augetur, et crescit usque adeo, ut persuadeatur, et videat prorsus sicut ipsa forent; cum tamen nihil aliud sunt, quam illusiones: Cadunt in eos, qui phantasiis multum indulgent, et in infirmitate animi sunt, et inde facti creduli; sunt hi Visionarii.*

1968. *Spiritus Enthusiastici sunt similes, sed hi visiones circa credenda habent, quibus tam fortiter persuadentur, et persuadent aliis, ut jurare possint falsum esse verum, et fallaciam esse reale; de qua natura Spirituum plura ab experientia referri possent, sed de illis, ex Divina Domini Misericordia, in specie: contraxerunt illam ex persuasionibus et principiis falsi, cum vixerunt.*

1969. *Spiritus mali in altera vita vix aliud sunt quam Cupiditates et Phantasiae, non aliam vitam sibi acquisiverunt; phantasiae illorum tales sunt, ut prorsus non aliud percipiant quam quod ita sit: hominum phantasiae cum illorum comparari nequeunt, in excellentiori enim statu sunt, etiam quoad talia: tales phantasiae sunt perpetuae apud Infernales, ubi per phantasias unus alterum miserabiliter cruciat.*

1970. *Per Visiones genuinas intelliguntur Visiones, seu Visa illarum rerum, quae realiter existunt in altera vita, et sunt non nisi quam res, quae oculis spiritus non oculis corporis videri possunt, et apparent homini, quando ejus interior visus aperitur a Domino, hoc est, ille visus, quem ejus spiritus habet, in quem etiam venit, cum separatus a corpore in alteram vitam transit; nam homo est spiritus corpore amictus; tales Visiones fuerunt Prophetarum. Cum aperitur hic Visus, tunc videntur in clariore die, quam est meridiana mundi, illa quae apud Spiritus actualiter existunt, non solum Repraesentativa, sed etiam ipsi Spiritus, una cum perceptione quinam sunt, tum quales sunt, ubi sunt, undenam veniunt, quo abeunt, qua affectione, qua persuasione, imo qua fide sunt, n:* 1388, 1394, *confirmatis per vivam loquelam prorsus ut humanam, et hoc absque omni fallacia.*

1971. *Visiones, quae coram Spiritibus bonis existunt, sunt repraesentativa illarum rerum, quae in Coelo; nam quod in Coelo coram Angelis existit, cum delabitur in mundum spirituum, vertitur in Repraesentativa, ex quibus et in quibus perspici potest, quid significant: talia sunt perpetua apud bonos Spiritus, cum pulchritudine et amoenitate vix enuntiabili.*

1972. *Quod Visiones, seu potius Visa, attinet, quae coram oculis spiritus, non coram oculis corporis apparent, sunt interiora magis et magis; quae vidi in Mundo spirituum, in clara luce vidi; at obscurius illa quae in coelo Spirituum angelicorum; et adhuc obscurius illa quae in coelo Angelorum, nam usque eo raro apertus mihi fuit visus spiritus mei, sed perceptione quadam, quae qualis sit non describi potest, datum est nosse, quid loquerentur, saepius per intermedios spiritus; apparuerunt quandoque illa quae ibi, in umbra lucis coeli, quae umbra non similis est umbrae lucis mundanae, est*

enim lux tenuescens et fatiscens incomprehensibilitate aeque coram intellectu ac coram visu.

1973. *Omnia genera Visionum referre, prolixum nimis foret, sunt enim plura; licet solum ad illustrationem referre binas Visiones, ex quibus constare potest, quales etiam sunt; tum simul quomodo Spiritus afficiuntur illis quae vident, et quomodo mali spiritus cruciantur, cum surripitur illis videre illa quae alii vident et audiunt; non enim sufferre possunt, quod illis tale quippiam auferatur; nam Spiritibus non est sensus gustus, sed cupido quasi appetitus sciendi et discendi loco ejus, hic est quasi cibus illorum, quo nutriuntur, n:* 1480; *quomodo itaque anguntur, cum hic cibus iis aufertur, constare potest ab exemplo, quod sequitur.*

1974. *Post somnum molestum, circa primam vigiliam, sistebatur Visum amoenissimum; erant serta sicut laurea, virentia, in pulcherrimo ordine, mobilia sicut viva, talis formae et concinnitatis, ut describi nequeant ob pulchritudinem et harmoniam, et inde profluentem affectionem beatitudinis; erant duplici serie inter se paulum distante satis in longum consociata, et jugiter statum pulchritudinis variantia; hoc perspicuum erat Spiritibus, etiam malis. Successit postea aliud Visum adhuc pulchrius, in quo felix coeleste, sed modo obscure visibile; erant infantes in ludis coelestibus, qui ineffabili modo afficiebant mentem. Postea de Visis illis loquutus cum Spiritibus, qui fassi quod similiter mecum viderint primum, sed non alterum nisi ita obscure, ut non potuissent dicere, quid esset; inde indignatio apud eos orta, postea per gradus invidia ex eo, quia dictum, quod Angeli et Infantes illud viderint, quam eorum invidiam sensibiliter dabatur percipere, sic ut nihil me fugeret quantum ad instructionem; invidia talis erat, ut apud eos non solum causaretur summam molestiam, sed etiam angorem et interiorem dolorem, ex causa solum quod non ii viderint etiam alterum; ducebantur inde per invidiae varietates usque ut dolerent praecordiis; cum in eo statu essent, loquutus cum illis de invidia, quod contenti possent esse, quod primum viderint, et quod etiam potuissent alterum, si boni fuissent, inde quoque indignatio exasperabat invidiam, quae adhuc crevit usque ad eum gradum, ut*

postea ne quidem sustinerent minimum recordationis ejus, quin dolore afficerentur; status et processus invidiae cum ejus gradibus, incrementis, variatis et mixtis aegritudinibus animi et cordis, non describi possunt: ostensum sic, quantum crucientur impii ex sola invidia, cum beatitudinem bonorum e longinquo vident, imo dum solum de illa cogitant.

1975. *Quod* Somnia *attinet, notum est, quod Dominus apud Prophetas non solum per Visiones, sed etiam per Somnia, arcana coeli revelaverit, et quod Somnia aeque repraesentativa et significativa fuerint, ac Visiones, et quod fuerint fere unius generis; tum quod etiam apud alios, quam apud Prophetas, ventura per Somnia detecta sint, ut per Somnia, quae habuit Josephus, quaeque illi qui in carcere cum Josepho, quae Pharao, quae Nebuchadnezar, et alii; ex quibus constare potest, quod Somnia illius generis, aeque ac Visiones, e Coelo influant, cum differentia, quod Somnia cum dormit corporeum, at Visiones cum non dormit. Quomodo Somnia Prophetica, et talia, quae in Verbo, influant, imo descendunt e coelo, mihi ad vivum ostensum est; de quibus haec ab experientia licet referre.*

1976. *Sunt tria genera Somniorum; Primum genus mediate per Coelum a Domino venit, talia fuerunt Somnia Prophetica, de quibus in Verbo: Alterum, per Spiritus Angelicos, imprimis illos, qui antrorsum supra ad dextrum sunt, ubi Paradisiaca, inde Antiquissimae Ecclesiae homines sua somnia habuerunt, quae fuerunt instructiva, n:* 1122*: Tertium genus, per Spiritus, qui prope sunt cum dormit homo, quae quoque significativa sunt: Somnia autem phantastica aliunde.*

1977. *Ut scirem prorsus, quomodo Somnia influxerint, in somnum missus, et somniavi, quod Navis veniret cum omnis generis deliciosis et sapidis ad esum; quae in Navi non visa, sed recondita erant; super Navi stabant bini vigiles armati, praeter tertium qui erat praefectus navis; transibat navis in quoddam navale cameratum; sic evigilatus, et cogitavi de somnio; tunc alloquebantur me Spiritus angelici qui superne antrorsum ad dextrum, et dicebant, quod introduxerint hoc somnium: utque scirem pro certo quod inde, in statum missus*

sicut in somni et simul vigiliae, et varia quae amoena et deliciosa, similiter inferebant, sicut animalculum ignotum, quod dissipatum instar radiorum nigrescentium et splendentium, qui mirabili pernicitate involabant in oculum sinistrum; sistebant etiam homines, tum infantes varie decoratos, praeter alia cum amoenitate inexpressibili; de quibus etiam cum illis loquutus: Hoc factum non semel, sed aliquoties, et toties ab illis viva voce instructus. Sunt illi Spiritus Angelici, qui in limine ad Paradisiaca sunt, qui talia somnia insinuant; quibus etiam munus vigilandi super quosdam homines, cum dormiunt, injunctum est, ne a malis spiritibus tunc infestentur; hoc munus obeunt cum summa delectatione, adeo ut aemulentur, quinam adsint, et ament afficere hominem jucundis et deliciosis quae vident in ejus affectione et genio; sunt illi qui facti Spiritus angelici ab illis, qui in vita corporis delectati sunt et amaverunt aliorum vitam facere jucundam omni modo et studio; quando aperitur auditus eò usque, auditur inde sicut e longinquo sonorum dulce modulans quasi cantus: dicebant, quod non sciant, unde iis talia, et tam pulchra et amoena Repraesentativa momento obveniant, sed dictum, quod e coelo: pertinent ad provinciam Cerebelli, quia Cerebellum, ut instructus sum, tempore somni vigilat, cum Cerebrum dormit. Inde Antiquissimae Ecclesiae homines sua somnia habuerunt, cum perceptione quid significarent, a quibus quoad multam partem Repraesentativa et Significativa Antiquorum, sub quibus res alte reconditae sistebantur.

1978. *Praeterea sunt alii Spiritus, qui pertinent ad Thoracis sinistri provinciam, a quibus saepius interpolantur; praeter ab aliis, quos tamen non curant.*

1979. *Persaepe datum post Somnia talia loqui cum Spiritibus et Angelis, qui introduxerunt, ii narrantes quid introduxerint, et ego quid viderim, quorum omnium experientiam adducere, nimis prolixum foret.*

1980. *Dignum memoratu est, postquam evigilatus eum referrem quid vidissem in somnio, et hoc longa serie, tunc quidam Angelici spiritus, non ex illis, de quibus supra, dicebant, quod illa prorsus coinciderent et eadem essent cum illis rebus, de quibus loquuti inter se, et quod nihil prorsus*

differret, sed usque quod non essent illa, de quibus sermonem habuerunt, sed repraesentativa eorundem, in quae ideae illorum in mundo spirituum ita versae et mutatae essent; nam ideae Angelorum in Repraesentativa vertuntur in Mundo spirituum; inde omnia et singula, quae inter se loquuti, ita repraesentata in somnio: dictum porro ab illis, quod eadem loquela potuisset in alias repraesentationes verti, imo in similes et dissimiles cum indefinita varietate; quod in tales, fuisse secundum statum spirituum circum me, et inde secundum meum statum, in quo tunc eram: verbo, quod perplura dissimilia somnia possint ex simili loquela, ita ab una origine, delabi et sisti, ex causa, ut dictum, quoniam illa, quae in memoria et affectione hominis, sunt vasa recipientia, in quibus variantur et recipiuntur ideae repraesentative secundum formae eorum variationes, et status mutationes.

1981. *Unum simile licet adhuc referre; somniavi somnium, sed vulgare, dum vigil factus narravi omnia a principio ad finem; Angeli dicebant, quod prorsus coinciderent cum illis quae inter se loquuti, non quod essent illa quae in somnio, sed prorsus alia, in quae versa sunt eorum loquelae cogitata, sic tamen ut essent repraesentativa et correspondentia, imo singula, ut nihil deesset: tum loquutus cum illis de Influxu, quomodo talia influunt et variantur: erat persona, de qua illam ideam habui, quod esset in Vero naturali, quam ideam cepi ex ejus vitae actis; apud Angelos fuit loquela de veritate naturali, quare ille repraesentabatur mihi; et quae is loquebatur mecum in somnio, et agebat, haec ordine repraesentative et correspondenter sequebantur ex eorum sermone mutuo; sed usque nihil erat, quod prorsus simile seu idem fuit.*

1982. *Quaedam animae recentes e mundo, quae desiderant videre gloriam Domini, priusquam tales sint, ut possint admitti, sopiuntur quoad sensus exteriores et facultates inferiores dulci quodam somno, et tunc interiores eorum sensus et facultates in vigiliam eminentem expergiscuntur, et sic in Coeli gloriam immittuntur; sed inducta sensibus et facultatibus exterioribus iterum vigilia, in statum pristinum redeunt.*

1983. *Spiritus mali maximopere cupiunt et flagrant infestare et aggredi hominem cum dormit, sed tunc imprimis*

custoditur homo a Domino; nam Amor non dormit: Spiritus qui infestant, miserabiliter puniuntur; audivi saepius, quam ut narrari possit, punitiones eorum, quae sunt discerptiones, de quibus n: 829. 957. 959, *sub calcaneo pedis sinistri, et hoc quandoque per horaria tempora: Sirenes, quae sunt praestigiatrices interiores, sunt, quae tempore noctis imprimis insidiantur, et in cogitationes et affectiones interiores hominis se infundere tunc tentant, sed toties arcentur per Angelos a Domino, et per gravissimas punitiones tandem absterrentur. Loquutae etiam cum aliis tempore noctis, prorsus sicut a me, mea quasi loquela, tam simili, ut non internosceretur, ingerendo spurca et persuadendo falsa; semel in suavissimo somno fui, in quo nihil praeter dulcem quietem habui, cum expergefactus, quidam boni Spiritus coeperunt me increpare, quod eos infestaverim, ita atrociter, sicut dicebant, ut putaverint se fuisse in inferno, in me rejiciendo culpam, quibus respondi, quod nihil quicquam de ea re scirem, sed quod quietissime dormiverim, sic ut eis nullatenus potuissem infestus esse, quo obstupefacti apperceperunt tandem hoc praestigiis Sirenum factum esse; simile etiam ostensum postea, ex causa, ut scirem qualis Sirenum turba sit; sunt praecipue ex sexu foeminino, quae in vita corporis per interiores astutias allicere ad se studuerunt socios, per externa se insinuando, captando animos quocunque modo, intrando in cujusvis affectiones et jucunda, sed fine malo, cumprimis imperandi; inde iis talis natura in altera vita, quod videantur ex se omnia posse, hauriendo et excogitando varias artes, quas arripiunt tam facile, sicut spongiae aquas aeque sordidas ac limpidas, ita illae tam prophana quam sancta, quae insorbent et in actum mittunt, fine, ut dictum, imperandi: datum interiora earum percipere, quam foeda sint, adulteriis et odiis conspurcata; tum etiam datum percipere, quam efficax earum sphaera sit, interiora sua in statum persuasionis redigunt, ut in talia, quae intendunt, conspirent interiora cum exterioribus, ita adigunt et violenter adducunt spiritus ad cogitandum prorsus sicut illae; ratiocinia apud eas nulla patent, sed est simultaneum quoddam ratiociniorum malis affectionibus inspiratorum, ita operans, cum applicatione ad genios, et immissio sic in aliorum*

animos, quos inducunt, et persuasione aut obruunt aut captant: nihil plus student, quam Conscientiam destruere, qua destructa, interiora hominum possident, imo obsident, tametsi homo hoc ignorat; hodie non dantur obsessiones externae, sicut olim, sed internae a talibus; qui nulla conscientia sunt, illi ita obsessi sunt, cogitationum eorum interiora non absimiliter insaniunt, sed celantur et obvelantur externo decoro, et simulatorio honesto, ex causa sui honoris, lucri, famae; hoc iis, si ad cogitationes suas attendunt, etiam notum esse potest.

FINIS.



PARS SECUNDA.

LIBRI GENESEOS

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

1984. Pauci possunt credere, quod in Verbo sit, Sensus internus, qui prorsus non elucet ex litera, et hoc quia tam remotus est a sensu literae, ut quasi distet sicut Coelum a terra; sed quod sensus literae in se talia contineat, et quod sit repraesentativus et significativus arcanorum, quae nemo videt, quam Dominus, et angeli a Domino, constat ab illis, quae in Parte Prima passim dicta sunt; se habet sensus literae ad Sensum internum, sicut hominis corpus ad ejus animam, homo dum in corpore est, et ex corporeis cogitat, paene nescit aliquid de anima, nam corporis functiones aliae sunt quam animae, adeo, ut si functiones animae detegerentur, non agnoscerentur quod tales; ita se habet quoque cum internis Verbi, in internis ejus est anima, hoc est, vita illius, haec, nempe interna, nihil aliud spectant quam Dominum, Ipsius Regnum, Ecclesiam, et illa quae Ipsius Regni et Ecclesiae sunt apud hominem; quae cum spectantur, est Verbum Domini, nam tunc est ipsa vita in illis; quod ita se habeat, multis confirmatum est in Parte Prima; et pro certo scire datum; nusquam enim aliquae ideae de corporeis et mundanis transire possunt ad Angelos, sed exuuntur illae et prorsus removentur in primo limine cum abeunt ab homine, ut ab ipsa experientia videri potest in Parte Prima, n: 1769 ad 1772 incl. et quomodo mutantur, n: 1872 ad 1876. Hoc quoque satis constare potest ex perplurimis in Verbo, quae nusquam intelligibilia sunt in sensu literae, quae, nisi illis anima seu vita

talis inesset, non agnoscerentur pro Verbo Domini, nec ulli, qui non ab infantia imbuit quod crederet Verbum esse inspiratum et sic sanctum, apparerent ut Divina: quis ex sensu literae sciret quid significant illa quae Jacobus loquutus ad filios suos ante mortem, Genes. Cap: XLIX, « *Quod Dan serpens super via, aspis super semita, mordens calcaneos equi, et cadet eques ejus retrorsum,* » vers. 17. « *Quod Gadem turma depraedabitur, et ille depraedabitur calcaneum* », vers. 19. « *Quod Naphtali cerva dimissa, dans sermones* [1] *elegantiae* », vers. 21. « *Quod Jehuda ligabit ad vitem asininum pullum suum, et ad vitem nobilem filium asinae suae: lavabit in vino vestimentum suum, et in sanguine uvarum velamen suum: ruber oculis prae vino, et albus dentibus prae lacte* », vers. 11. 12. similiter in perplurimis locis apud Prophetas; at quid haec significant, nusquam patet nisi in sensu interno, in quo omnia et singula pulcherrimo ordine cohaerent. Similiter quae Dominus dixit de ultimis temporibus, apud Matthaeum, « In consummatione saeculi, *Sol obscurabitur, et Luna non dabit lucem suam; et stellae cadent de coelo, et virtutes coelorum commovebuntur; et tunc apparebit signum filii hominis; et tunc plangent omnes Tribus terrae* », XXIV: 29. 30. haec nusquam significant obscurationem solis et lunae, nec delapsum stellarum de Coelo, nec planctum Tribuum, sed Charitatem et Fidem, quae in sensu interno sunt Sol et Luna, et obscurabuntur; tum cognitiones boni et veri, quae sunt stellae, et hic vocantur virtutes coelorum, quae ita decident et evanescent; et quod omnia fidei, quae sunt Tribus terrae; ut quoque ostensum est in Parte Prima n: 31. 32. 1053. 1529. 1530. 1531. 1808. Ex his paucis nunc constare potest, quid sensus internus Verbi, tum quod remotus, et aliquibus in locis remotissimus sit, a sensu literae: sed usque Sensus literae repraesentat vera, et sistit apparentias veri, in quibus homo esse potest, dum non in luce veri.

CAPUT XVII.

1 Et fuit Abram filius nonaginta annorum et novem annorum, et apparuit Jehovah ad Abramum, et dixit ad illum, Ego Deus Schaddai, ambula tibi coram me, et esto integer.

2. Et dabo foedus meum inter Me et inter te, et multiplicabo te in valde valde.

3. Et cecidit Abram super facies suas; et loquutus est cum illo Deus, dicendo.

4. Ego, ecce foedus meum cum te, et eris in patrem multitudinis gentium.

5. Et non vocabitur amplius nomine tuo Abram, et erit nomen tuum Abraham, quia patrem multitudinis gentium dedi te.

6. Et fructificabo temet in valde valde, et dabo te in gentes, et reges ex te exibunt.

7. Et erigam foedus meum inter Me, et inter te, et inter semen tuum post te, in generationes illorum, in foedus aeternum, ad esse tibi in Deum, et semini tuo post te.

8. Et dabo tibi, et semini tuo post te, terram peregrinationum tuarum, omnem terram Canaan, in possessionem aeternam, et ero illis in Deum.

9. Et dixit Deus ad Abraham, et tu foedus meum custodies, tu et semen tuum post te, in generationes eorum.

10. Hoc foedus meum, quod custodietis inter Me et inter vos, et inter semen tuum post te, circumcidi vobis omnem masculum.

11. Et circumcidetis carnem praeputii vestri, et erit in signum foederis inter Me et inter vos.

12. Et filius octo dierum circumcidetur vobis, omnis masculus, in generationes vestras, natus domus, et emptio argenti, ab omni filio, alienigena, qui non e semine tuo ille.

13. Circumcidendo circumcidetur natus domus tuae, et emptio argenti tui, et erit foedus meum in carne vestra in foedus aeternum.

14. Et praeputiatus masculus, qui non circumciditur carne praeputii sui, et excidetur anima illa ex populis suis, foedus meum irritum fecit.

15. Et dixit Deus ad Abraham, Sarai uxor tua non vocabis nomine ejus Sarai, quoniam Sarah nomen illius.

16. Et benedicam illi, et etiam dabo ex illa tibi filium; et benedicam illi, et erit in gentes, reges populorum ex illa erunt.

17. Et cecidit Abraham super facies suas, et risit, et dixit

in corde suo, num filio centum annorum nascetur, et an Sarah filia nonaginta annorum pariet.

18. Et dixit Abraham ad Deum, utinam Jischmaël vivat coram Te.

19. Et dixit Deus, vere Sarah uxor tua pariens tibi filium, et vocabis nomen illius Jischak, et erigam foedus meum cum illo in foedus aeternum semini illius post illum.

20. Et quoad Jischmaëlem audivi te, ecce benedicam illi, et fructificari faciam illum, et multiplicari faciam illum in valde valde, duodecim principes gignet, et dabo illum in gentem magnam.

21. Et foedus meum erigam cum Jischako, quem pariet tibi Sarah ad statum tempus hoc in anno sequente.

22. Et absolvit ad loquendum cum illo, et ascendit Deus de super Abrahamo.

23. Et accepit Abraham Jischmaëlem filium suum, et omnes natos domus suae, et omnem emptionem argenti sui, omnem masculum in viris domus Abrahami, et circumcidit carnem praeputii eorum, in eodem die hoc, quemadmodum loquutus cum illo Deus.

24. Et Abraham filius nonaginta et novem annorum in circumcidendo illo carnem praeputii sui.

25. Et Jischmaël filius illius, filius tredecim annorum, in circumcidendo illi carnem praeputii ejus.

26. In eodem die hoc circumcisus est Abraham, et Jischmaël filius ejus.

27. Et omnes viri domus ejus, natus domus, et emptio argenti, a filio alienigena, circumcisi sunt cum illo.

CONTENTA.

1985. Agitur hic de unione Divinae Essentiae Domini cum Humana, et Humanae cum Divina; ut et de conjunctione Domini per Humanam Essentiam cum Genere humano.

1986. Quod Jehovah manifestatus Domino in Humano Ipsius, vers: 1. Praedicens unionem, vers: 2, 3. nempe Divini cum Humano, et Humani cum Divino, vers: 4, 5. Et quod ab Ipso omne bonum et verum, vers: 6. Quod ita con-

junctio fieret Divini cum humano genere per Ipsum, vers: 7. Et quod Regnum coeleste Ipsius foret, quod daturus illis qui fidem in Ipsum haberent, vers: 8, 9. Sed quod homo prius removebit amores et eorum foedas cupiditates, ac ita purificabitur, hoc est quod repraesentatum est et significatur per Circumcisionem, vers: 10, 11. Ita conjunctio fieret, tam cum illis qui intra Ecclesiam, quam cum illis qui extra, vers: 12. Quod omnino purificatio praecedet, aliter nulla conjunctio, sed damnatio; et quod conjunctio usque non existere possit nisi in impuro hominis, vers: 13, 14. Praedicitur Humanae Essentiae unio cum Divina, seu Veri cum Bono, vers: 15, 16, 17. Tum conjunctio cum illis qui in veris fidei, nempe sicut cum illis qui ab Ecclesia coelesti, ita cum illis qui ab Ecclesia spirituali, vers: 18, 19. Et quod hi quoque imbuerentur bonis fidei, vers: 20. Conclusio, quod haec per unionem Essentiae Humanae cum Divina in Domino, vers: 21. Finis praedictionis, vers: 22. Quod ita fieret, et ita factum sit, vers: 23, 24, 25, 26, 27.

SENSUS INTERNUS.

1987. Vers: 1. *Et fuit Abram filius nonaginta annorum et novem annorum, et apparuit Jehovah ad Abram, et dixit ad illum, Ego Deus Schaddai, ambula tibi coram Me, et esto integer.* Fuit Abram filius nonaginta annorum et novem annorum, [2] significat tempus antequam Dominus plene conjunxit Internum Hominem cum Rationali; Abram significat Dominum in illo statu et in illa aetate: et apparuit Jehovah ad Abramum, significat manifestationem: Ego Deus Schaddai, significat nomen Dei Abrami in sensu literae, per quod primum coram illis repraesentatus Dominus: ambula tibi coram Me, significat verum fidei: et esto integer, significat bonum.

1988. Fuit Abram filius nonaginta annorum et novem annorum, quod significet tempus antequam Dominus plene conjunxit Internum Hominem cum Rationali, constat a significatione Novem cum praecedunt ante Decem, seu quod idem, Nonaginta novem ante Centum; nam Abram, cum ei natus

Isacus, erat aetate Centum annorum. Qualis sensus internus Verbi est, constare imprimis potest a Numeris, sicut a Nominibus; Numeri, quicunque sunt, in Verbo significant res, sicut etiam Nomina, nam nihil usquam in Verbo est, in quo non Divinum est, seu quod non internum sensum habet; qui quam remotus sit a sensu literae, cumprimis inde patet; Nomina enim et Numeri in Coelo nusquam attenduntur, sed illa quae per nomina et numeros significantur, sicut pro exemplo, quoties numerus Septem occurrit, illico loco septem sanctum obvenit Angelis, nam Septem significant Sanctum ex eo quod Coelestis homo sit Septimus dies seu Sabbatum, ita quies Domini, n: 84 ad 87. 395. 433. 716. 881: similiter se habet cum reliquis numeris, sicut cum Duodecim, quoties duodecim occurrunt, obvenit Angelis idea omnium quae sunt fidei, ex causa, quia duodecim Tribus illa significabant, n: 577: quod Numeri significent res in Verbo, in Parte Prima ostensum videatur, n: 482. 487. 488. 493. 575. 647. 648. 755. 813. 893. Similiter se habet cum numero Nonaginta novem, qui quod significet tempus antequam Dominus plene conjunxit Internum Hominem cum Rationali, constat a significatione Centum annorum, quos habuit Abram cum ei natus Isacus, per quem repraesentatur et significatur Rationalis Homo Domini qui conjunctus Interno Ipsius, hoc est, Divino: Centum significant idem in Verbo quod Decem, quia ille numerus compositus est a decem in decem multiplicatis, et Decem significant Reliquias, quod in Parte Prima ostensum, n: 576; quid Reliquiae apud hominem, videatur n: 468. 530. 561. 660. 1050. et quid Reliquiae apud Dominum, n: 1906: arcana haec non ulterius possunt exponi, sed quisque concludere potest, dum prius sibi notum fecerit, quid sunt Reliquiae; hodie enim quid sunt, ignoratur: modo hoc sciatur, quod Reliquiae apud Dominum significent Divina bona, quae Ipse Sibi propria potentia comparavit, per quae Humanam Essentiam univit Divinae: ex his constare potest, quid significatur per Nonaginta novem, quae quia praecedunt Centum, significant tempus antequam Dominus plene conjunxit Internum Hominem cum Rationali; per Jischmaëlem repraesentatum est primum Rationale apud Dominum, quod quale fuit, ostensum satis superque in Capite Praecedente XVI; at per Isacum repraesentatur

Rationale Domini Divinum, ut in sequentibus constabit. Quod Abram tam diu moratus in terra Canaane, nunc 24 annis, 10 annis antequam natus Ismaël, et postea 13 annis, et nondum ex Sarai uxore habuit filium, sed quod tunc primum promissio facta de filio cum nonaginta novem annorum esset, quisque videre potest quod arcanum involvat; arcanum erat, quod repraesentaret per illa unionem Divinae Essentiae Domini cum Ipsius Humana, et quidem Ipsius Interni Hominis, qui Jehovah, cum Ipsius Rationali.

1989. Abram quod significet Dominum in illo statu et in illa aetate, constat ex illis, quae prius de Abramo dicta sunt: Abram in sensu interno repraesentat Dominum, nam alius Abram, cum nominatur in Verbo, in Coelo non intelligitur: quid Abram, quidem illi qui intra Ecclesiam nati sunt, et audiverunt ex Verbo de illo cum veniunt in alteram vitam, norunt, sed quia est sicut alius, nec quicquam auxilii eis ferre potest, non amplius curant; et informantur, quod per Abramum in Verbo nullus alius intellectus sit quam Dominus; Angeli vero, qui in coelestibus ideis sunt, et non illas figunt in aliquo homine, prorsus ignorant Abramum, quare dum legitur ab homine Verbum, et nominatur Abram, non alium, quam Dominum percipiunt, et ad haec verba, Dominum in illo statu et in illa aetate, nam hic Jehovah loquitur cum Abramo, hoc est, cum Domino.

1990. Apparuit Jehovah Abramo, quod significet manifestationem, constat absque explicatione, nam, ut dictum, per Abramum repraesentatur Dominus. Nullus hominum in universo terrarum orbe, vidit Jehovam, Patrem Domini, sed Dominus solus, sicut Ipse dixit apud Johannem, „Deum nemo „vidit unquam, Unigenitus filius, qui in sinu Patris, ille ex„posuit," 1: 18. apud Eundem „Neque vocem Ipsius audivi„stis unquam, neque speciem Ipsius vidistis," V: 37. et iterum apud Eundem, „Non quod Patrem viderit quis, nisi qui „apud Patrem, hic vidit Patrem," VI: 46. Ipsum Infinitum, quod supra omnes Coelos, et super intima apud hominem, non manifestari potest, nisi per Divinum Humanum, quod solum apud Dominum; communicatio Infiniti cum finitis nusquam dabilis est aliunde; quae quoque causa est, cum Jehovah appa-

ruit Antiquissimae Ecclesiae hominibus, et postmodum Antiquae Ecclesiae, quae post diluvium, tum dein Abrahamo et Prophetis, quod manifestatus illis sicut homo, qui quod fuerit Dominus, Ipse aperte docet, apud Johannem, „Abrahamus pater „vester exultavit, ut videret diem meum, et vidit, et gavisus „est: amen, amen dico vobis, priusquam Abrahamus fuit, Ego „sum," VIII: 56. 58. praeter apud Prophetas, ut apud Danielem, cui visus „ut filius hominis," VII: 13. inde constare potest, quod Infinitum Esse, quod est Jehovah, nusquam manifestari potuit homini, nisi per Humanam Essentiam, ita nisi per Dominum; ac ita quod nulli manifestatum sit, quam soli Domino; ut quoque adesse et conjungi potuisset homini, postquam se homo a Divino prorsus removit, et foedis cupiditatibus, et sic meris corporeis et terrestribus, immersit, ipsam Humanam Essentiam actualiter per nativitatem assumsit, ut sic Infinitum Divinum homini tam remoto usque adjungere posset, alioquin periissent morte damnatorum in aeternum. Reliqua arcana de manifestatione Jehovae in Humano Domini, quando in statu humiliationis fuit, antequam Essentiam Humanam plene univit Divinae, et ipsam glorificavit, ex Divina Domini Misericordia, in sequentibus, quantum ad captum, exponentur.

1991. Dixit ad illum, quod significet perceptionem, constat ex perceptione Domini, quae fuit a Jehovah, de qua prius n: 1919; et quod dicere Jehovah seu Deus, in interno sensu significet percipere, n: 1602. 1791. 1815. 1819. 1822.

1992. Ego Deus Schaddai, quod significet nomen Dei Abrami in sensu literae, per quod primum coram illis repraesentatus Dominus, constat ex illis, quae in Verbo de Abramo, et de domo patris ejus, quod alios deos adoraverint: in Syria, unde Abram, Ecclesiae Antiquae reliquiae manserunt, et ibi plures familiae retinuerunt cultum, ut constat ex Ebero, qui inde, unde gens Hebraea, et similiter retinuerunt nomen Jehovae, ut patet ex illis quae in Parte Prima ostensa sunt, n: 1343, et ex Bileamo, qui etiam ex Syria, et sacrificia obtulit, et Jehovam Deum suum appellavit; quod e Syria, Num: XXIII. 7. quod sacrificia obtulit, Num: XXII: 39, 40. Cap: XXIII: 1. 2. 3, 14. 29. quod Jehovam Deum suum appellavit, Num: XXII: 8. 13. 18. 31. Cap: XXIII: 8. 12. 16. Domus vero

Therachi patris Abrami et Nachoris non ita; illa ibi inter familias gentium erat, quae non solum perdiderunt nomen Jehovae, sed etiam serviverunt aliis diis, et pro Jehovah coluerunt Schaddai, quem suum deum appellarunt; quod perdiderint nomen Jehovae, constat ab illis, quae allata sunt, in Parte Prima, n. 1343; et quod serviverint aliis diis, aperte dicitur apud Josuam, „ Dixit „ Josua ad omnem populum; sic dixit Jehovah Deus Israëlis, „ *trans fluvium habitarunt patres vestri* a saeculo, *Therachus* „ *pater Abrahami* et *pater Nachoris*, et *serviverunt diis aliis:* „ nunc timete Jehovam, et servite Ipsi in integritate et veritate; „ et removete *deos*, *quibus serviverunt patres vestri trans flu-* „ *vium*, et in Aegypto, et servite Jehovae: et si malum in „ oculis vestris servire Jehovae, eligite vobis hodie, cui servia- „ tis, sive *diis*, *quibus serviverunt patres vestri*, *qui trans* „ *fluvium*, sive diis Emorraeis, " XXIV: 2. 14. 15. quod etiam Nachor frater Abrami, et gens ex illo, serviverit aliis diis, constat quoque ex Labane Syro, qui fuit in urbe Nachoris, et coluit imagines seu Theraphim, quas abstulit Rachel, Gen: XXIV: 10. Cap: XXXI: 19. 26. 32. 34. videantur quae de illis in Parte Prima, n: 1356: quod pro Jehovah coluerint Schaddai, quem suum deum appellarunt, manifeste dicitur apud Mosen, „ *Ego Jehovah apparui Abrahamo, Isaco et Jacobo*, *in deo* „ *Schaddai, et nomine meo Jehovah non notus fui illis*, " Exod: VI: 3. Ex his constare potest, qualis fuit Abram in juventute sua, quod nempe sicut alii gentiles, idololatra, et quod adhuc, dum in terra Canaane fuit, non ex animo suo rejecerit deum Schaddai, quo significatur nomen dei Abrami in sensu literae, et quod per illius nomen coram illis, nempe Abrahamo, Isaco et Jacobo, ut patet ex loco citato, Exod: VI: 3, primum repraesentatus Dominus: quod Dominus primum repraesentari voluit coram illis per nomen Schaddai, causa est, quia Dominus nusquam subito, minus momento, destruere vult inseminatum alicui ab infantia cultum, nam hoc foret evellere radicem, et sic destruere sanctum adorationis et cultus alte implantatum, quod Dominus nusquam frangit, sed flectit; sanctum cultus ab infantia irradicatum hoc secum habet, quod non patiatur violentiam, sed flexionem lentam et clementem; simile fit cum gentilibus, qui in vita corporis coluerunt idola, et tamen in chari-

tate mutua vixerunt, sanctum eorum cultus, quod quia ab infantia eorum irradicatum, in altera vita non momento tollitur, sed successive; qui enim in charitate mutua vixerunt, eis implantari facile possunt bona et vera fidei, quae postea cum gaudio recipiunt; nam charitas est ipse humus: ita factum cum Abrahamo, Isaco et Jacobo, quod nempe passus Dominus, ut retinerent nomen dei Schaddai, usque adeo, ut diceret se esse deum Schaddai; et hoc ex significatione ejus: Interpretes Schaddai reddunt Omnipotentem, alii Fulminatorem; sed proprie significat Tentatorem, et post tentationes Benefactorem, sicut constat apud Hiobum, qui toties eum, quia in tentationibus fuit, memorat, ut ex his locis apud eum constare potest, „Ecce „beati, homo quem castigat Deus; et *disciplinam Schaddai* „*ne repudies*," V: 17. „*Sagittae Schaddai* mecum, *terrores* „*Dei* aciem instruunt mihi," VI: 4. „*Timorem Schaddai* re„linquet," VI: 14. „Ego ad *Schaddai* loquar, et disceptare „cum *Deo* volo," XIII: 3. „Extendit adversus *Deum* manum „suam, et adversus *Schaddai* confortat se," XV: 25. „Vide„bunt oculi illius exitium illius, et de *furore Schaddai bibet*," XXI: 20. „*Schaddai* non invenies eum, magnus potentia, et „judicio, et magnitudine justitiae, *non affliget*," XXXVII: 23. tum apud Joëlem, „Hei diei, quia propinquus dies Jehovae, „et sicut *devastatio a Schaddai* veniet," I: 15; quod etiam constare potest ab ipsa voce Schaddai, quae significat vastationem, ita tentationem, nam tentatio est species vastationis; sed quia originem tulit a gentibus in Syria, non vocatur Elohim Schaddai, sed El Schaddai, et apud Hiobum modo Schaddai, et El seu Deus separatim nominatur. Quia post Tentationes Solatium, etiam eidem Schaddai tribuerunt bonum quod inde, ut apud Hiobum, Cap: XXII: 17. 23. 25. 26; tum intellectum veri, qui etiam inde, Cap: XXXII: 8. Cap: XXXIII: 4. et quia sic pro deo Veri habitus, nam vastatio, tentatio, castigatio, et increpatio, nusquam est Boni, sed est Veri; et quia coram Abrahamo, Isaco, et Jacobo per eum repraesentatus Dominus, retentum fuit nomen, etiam apud Prophetas, sed ibi per Schaddai intelligitur Verum, ut apud Ezechielem „Audivi vocem „alarum Cheruborum, tanquam vocem aquarum multarum, tan„quam *vocem Schaddai*, cum ibant, vocem tumultus [3], tan-

„quam vocem castrorum," I: 24. apud Eundem, „Atrium impletum est splendore gloriae Jehovae, et vox alarum Cheruborum audita est, usque ad atrium exterius, tanquam *vox* „*dei Schaddai cum loquitur,*" X: 4. 5. ubi Jehovah pro bono, Schaddai pro vero; per alas in Verbo similiter illa, quae sunt veri, in sensu interno significantur. Etiam Isacus et Jacobus deum Schaddai nominant in simili sensu, qui nempe tentat, et liberat a tentatione, et postea benefacit; Isacus ad filium suum Jacobum, cum fugeret pro Esavo, „*Deus Schaddai* benedicat „tibi, et fructificet, et multiplicet te," Gen: XXVIII: 3. Jacobus ad filios suos, cum proficiscerentur in Aegyptum ad emendum frumentum, cum tantum timuerunt Josephum, „*Deus* „*Schaddai* det vobis misericordias coram viro, et dimittat vobis „fratrem vestrum alterum, et Benjaminem," Gen: XLIII: 14. Jacobus, ibi Israël, benedicens Josepho, qui prae suis fratribus in tentationum malis fuit, et inde liberatus, „A Deo patris tui, „et juvabit te, et cum *Schaddai*, et benedicet tibi," Gen: XLIX: 25. Inde nunc est, quod Dominus primum voluit repraesentari per Deum Schaddai, quem Abram coluit, dicens, „Ego „*Deus Schaddai*," similiter dein coram Jacobo, „Ego *Deus* „*Schaddai*, fructificare et multiplicare," Gen: XXXV: 11. ex causa etiam, quia in praecedentibus, de tentationibus, in interno sensu, actum. Cultus Schaddai apud illos inde originem duxit, quod, sicut apud gentem quandam, de qua, ex Divina Domini Misericordia, in sequentibus, etiam apud illos qui fuerunt ab Ecclesia Antiqua, saepius auditi fuerint Spiritus qui increparent, tum qui dein consolarentur; Spiritus qui increparunt percepti ad latus sinistrum sub brachio, Angeli tunc aderant a capite, qui regebant Spiritus, et moderabantur increpationem; et quia nihil non, quod per Spiritus illis dicebatur, putabant Divinum esse, Spiritum illum increpatorem nominabant Schaddai; et quia etiam consolabatur postea, deum Schaddai: illo tempore, sicut etiam Judaei, in ea religione fuerunt, quia sensum internum Verbi non intellexerunt, quod omne malum, ita omnis tentatio, *a Deo*, sicut omne bonum, ita omne solatium, veniret; sed quod aliter se habeat, videantur quae in Parte Prima, n: 245. 592. 696. 1093. 1874. 1875.

1998. Quod ambula coram Me, significet verum fidei,

constat a significatione Ambulare, quod sit vivere secundum verum fidei, de qua n: 519; tum a significatione Viae, ex qua praedicatur ambulare, quod sit verum, de qua n: 627.

1994. Et esto integer, quod significet bonum charitatis, constat a significatione Integri, quod sit facere bonum ex vero, hoc est, bonum ex conscientia veri, ita ex charitate, nam haec conscientiam facit, de qua ejus significatione videatur n: 612. at quia de Domino, in sensu interno, agitur, per Integrum significatur bonum charitatis, nam ex charitate procedit bonum, adeo, ut ipsum verum, quod inde, sit bonum.

1995. Vers: 2. *Et dabo foedus meum inter Me et inter te, et multiplicabo te in valde valde.* Dabo foedus meum inter Me et inter te, significat unionem Interni Hominis, qui Jehovah, cum Interiori: et multiplicabo te in valde valde, significat fructificationem affectionis veri in infinitum.

1996. Dabo foedus meum inter Me et inter te, quod significet unionem Interni Hominis, qui Jehovah, cum Interiori, constat ex significatione foederis, quod sit conjunctio; quoties enim foedus inter Jehovam et hominem, in Verbo memoratur, non aliud per foedus in sensu interno, quam conjunctio Domini cum homine, significatur; foedera toties pacta inter Jehovam et posteros Jacobi, nihil aliud repraesentarunt; quod quia confirmatum in Parte Prima, n: 665. 666. 1023. 1038. 1864, superfluum foret hic iterum confirmare. Internus Homo Domini fuit Jehovah, quia ab Ipso conceptus; Interior autem repraesentatur hic per Abramum, quare foedus inter Me et inter te, significat unionem Interni Hominis, seu Jehovae, cum Interiori, ita cum Humana Domini Essentia.

1997. Multiplicabo te in valde valde, quod significet fructificationem affectionis veri in infinitum, constare potest a significatione Multiplicari, quod praedicetur de vero, de qua n: 43. 55. 913. 983; et quia de Domino, significat fructificationem Veri ex Bono in infinitum, de qua prius n: 1940. Sunt binae Affectiones, nempe affectio boni, et affectio veri; Affectio boni est facere bonum ex amore boni, Affectio veri est facere bonum ex amore veri; hae binae Affectiones apparent primo intuitu sicut forent eaedem, sed sunt in se distinctae, tam quoad essentiam, quam quoad originem; Affectio boni seu facere

bonum ex amore boni, est proprie voluntatis, sed Affectio veri seu facere bonum ex amore veri est proprie intellectus; ita binae hae Affectiones inter se distinctae sunt, sicut voluntas et intellectus: Affectio boni est ex amore coelesti, sed Affectio veri est ex amore spirituali; Affectio boni non praedicari potest nisi de homine coelesti, sed Affectio veri de homine spirituali; quid coeleste et homo coelestis, et quid spirituale seu homo spiritualis in Parte Prima satis ostensum est. Antiquissima Ecclesia, quae fuit ante diluvium, erat in affectione boni, sed Antiqua Ecclesia, quae post diluvium, erat in affectione veri; illa enim erat, Ecclesia Coelestis, haec autem Ecclesia spiritualis; omnes Angeli in coelis sunt distincti in coelestes et spirituales, coelestes sunt qui in affectione boni, spirituales qui in affectione veri; illis apparet Dominus ut Sol, his autem ut Luna, n: 1529. 1530. 1531. 1838: hanc, seu affectionem veri Dominus univit affectioni boni, quae est facere bonum ex amore boni, cum Humanam Essentiam univit Divinae: inde per multiplicari in valde valde, significatur fructificatio veri ex bono in infinitum.

1998. Vers: 3. *Et cecidit Abram super facies suas; et loquutus est cum illo Deus, dicendo.* Cecidit Abram super facies suas, significat adorationem: et loquutus cum illo Deus, dicendo, significat perceptionis gradum; Deus dicitur, quia per Deum Schaddai, quem Abramus coluit, repraesentatur Dominus; tum quia de vero agitur, quod uniendum bono.

1999. Cecidit Abram super facies suas, quod significet adorationem, constat absque explicatione. Cadere super facies fuit ritus adorandi Antiquissimae Ecclesiae, et inde Antiquorum, ex causa quia facies significabat interiora, quorum humiliationis status repraesentabatur per cadere super facies; inde in Ecclesia Repraesentativa Judaica solenne factum; adoratio vera seu humiliatio cordis prostrationem ad terram super facies coram Domino, ut gestum naturaliter inde profluentem, secum habet; in humiliatione enim cordis, est agnitio sui, quod nihil nisi spurcum sit, et simul agnitio infinitae Misericordiae Domini erga tale; in quibus agnitionibus cum tenetur mens, ipsa mens versus infernum se demittit, et prosternit corpus, nec se elevat priusquam a Domino elevatur; quod fit in omni vera humiliatione cum perceptione elevationis ex Misericordia Domini; talis

fuit humiliatio hominum Antiquissimae Ecclesiae; sed aliter se habet cum adoratione, quae non ex humiliatione cordis, videatur n: 1153. Quod Dominus adoravit et oravit Jehovam Patrem suum, ex Verbo apud Evangelistas notum est, et hoc sicut alium a se, tametsi Jehovah in Ipso; sed status in quo tunc Dominus fuerat, status humiliationis Ipsius fuit, qui qualis fuit, in Parte Prima dictum est, nempe quod tunc in infirmo humano, quod a matre fuit; at quantum hoc exuit, et Divinum induit, tantum in alio statu fuit, qui status dicitur status Glorificationis Ipsius; in priori statu adoravit Jehovam sicut alium a Se, tametsi in Se, nam, ut dictum, Internum Ipsius fuit Jehovah; sed in hoc, nempe statu glorificationis, loquutus est cum Jehovah, ut cum Se, nam fuit Ipse Jehovah. At quomodo haec se habent, non capi potest, nisi sciatur quid Internum, et quomodo Internum agit in Externum; et porro quomodo Internum et Externum inter se distincta sunt, et usque conjuncta; sed tamen hoc illustrari potest per simile, nempe per Internum apud hominem, et ejus influxum et operationem in Externum apud eum; quod homo Internum habeat, quod Interius seu Rationale, et quod Externum, videatur prius n: 1889, 1940; Internum hominis est ex quo homo est homo, et per quod distinguitur a brutis animalibus; per hoc Internum vivit homo post mortem, et in aeternum; et per illud a Domino inter Angelos potest elevari; est ipsa prima forma ex qua homo fit et est homo; per Internum hoc Dominus unitur homini; ipsum Coelum Domino proximum est ab Internis his humanis, sed usque supra Coelum intimum Angelicum, quare illa sunt Ipsius Domini; ita omne Humanum Genus est praesentissimum sub oculis Domini; distantia, quae apparet in sublunari orbe, nulla est in coelo, minus supra coelum, videantur quae ab experientia, n: 1275. 1277: Interna illa hominum non habent vitam in se, sed sunt formae recipientes vitae Domini; quantum nunc homo est in malo, tam actuali quam haereditario, tantum quasi separatus est ab hoc Interno quod est Domini et apud Dominum, ita tantum a Domino; nam illud tametsi adjunctum est homini, et ab eo inseparabile, usque tamen homo, quantum recedit a Domino, tantum se quasi separat ab illo, videatur n: 1594; sed separatio non est evulsio ab illo, tunc enim

homo non amplius potuisset vivere post mortem, sed est dissensus et dissidium illarum ejus facultatum quae infra sunt, hoc est, Rationalis et Externi ejus hominis ab illo; quantus est dissensus et dissidium, tantum disjungitur, at quantum non est dissensus et dissidium, tantum conjungitur homo per Internum Domino, quod fit quantum est in amore et charitate, nam amor et charitas conjungit; ita se habet apud hominem. Sed Domini Internum fuit Ipse Jehovah, quoniam conceptus a Jehovah, Qui non dividi et fieri alterius potest, sicut filii qui conceptus a patre homine; Divinum enim sicut humanum, non dividuum est, sed unum et idem est et manet; cum hoc Interno Dominus univit Essentiam Humanam; et quia Domini Internum fuit Jehovah, non fuit forma recipiens vitae, sicut Internum hominis, sed fuit ipsa vita: Ipsius quoque Humana Essentia per unitionem similiter facta est vita, quare toties Dominus dixit, quod sit Vita, ut apud Johannem, „*Quemadmodum* „*Pater habet Vitam in Se Ipso, ita dedit Filio habere Vitam* „*in Se Ipso,*" V: 26: praeter alibi apud Eundem, Cap: I: 4. Cap: V: 21. Cap: VI: 33. 35. 48. Cap: XI: 25. Quantum itaque Dominus in Humano fuit, quod haereditario accepit a matre, tantum apparuit distinctus a Jehovah, et adoravit Jehovam, sicut alium a Se; at quantum exuit hoc humanum, tantum fuit Dominus non distinctus a Jehovah, sed unus cum Ipso; ille status fuit, sicut dictum, status humiliationis Domini hic vero status Glorificationis Ipsius.

2000. Et loquutus cum illo Deus, dicendo [4], quod significet perceptionis gradum, constat ex significatione dicere Jehovah, quod sit percipere, n: 1898. 1899; hic significat perceptionis gradum, quia in humiliationis seu adorationis statu, in quo secundum gradum ejus conjunctior et unitior Jehovae, nam humiliatio hoc secum habet; quod perceptiones sint interiores et interiores, videatur n: 1616.

2001. Quod Deus dicatur, quia per Deum Schaddai, quem Abramus coluit, repraesentatur Dominus; tum quia de Vero agitur, quod uniendum Bono, patet ab illis quae prius dicta sunt: in Verbo Dominus aliquoties nominatur Jehovah, aliquoties Jehovah Deus, tum Dominus Jehovah, aliquoties Deus, et hoc semper ex causa arcana in sensu interno; ubi de amore

seu bono agitur, deque Ecclesia coelesti, JEHOVAH dicitur; at vero ubi de fide seu vero, deque Ecclesia spirituali, DEUS dicitur, et hoc constanter; ex causa quia ipsum Esse Domini est amoris, et Esse quod inde, est fidei, n: 709. 732; hic ideo Deus, quia de Vero agitur quod uniendum Bono; altera causa hic est, quod Dominus voluit repraesentari per deum Schaddai, quem Abramus coluit, quare nomen *Deus* retinetur in sequentibus, nam in hoc Capite modo semel nominatur Jehovah, et aliquoties Deus, ut in Vers: 7. 8. 15. 18. 19. 22. 23.

2002. Vers: 4. *Ego, ecce foedus meum cum te, et eris in patrem multitudinis gentium.* Ego, ecce foedus meum cum te, significat Divinae Essentiae unionem cum Humana: et eris in patrem multitudinis gentium, significat Humanae Essentiae unionem cum Divina; pater, significat quod ab Ipso; multitudo significat verum; gentium significat inde bonum.

2003. Ego, ecce foedus meum cum te, quod significet Divinae Essentiae unionem cum Humana, constat a significatione foederis, quod sit conjunctio, de qua n: 665. 666. 1023. 1038; hic quod sit unio Divinae Essentiae cum Humana, patet inde, et a sensu interno praecedentium, ita ab ipsis verbis, quod *foedus meum cum te.*

2004. Et eris in patrem multitudinis gentium, quod significet Humanae Essentiae unionem cum Divina, non ita constare potest ab explicatione singularum vocum in sensu interno, nisi spectentur communi quadam idea, qua sistitur hic sensus; sensus internus aliquoties talis est: qui cum talis, dici potest universalior, quia remotior; ab explicatione singularum vocum, hic proximus sensus resultat, quod a Domino omne verum et omne bonum, nam, ut dicetur infra, Pater significat ab Ipso, hoc est, a Domino, multitudo verum, et gentium inde bonum; at haec, nempe vera et bona, quia sunt, per quae Dominus univit Humanam Essentiam Divinae, sensus ille universalior et remotior, inde exsurgit; Angeli ita percipiunt haec verba, et simul tunc reciprocam unionem, nempe Essentiae Divinae Domini cum Humana, et Humanae cum Divina; nam, ut dictum, *Ego foedus meum cum te,* significat Essentiae Divinae unionem cum Humana, haec inde, Essentiae Humanae cum Divina. Quod unitio reciproce facta sit, est arcanum, quod nondum

detectum est, et tale, ut vix ad captum exponi possit, nam nondum alicui notum est, qualis est influxus, et absque cognitione influxus, nusquam aliqua idea potest capi, quid unitio reciproca; at illustrari aliquatenus potest ab influxu apud hominem, nam etiam apud hominem est conjunctio reciproca: a Domino per Internum hominis, de quo mox supra n: 1999, continue influit vita in hominis Rationale, et per hoc in Externum, et quidem in ejus scientifica et cognitiones, et non solum adaptat illa ad recipiendum vitam, sed etiam in ordinem disponit, et sic facit ut homo cogitare possit, et denique ut rationalis sit; haec conjunctio est Domini cum homine, sine qua nusquam homo posset cogitare, minus rationalis esse; quod unicuique constare potest ex eo, quod in cogitatione hominis innumerabilia arcana scientiae et artis analyticae sint, et tam innumerabilia, ut in aeternum nequeant explorari, quae nusquam influunt per sensus seu per externum hominem, sed per internum; homo autem a sua parte obviam it huic vitae, quae a Domino, per scientifica et cognitiones, et sic reciproce se conjungit. Sed quod unionem Divinae Essentiae Domini cum Humana Ipsius, et Humanae cum Divina, attinet, haec infinite transcendit; nam Internum Domini fuit Ipse Jehovah, ita ipsa vita; internum autem hominis non est Dominus, ita nec vita, sed recipiens vitae; Domini cum Jehovah fuit unio, at Hominis cum Domino non est unio, sed conjunctio; Dominus ex propria potentia univit se Jehovae, quare etiam Justitia factus, homo autem nusquam propria potentia sed Domini, sic ut Dominus sibi conjungat hominem: Reciproca illa unio est, quae a Domino intelligitur, ubi sua tribuit Patri, et quae Patris sibi, ut apud Johannem, „Jesus dixit, *qui credit in Me,* „*non credit in Me, sed in Ipsum, qui misit me:* Ego lux in „mundum veni, ut omnis, *qui credit in Me,* in tenebris non „maneat," XII: 44. 45. 46. in quibus verbis arcanissima illa latent, et quidem de unione Boni cum Vero, et Veri cum Bono, seu quod idem, de unione Essentiae Divinae cum Humana, et Humanae cum Divina, quare dicit, qui credit in Me non credit in Me, sed in Ipsum qui misit me, et mox, qui credit in Me; interveniente de unione illa, ita, qui videt Me, videt Ipsum qui misit me: apud Eundem, „Verba, *quae Ego loquor*

„*vobis, a Me Ipso non loquor, Pater* qui in Me manet, *ille* „*facit opera:* credite Mihi, quod Ego in Patre, et Pater in „Me: amen dico vobis, qui *credit in Me, opera quae Ego* „*facio,*" XIV: 10, 11, 12: in his verbis eadem arcana sunt, nempe de unione Boni cum Vero, et Veri cum Bono, seu quod idem, Divinae Essentiae Domini cum Humana, et Humanae cum Divina, quare dicit, verba quae Ego loquor vobis a Me Ipso non loquor, Pater qui in Me facit opera; et mox, opera quae Ego facio, interveniente de unione hic similiter, ita, Ego in Patre, et Pater in Me [5]: haec est unio mystica, de qua plures loquuntur. Exinde constat, quod non alius fuerit a Patre, tametsi de Patre sicut de alio loquutus, et hoc ob causam reciprocae unitionis, quae fieret, et quae facta; nam aperte toties dicit, quod unus sit cum Patre, ut in locis citatis, „*Qui videt Me, videt Illum qui misit Me,*" Joh. XII: 45. tum, „*Pater, qui in Me manet; credite Mihi, quod* „*Ego in Patre, et Pater in Me,*" Joh: XIV. 10. 11. et apud Eundem, „*Si Me nossetis, et Patrem meum nossetis,*" VIII: 19. apud Eundem, „*Si cognovistis Me, etiam Patrem meum* „*cognovistis; et ab hinc cognovistis illum, et vidistis illum;* „dicit Illi Philippus, monstra nobis Patrem; dicit illi Jesus, „tantum tempus vobiscum sum, et non nosti Me, Philippe, „*qui vidit Me, vidit Patrem,* quomodo ergo tu dicis, monstra „nobis Patrem, nonne credis, *quod Ego in Patre, et Pater* „*in Me sit,*" XIV: 7. 8. 9. 10. et apud Eundem, „*Ego et* „*Pater unum sumus,*" X: 30. inde est, quod in Coelo non alium sciant Patrem, quam Dominum, quia in Ipso Pater, et unus cum Patre, et cum ipsum vident, Patrem vident, sicut Ipse dixit, videantur n: 15.

2005. Quod Pater significet quod ab Ipso, constat a significatione Patris, de quo in mox praecedentibus, nempe quod quicquid a Patre, hoc fuerit ab Ipso, quia unum: Internum hominis cujuscunque est a patre, Externum a matre; seu quod idem, ipsa anima est a Patre, corpus, quo induitur anima, est a matre; anima cum corpore usque unum faciunt, nam anima est corporis, et corpus est animae, ideo inseparabilia: Internum Domini fuit a Patre, ita Ipse Pater, inde est, quod Dominus dicat, quod Pater in Ipso sit; quod Ego in Patre, et

Pater in Me; qui Me videt, Patrem videt; quod Ego et Pater unum simus; ut a locis supra allatis constat: in Verbo Veteris Testamenti etiam Pater dicitur, ut apud Esaiam, „Puer natus „est nobis, Filius datus est nobis, et erit principatus super „humero illius, et vocabitur nomen illius, Mirabilis, Consilia-„rius, Deus, Heros, *Pater aeternitatis;* Princeps pacis," IX: [5.] 6: cuivis constat, quod Puer natus nobis, et Filius datus nobis, sit Dominus, qui appellatur Pater aeternitatis: apud Eundem, „*Tu Pater noster,* quia Abraham non cognoscit nos, „et Israël non agnoscit nos, *tu Jehovah Pater noster, Redemp-„tor noster,* ab aeterno nomen tuum," LXIII: 16. ubi quoque Dominus, qui dicitur Jehovah Pater noster, non enim alius Redemptor est: apud Malachiam, „Annon *Pater unus* „*omnibus nobis,* annon *Deus unus creavit nos,*" II: 10. creare pro regenerare, ut ostensum in Parte Prima, n: 16. 88. 472: praeter quod ubivis per Jehovam in Verbo Veteris Testamenti intelligatur Dominus, quia Ipsum repraesentarunt omnes ritus Ecclesiae; et ipsum spectant in interno sensu, omnia quae in Verbo.

2006. Quod multitudo significet verum, constat a significatione Multitudinis, quod sit verum, de qua prius n: 1941; et a significatione multiplicari, quod praedicetur de vero, de qua n: 43. 55. 913. 983.

2007. Gentium, quod significet inde bonum, constat a significatione gentium, quod sit bonum, de qua in Parte Prima, n: 1159. 1258. 1259. 1260. [6] 1416. 1849.

2008. Vers: 5. *Et non vocabitur amplius nomine tuo Abram, et erit nomen tuum Abraham, quia patrem multitudinis gentium dedi te.* Non vocabitur amplius nomine tuo Abram, significat quod exuet humanum: et erit nomen tuum Abraham, significat quod induet Divinum: quia patrem multitudinis gentium dedi te, significat, hic ut prius, quod ab Ipso omne verum et inde bonum.

2009. Quod non vocabitur amplius nomine tuo Abram, significet quod exuet humanum; et quod erit nomen tuum Abraham, significet quod induet Divinum, constat a significatione Nominis; tum a significatione Abrami, et dein Abrahami: in Verbo, cum dicitur, quod nomen tuum erit, significat quale,

seu quod talis erit, ut constat ab illis, quae in Parte Prima allata sunt, n: 144. 145. 1754: et quia Nomen significat quale, nomen comprehendit in uno complexu, quicquid est in Ipso; nam ad nomen alicujus nihil attenditur in coelo, sed cum quis nominatur, aut cum Nomen dicitur, obvenit idea qualis, seu omnium, quae ejus, apud illum, et in illo; inde Nomen in Verbo significat quale; ut hoc ad intellectum constare possit, licet ex Verbo plura confirmantia adhuc adducere: sicut in Benedictione: apud Mosen, „Benedicat tibi Jehovah, et „custodiat te, lucere faciat Jehovah facies suas super te, et „misereatur tui; elevet Jehovah facies suas ad te, et ponat „tibi pacem: ita *ponent Nomen meum super filios Israëlis,*" Num: VI: 24 25. 26. 27: [7] inde quid Nomen, et ponere Nomen Jehovae super filios Israëlis, patet, quod nempe sit, quod Jehovah benedicat, custodiat, illuminet, misereatur, det pacem; ita quod Jehovah seu Dominus talis sit. In Decalogo, „Non *feres Nomen Dei tui in vanum,* quia non habebit „insontem Jehovah eum, qui *tulerit Nomen Ipsius in vanum,*" Exod: XX: 7. Deut: V: 11; ubi ferre Nomen Dei in vanum, non significat Nomen, sed omnia et singula quae ab Ipso, ita omnia et singula quae sunt cultus Ipsius, quae non sunt contemnenda, minus blasphemanda, et spurcis contaminanda. In Oratione Domini, „*Sanctificetur Nomen tuum*; veniat Reg„num tuum; fiat voluntas tua, sicut in coelo etiam in terra," Luc: XI: 2. ibi nec per nomen intelligitur nomen, sed omnia quae sunt amoris et fidei, nam illa sunt Dei seu Domini, et illa sunt ab Ipso; haec quia sancta sunt, cum sancta habentur, venit Regnum Domini, et fit voluntas Ipsius in terris sicut in coelis. Quod Nomen significet talia, constat ab omnibus locis in Verbo Veteris et Novi Testamenti, ubicunque Nomen dicitur; ut apud Esaiam, „Dicetis die illo, confitemini Jehovae, „*invocate Nomen Ipsius*, nota facite in populis opera Ipsius; „commemorate quod *exaltatum sit Nomen Ipsius,*" XII: 4. ubi invocare Nomen Jehovae, et commemorare quod exaltatum sit, nusquam est ponere aliquem cultum in Nomine, et credere quod invocetur Jehovah per Nomen Ipsius, sed per nosse qualis est, ita per omnia et singula quae ab Ipso: apud Eundem, „Propterea in Urim honorate Jehovam: in insulis maris *Nomen*

„*Jehovae Dei Israëlis*,“ XXIV: 15. ubi in Urim honorare Jehovam, est ex sanctis amoris, in insulis maris Nomen Jehovae, Dei Israëlis, est ex sanctis fidei; apud Eundem, „Jehovah Deus noster, tantum in Te *commemorabimus Nomen* „*tuum*,“ XXVI: 13: et apud Eundem, „Excitabo e septentrione, et veniet, ab ortu solis, *invocabit Nomen meum*,“ XLI: 25, ubi commemorare et invocare Nomen Jehovae, est colere ex bonis amoris, et veris fidei; qui a septentrione sunt qui extra Ecclesiam, et in ignorantia de Nomine Jehovae, qui usque invocant Nomen Ipsius, quando in charitate mutua vivunt, et adorant Numen universi Creatorem, nam in cultu et ejus qualitate, non in Nomine consistit invocatio Jehovae; quod Dominus etiam praesens sit apud Gentes, videatur n: 932. 1032. 1059: apud Eundem, „Viderunt gentes justitiam tuam, „et omnes reges gloriam tuam; et *vocabitur tibi nomen novum*, „quod os Jehovae enuntiabit,“ LXII: 2. ubi vocabitur tibi nomen novum, pro quod alius, nempe e novo creatus seu regeneratus, ita quod talis: apud Micham, „Omnes populi quisque ambulabunt *in nomine dei sui*, et nos ambulabimus *in* „*Nomine Jehovae Dei nostri* in saeculum, et in aeternum,“ IV: 5. ambulare in nomine dei sui, manifeste pro cultu prophano; et ambulare in Nomine Jehovae pro cultu vero: apud Malachiam, „Ab ortu solis, et usque ad occasum ejus, *magnum* „*Nomen meum inter gentes*, et in omni loco suffitus *oblatus* „*Nomini meo*, et mincha munda, nam *magnum Nomen meum* „*inter gentes*,“ I: 11. ubi non per nomen significatur nomen, sed cultus, qui est quale Jehovae seu Domini, ex quo adorari vult: apud Mosen, „Locum quem elegerit Jehovah Deus vester „ex omnibus Tribubus, ad *ponendum Nomen suum* ibi, et ad „*habitare faciendum Nomen suum* ibi, eo adducetis omne, quod „Ego praecipiens vobis,“ Deut: XII: 5. 11. 14. Cap. XVI: 2. 6. 11. ubi etiam per ponere Nomen suum, et habitare facere Nomen suum ibi, non significatur Nomen, sed Cultus, ita quale Jehovae seu Domini, ex quo colendus; quale Ipsius est bonum amoris, et verum fidei, apud eos qui in illis sunt, habitat Nomen Jehovae: apud Jeremiam, „Ite ad locum meum, qui in „Schilunte, quo *habitare feci Nomen meum* in principio,“ VII: 12; ibi similiter pro cultu, ita pro doctrina verae fidei; quod

non habitet Jehovah apud eum, qui solum Nomen Ipsius novit et nominat, cuivis constare potest, nam solum nomen absque idea qualis, cognitione qualis, et fide qualis, est mera vox; inde patet, quod nomen sit quale, et nosse qualis est: apud Mosen, „In Tempore illo, separavit Jehovah tribum Levi, ad „ministrandum Ipsi, et ad *benedicendum in Nomine Ipsius,*" Deut: X: 8. ubi benedicere in Nomine Jehovae, est non per Nomen, sed per illa quae sunt Nominis Jehovae, de quibus supra: apud Jeremiam, „*Hoc Nomen Ipsius*, quod vocabunt „Ipsum, *Jehovah Justitia nostra,*" XXIII: 6. ibi Nomen pro Justitia, quae est quale Domini, de Quo agitur: apud Esaiam, „Jehovah ab utero vocavit Me, a visceribus matris meae, et „*memorare fecit Nomen meum,*" XLIX: 1: ubi etiam de Domino; memorare Nomen Ipsius, est instruere qualis est. Quod per Nomen significetur quale, adhuc manifestius patet apud Johannem in Apocalypsi, „Habes *pauca Nomina in Sardis*, qui „non polluerunt vestimenta sua, et ambulabunt Mecum in albis, „quia digni sunt. Qui vicerit, hic induetur vestimentis albis, „et *non delebo nomen ejus e libro vitae;* et *confitebor nomen* „*ejus* coram Patre meo, et coram angelis. Qui vicerit, *scribam* „*super illum Nomen Dei*, et *nomen civitatis Dei mei*, novae „Hierosolymae, quae descendit e coelo, a Deo meo, et *Nomen* „*meum novum,*" III: 4. 5. 12. ubi quod nomen non sit nomen, sed quod sit quale ejus, manifeste constat; nomen in Libro vitae non aliud est; pariter confiteri nomen ejus coram Patre; et scribere super illum Nomen Dei et civitatis, ac nomen novum: similiter alibi, nomina quae scripta dicuntur in Libro vitae, et in coelo, Apoc: XIII: 8. Cap: XVII: 8. [8] Luc: X: 20. in coelo nusquam est nisi quale, ex quo cognoscitur unus ab altero, quod in sensu literae exprimitur per nomen; ut cuique quoque constare potest ex eo, quod unusquisque in terra nominatus sistatur in idea alterius, qualis est, per quam noscitur et distinguitur ab alio; in altera vita ideae manent, sed nomina pereunt; et adhuc magis apud Angelos; inde est, quod Nomen sit quale seu nosse qualis est in sensu interno: apud Eundem, „Super „capite illius, qui sedit super equo albo, diademata multa, *habens* „*Nomen scriptum*, quod nemo scit, nisi Ipse, indutus erat ve- „stimento tincto sanguine, et *vocatur Nomen Ipsius Verbum*

„*Dei,*" Apoc: XIX: 12, 13. hic quod Nomen sit Verbum Dei, ita quale Ipsius, qui sedit super equo albo, apertis verbis dicitur. Quod Nomen Jehovae sit nosse qualis est, nempe quod sit omne bonum amoris et omne verum fidei, ex his Domini verbis clare constat, „Pater Juste, Ego Te novi, etiamque hi cognove„runt, quod Tu Me miseris, nam *notum feci illis Nomen tuum,* „et notum faciam, ut amor, quo amasti Me, in illis sit, et „Ego in illis," Joh: XVII: 25, 26. Et quod Nomen Dei seu Domini, sit omnis Doctrina fidei de amore et charitate, quae significatur per credere in Nomen Ipsius, ex his apud Eundem Evangelistam, „Quotquot receperunt, dedit illis potestatem, „ut filii Dei essent, *credentibus in Nomen Ipsius,*" I: 12. „Si „quid *petieritis in Nomine meo,* Ego faciam; *si amatis Me,* „mandata mea servate," XIV: 13. 14. 15. „Quodcunque *petie„ritis Patrem in Nomine Meo,* dat vobis; haec *praecipio vo„bis, ut ametis vos invicem,*" XV: 16, 17. apud Matthaeum, „Ubi duo aut tres *congregati in Nomine Meo,* ibi sum in medio „eorum," XVIII: 20. ubi congregati in Nomine Domini significant illos, qui in Doctrina fidei de amore et charitate, ita qui in amore et charitate: apud Eundem, „Eritis odio habiti „ab omnibus gentibus *propter Nomen meum,*" X: 22. Cap: XXIV: 9. 10. Marc: XIII: 10; ubi propter Nomen meum, manifeste propter Doctrinam. Quod ipsum Nomen nihil faciat, sed illud quod Nomen involvit, nempe omne charitatis et fidei, constat clare ab his apud Matthaeum, „Nonne *per Nomen tuum* „prophetavimus; et *per Nomen tuum* daemonia ejecimus; et „*in Nomine tuo* virtutes multas fecimus: sed tunc confitebor „illis, non novi vos, discedite a Me operantes iniquitatem," VII: 22, 23. inde constat, quod, qui ponunt cultum in Nomine, ut Judaei in Nomine Jehovae, et Christiani in Nomine Domini, non ideo sint digniores; quia Nomen nihil facit; sed quod tales sint, quales Ipse mandavit, quod est credere in Nomen Ipsius; et quod dicant non in alio Nomine quam in Domini esse salutem, est quod non in alia Doctrina, hoc est, quod non in alio, quam in amore mutuo, qui est vera doctrina fidei, ita non in alio, quam in Domino, quia ab Ipso Solo omnis amor, et inde fides.

2010. Quia nunc Nomen significat quale, et nosse qualis est, constare potest, quid per verba in hoc versu significatur,

nempe, *non vocabitur amplius nomine tuo Abram, et erit nomen tuum Abraham*, scilicet, quod non esset qualis fuit, sed qualis futurus: quod Abram serviverit aliis diis, et coluerit deum Schaddai, ostensum est supra, n: 1992, sed quia repraesentaret Dominum, et quidem Ipsius Internum Hominem, ita Coeleste amoris Ipsius, ideo quale ejus prius delendum, hoc est, nomen Abram mutandum in quale aliud, per quod potuisset Dominus repraesentari; ideo litera (H), ex Nomine Jehovae desumpta est, quae litera in Nomine Jehovae est unica, quae Divinum involvit, et significat SUM, seu ESSE, et interjecta est, et dictus Abraham; similiter se habet cum Sarai, de qua in sequentibus, cujus nomini etiam adjecta est eadem litera, et dicta Sarah: inde quoque constare potest, quod Abraham in interno sensu Verbi repraesentet Jehovam seu Dominum: sed sciendum, quod in Repraesentationibus nihil faciat, qualis homo sit, nam in illis nihil reflectitur super personam, sed super rem, quam repraesentat, ut dictum et ostensum prius, n: 665. 1097 fin. 1361. Inde nunc significatio illorum verborum in sensu interno est, quod Dominus exuet Humanum, et induet Divinum, quod etiam est in serie a praecedentibus, tum etiam in serie sequentium, nam promissio fit nunc de Isaco filio, per quam repraesentaretur Rationale Domini Divinum.

2011. Quod quia patrem multitudinis gentium dedi te, significet, hic ut prius, quod ab Ipso omne verum, et inde bonum, constat a significatione Patris, quod sit ab Ipso; a significatione multitudinis, quod sit Verum; tum a gentium quod sit inde bonum, de quibus supra n: 2005. 2006. 2007: quod eadem haec verba in sensu universaliori seu remotiori, significent Humanae Essentiae unionem cum Divina, videatur supra n: 2004: se habet enim unio Humanae Essentiae Domini cum Divina, sicut Veri cum Bono, ac unio Divinae Ipsius Essentiae cum Humana, ut Boni cum Vero, quae reciproca est; imo in Domino fuit ipsum Verum, quod se univit Bono, et Bonum quod se univit Vero, nam Infinitum Divinum non aliter dici potest, quam ipsum Bonum et Verum; quare mens humana in nulla fallacia est, cum cogitat, quod Dominus sit ipsum Bonum et ipsum Verum.

2012. Vers: 6. *Et fructificabo temet in valde valde; et dabo te in gentes, et reges ex te exibunt.* Fructificabo te in,

valde valde, significat fructificationem boni in infinitum: et dabo te in gentes, significat quod ab Ipso omne bonum: et reges ex te exibunt, significat ab Ipso omne verum.

2013. Fructificabo te in valde valde, quod significet fructificationem boni in infinitum, constat a significatione fructificari, quod praedicetur de bono, de qua prius n: 43. 55. 913. 983; et quia dicitur in valde valde, et agitur de Domino, significat fructificationem in infinitum.

2014. Quod dabo te in gentes, significet quod ab Ipso omne bonum, constat a significatione Gentium in suo genuino et primitivo sensu, quod sit bonum, de qua in Parte Prima n: 1259. 1260. 1416. 1849.

2015. Quod reges ex te exibunt, significet quod ab Ipso omne verum, constat a significatione Regis in Verbo tam Historico quam Prophetico, quod sit verum, ut dictum n: 1672, sed nondum ita ostensum; ex significatione Gentium, quod sint bona, et ex significatione Regum quod sint vera, constare potest, qualis est sensus internus Verbi, tum quam remotus sit a sensu literae: qui legit Verbum, cumprimis Historicum, nusquam aliter credit, quam quod gentes ibi sint gentes, et reges ibi sint reges, et sic quod agatur de gentibus in ipsissimo Verbo, quae nominantur, deque regibus; sed idea gentium tum regum prorsus perit, cum excipitur ab Angelis, et loco eorum succedit bonum et verum; hoc non potest non apparere ut peregrinum, imo ut paradoxon, sed usque ita se habet; constare quoque cuivis potest ex eo, si in Verbo significarentur gentes per gentes, et reges per reges, tunc Verbum Domini vix plus involveret, quam aliud quoddam historicum, aut aliud scriptum, et sic foret mundanum, cum tamen in Verbo nihil non est Divinum, ita coeleste et spirituale; ut solum in hoc versu, quod Abraham fructificaretur, et daretur in gentes, atque reges ex illo exirent, quid hoc nisi mere mundanum, et prorsus nihil coeleste; est enim in illis modo gloria mundi, quae plane nihil est in coelo; at si Verbum Domini, erit gloria coeli, et nulla mundi; quare etiam sensus literae prorsus obliteratur et evanescit, cum transit in coelum, et purificatur ita ut nihil mundani immixtum sit, nam per Abraham non intelligitur Abraham sed Dominus; per fructificari non posteritas ejus quae cresceret in

valde valde, sed bonum Humanae Essentiae Domini in infinitum; per gentes non gentes sed bona; et per reges non reges sed vera; manente usque historico secundum sensum literae in sua veritate, nam verum erat, quod ita dictum Abrahamo, tum quod ita fructificatus, et quod fuerint gentes ex eo, tum etiam reges. Quod Reges significent vera, constare potest ex his locis; apud Esaiam, „Aedificabunt filii alienigenae muros tuos, et *Re-„ges eorum* ministrabunt tibi; *suges lac gentium* et *uber Regum „suges,*" LX: 10. 16. quid sugere lac gentium, et uber regum, nusquam patet ex litera, sed ex sensu interno, in quo est donari bonis et instrui veris: apud Jeremiam, „Intrabunt per portas „civitatis hujus *Reges*, et principes, sedentes super throno Davi-„dis, equitantes curru et equis," XVII: 25. Cap: XXII: 4, equitare curru et equis, est propheticum, quod significat abundantiam intellectualium, ut a permultis apud Prophetas constare potest; ita quod per portas civitatis intrabunt Reges, significatur in sensu interno, quod imbuerentur veris fidei; hic Verbi sensus est coelestis, in quam mundanus literae transit: apud Eundem, „Jehovah sprevit in indignatione irae suae *Re-„gem* et Sacerdotem; subsiderunt in terram portae Zionis; per-„didit et confregit vectes ejus; *Rex* et *principes* inter gentes, „non lex," Thren: II: 6. 9. ibi Rex pro Vero fidei, Sacerdos pro Bono charitatis; Zion pro Ecclesia quae perditur, et cujus vectes confringuntur; inde Rex et principes inter gentes, hoc est, Verum et illa quae sunt veri, exulabunt, usque adeo ut non sit lex, hoc est, aliquid doctrinae fidei: apud Esaiam, „An-„tequam sciat Puer reprobare malum, et eligere bonum, relin-„quetur humus, quam tu fastidis coram *binis Regibus suis,*" VII: 16: ubi de adventu Domini; humus quae relinquetur, pro fide quae tunc nulla, cujus vera sunt Reges, quae fastidirentur: apud Eundem, „Tollam ad *Gentes* manum meam, et „ad populos exaltabo signum meum, et adferent filios tuos in „sinu, et filiae tuae super humero apportabuntur, erunt *Reges „nutritii* tui, et dominae eorum lactatrices tuae," XLIX: 22. 23. gentes et filiae pro bonis, populi et filii pro veris, ut in Parte Prima ostensum; quod gentes pro bonis, n: 1259. 1260. 1416. 1849: quod filiae similiter, n: 489. 490. 491: populi pro veris, n: 1259. 1260; quod filii similiter, n: 489. 491. 533.

1147; reges itaque pro veris in genere, ex quibus nutrientur, et dominae pro bonis, ex quibus lactabuntur; sive dicas bona et vera, sive illos qui in bonis et veris, idem est: apud Eundem, „Asperget [?] *Gentes* multas, super illo compriment *Reges* „os suum, quia quod narratum est illis, viderunt, et quod „non audiverunt, intellexerunt," LII: 15. ubi de adventu Domini, gentes pro illis, qui bonis afficiuntur, reges pro illis qui veris: apud Davidem, „Nunc *Reges intelligentes* sitis, „erudimini judices terrae; servite Jehovae in timore, et exul- „tate in tremore, osculamini Filium, ne forte irascatur, et „pereatis in via," Psalm: II: 10. 11. 12. reges pro illis qui in veris sunt; qui quoque ex veris passim vocantur *filii regis;* Filius hic pro Domino, qui hic Filius dicitur, quia est ipsum Verum, et ab ipso omne verum: apud Johannem, „Canent „canticum novum, dignus es qui accipias Librum, et aperias „sigilla ejus; fecisti nos Deo nostro *Reges* et Sacerdotes, ut „*regnemus* super terra," Apoc: V: 9, 10. ubi qui in veris sunt, appellantur Reges; Dominus etiam illos appellat filios regni, apud Matthaeum, „Qui seminat bonum semen, est Filius hominis, „ager est mundus, semen sunt *Filii regni*, et Zizania sunt filii „mali," XIII: 37. 38. apud Johannem, „Sextus Angelus effu- „dit phialam suam super fluvium magnum Euphratem, cujus „exsiccata est aqua, ut pararetur *via Regum*, qui ab oriente „solis," Apoc: XVI: 12. quod per Euphratem non significe- tur Euphrates, nec per reges ab oriente solis, reges inde, constat; quid per Euphratem, videatur n: 120. 1585. 1866, inde patet, quid via regum qui ab oriente solis, quod sint vera fidei quae a bonis amoris: apud Eundem, „*Gentes*, quae salvan- „tur, in luce ejus ambulabunt, et *Reges terrae* adferent glo- „riam et honorem suum in eam," Apoc: XXI: 24, ubi gentes pro illis qui sunt in bonis, reges terrae pro illis qui sunt in veris; quod etiam inde liquet, quia ibi prophetica sunt, non historica: apud Eundem, „Cum meretrice magna sedente super aquis „multis, scortati sunt *Reges terrae*, et inebriati sunt vino scor- „tationis ejus," Apoc: XVII: 2: et alibi, „Babylon ex vino „scortationis suae potavit omnes gentes, et *Reges terrae* cum „ea scortati sunt," Apoc: XVIII: 3. 9. ibi similiter, quod per reges terrae non significentur reges, constat, agitur enim de

falsificatione et adulteratione doctrinae fidei, hoc est, veri, quae est scortatio; reges terrae pro veris quae falsificata et adulterata: apud Eundem, « Decem cornua, quae vidisti, *decem Reges* « sunt, qui nondum *regnum* acceperunt, sed potestatem tanquam « *Reges* [10] unam horam accipiunt cum bestia; hi unam men- « tem habebunt, et potentiam et potestatem suam tradent be- « stiae, » Apoc: XVII: 12. 13. quod hic reges non sint reges, cuivis quoque patet, alioquin prorsus non intelligibile foret, quod decem reges tanquam Reges [10] unam horam potestatem acciperent: similiter quae apud Eundem, « Vidi bestiam et *Reges* « *terrae*, et exercitus eorum congregatos ad faciendum bellum « cum sedente super equo, et cum exercitu ejus, » Apoc: XIX: 19. quod sedens super equo, sit Verbum Dei, aperte dicitur ibi vers: 13, contra quod congregati dicuntur reges terrae; bestia pro bonis amoris prophanatis, reges pro veris fidei adulteratis, reges terrae dicuntur quia intra Ecclesiam, quod terra sit Ecclesia, n: 662. 1066. 1067. 1262; equus albus pro intellectu veri, sedens super equo pro Verbo: Adhuc manifestius apud Danielem, Cap: XI; ubi agitur de bello inter *Regem Meridiei*, et *Regem Septentrionis*, per quae significantur vera et falsa, quae pugnarunt, pugnae per bellum historice etiam ibi describuntur. Quia Rex significat Verum, constare potest, quid in sensu interno sit, quod Dominus dicatur Rex, tum etiam Sacerdos, ut et, quid apud Dominum repraesentarunt Reges, et quid Sacerdotes; Reges repraesentarunt Divinum Ipsius Verum, et Sacerdotes Divinum Ipsius Bonum; omnes leges ordinis, quibus Dominus gubernat universum ut Rex, sunt Vera; omnes autem leges, quibus gubernat universum ut Sacerdos, et quibus etiam ipsa vera regit, sunt Bona; nam regimen ex solis Veris damnaret unumquemvis ad infernum, sed regimen ex Bonis tollit inde, et elevat in coelum, videatur n: 1728; quia haec bina apud Dominum sunt conjuncta, etiam antiquitus repraesentabantur per Regium conjunctum Sacerdotali, ut apud Malchizedekum, qui fuit Rex Schalem et simul Sacerdos Deo Altissimo, Genes: XIV: 18, et postea apud Judaeos, ubi Ecclesia Repraesentativa, in sua forma, instituta, per Judices et Sacerdotes, dein per Reges; at quia Reges repraesentarent Vera, quae non imperare debuerunt, ex causa, ut dictum, quia damnant, ideo

id tantum displicuit, ut increparentur, et descriptum quale sit Verum in se spectatum, per jus Regis, 1 Sam: VIII: 11 ad 18, et prius per Mosen, Deut: XVII: 14 ad 18, mandatum, quod eligerent Verum genuinum quod ex bono, non spurium, et quod illud non ratiociniis et scientificis conspurcarent, haec sunt quae involvit praescriptio de Rege apud Mosen loco citato, quod nusquam aliquis ex sensu literae videre potest, sed usque patet ex singulis in sensu interno, et inde quod nihil aliud per Regem et Regium, repraesentatum et significatum fuerit, quam Verum.

2016. Quod ad rem attinet, quod a Domino omne Bonum et inde Verum, est constans veritas, Angeli in illius perceptione sunt, adeo ut percipiant, quantum a Domino quod sit bonum et verum, et quantum a semet quod sit malum et falsum; etiam confitentur illud coram animabus novitiis, et coram spiritibus qui dubitant, imo adhuc plus, quod detineantur a malo et falso quod ex proprio eorum, et quod teneantur in bono et vero, a Domino, ipsa detentio, et ipse influxus, etiam illis perceptibilis est, videatur n: 1614: at quod homo putet, se bonum ex se facere, et verum ex se cogitare, est apparentia, quia in statu nullius perceptionis est, et in obscurissimo quoad influxum, quare ex apparentia, imo ex fallacia concludit, a qua nusquam removeri se patitur, quamdiu non credit nisi sensibus, et quamdiu inde ratiocinatur num ita sit: sed tametsi ita est, usque tamen debet homo facere bonum, et cogitare verum, ut a se, nam aliter non reformari et regenerari potest; causa cur ita, videatur n: 1937. 1947. In hoc Versu agitur de Humana Domini Essentia unienda Divinae, et quod omne bonum et verum, sic a Divina Essentia per Ipsius Humanam, ad hominem veniret, est arcanum Divinum, quod pauci credunt quia non capiunt, putant enim Divinum bonum posse ad hominem pertingere absque Humano Domini unito Divino, sed quod hoc fieri nequeat, paucis ostensum prius n: 1676. 1990; nempe, quod homo se tantum removerit a Divino Supremo, per cupiditates quibus se immersit, et per falsitates quibus se occaecavit, ut nusquam fuisset aliquis influxus Divini in rationale ejus mentis, nisi per Humanum, quod Dominus in Se uniret Divino; per Humanum Ipsius facta est communicatio; sic enim

Supremum Divinum venire potuit ad hominem, quod Dominus aperte pluribus in locis dicit, nempe quod Ipse sit via; et quod ad Patrem non aditus sit, quam per Ipsum; hoc nunc est, quod hic dicitur, quod ab Ipso, nempe Humano unito Divino, omne bonum et omne verum.

2017. Vers: 7. *Et erigam foedus meum inter Me et inter te, et inter semen tuum post te, in generationes illorum, in foedus aeternum, ad esse tibi in Deum, et semini tuo post te.* Erigam foedus meum inter Me et inter te, significat unionem: et inter semen tuum post te, significat conjunctionem cum iis qui fidem in Ipsum habent: in generationes illorum, significat illa quae sunt fidei: in foedus aeternum, significat conjunctionem cum his: ad esse tibi in Deum, significat Divinum Domini in Ipso: et semini tuo post te, significat inde Divinum apud eos, qui fidem in Ipsum habent.

2018. Erigam foedus meum inter me et inter te, quod significet unionem, constat a significatione foederis, quod sit unio, de qua prius n: 665. 666. 1023. 1038, de qua Unione in hoc Capite et prius passim actum est, et ostensum, quod Jehovah, qui hic loquitur, fuerit in Ipso, quia unus cum Ipso a prima conceptione et nativitate, nam conceptus fuit a Jehovah, et inde Internum Ipsius fuit Jehovah; et hoc per simile apud hominem illustratum n: 1999, quod nempe anima ejus unum sit cum corpore, seu internum ejus cum externo, tametsi inter se distincta sunt, et quandoque ita distincta, ut unum pugnet cum altero, ut fieri solet in tentationibus, in quibus Internum increpat Externum, et malum, quod in Externo, rejicere vult, et usque conjuncta, aut unum sunt, quia tam anima quam corpus est ejusdem hominis: sit pro exemplo, qui aliter cogitat, quam vultu ostendit, ore loquitur, et gestu facit, est tunc Interius quod dissentit cum Externo, sed usque unum sunt, nam cogitatio aeque hominis est, ac externum vultus, oris, gestus; at unio est, quando haec, seu vultus, loquela oris, et gestus cum cogitatione consentiunt: haec ad illustrationem.

2019. Et inter semen tuum post te, quod significet conjunctionem cum iis qui fidem in Ipsum habent, constat a significatione Seminis, quod sit fides, de qua n: 1025. 1447. 1610; tum a significatione Post te, quod sit sequi; in Verbo usitata

formula est, ambulare post aliquem, ut Jerem: VII: 6. Cap: VIII: 2. Ezech: XX: 16: tum Marc: VIII: 34. Luc: IX: 23. Cap: XIV: 27; quare hic semen post te significat illos qui in fide sunt, et sequuntur Ipsum; in sensu interno, qui nati ab Ipso.

2020. In generationes illorum, quod significent illa quae sunt fidei, constat a significatione Generationum, quod sint illa quae generantur et nascuntur a charitate, hoc est, omnia fidei, seu quod idem, omnes illi qui regenerati a Domino, ita in quibus est fides charitatis, de qua, ex Divina Domini Misericordia, in sequentibus; quod Generationes, ut et Nativitates, in sensu interno sint illa, ostensum est in Parte Prima, n: 613. 1041. 1145. 1330.

2021. In foedus aeternum, quod significet conjunctionem cum his, constat a significatione foederis, quod sit conjunctio, de qua prius, n: 665. 666. 1023. 1038: et quod cum illis, qui vocantur semen, constat ex eo quod immediate sequatur, et quod foedus iterum in hoc Versu dicatur, ita prius se refert ad unionem Jehovae cum Essentia Humana, alterum ad conjunctionem cum his, qui sunt semen. Ut distinctior idea habeatur de Unione Divinae Essentiae Domini cum Humana, et de Conjunctione Domini cum Humano genere per fidem charitatis, hic et in sequentibus licet Illam, *Unionem* appellare, Hanc autem, *Conjunctionem;* Divinae etiam Essentiae Domini cum Humana fuit Unio, Domini autem cum Genere humano per fidem charitatis, est Conjunctio; quod inde constat, quia Jehovah seu Dominus est Vita, Cujus Humana Essentia etiam facta est Vita, ut supra ostensum, Vitae cum Vita est Unio; at homo non est Vita, sed recipiens vitae, ut prius quoque ostensum est; cum Vita influit in recipiens vitae, est conjunctio, nam ei adaptatur sicut agens patienti, seu sicut vivum in se, mortuo in se, quod inde vivit; principale cum instrumentali, ut appellantur, quidem conjunctum apparet, sicut forent unum, sed usque non sunt unum, per se enim est illud, et per se est hoc; homo ex se non vivit, sed Dominus ex Misericordia eum sibi adjungit, et sic eum vivere facit in aeternum; et quia ita distincti sunt, Conjunctio dicitur.

2022. Ad esse tibi in Deum, quod significet Divinum Do-

mini in Ipso, constat ex illis, quae supra de Divina Domini Essentia, quod fuerit in Ipso, dicta sunt.

2023. Et semini tuo post te, quod significet inde Divinum apud eos, qui fidem in Ipsum habent, constat ex significatione Seminis, quod sit fides charitatis, de qua n: 1025. 1447. 1610: tum ex significatione Post te, quod sit sequi Ipsum, de qua mox supra n: 2019. Divinum apud illos, qui fidem in Ipsum habent, est Amor et Charitas; per *Amorem* intelligitur Amor in Dominum; per *Charitatem* amor erga proximum; amor in Dominum nusquam separari potest ab amore erga proximum, nam amor Domini est erga universum genus humanum, quod in aeternum salvare vult, et sibi prorsus adjungere, ut nullus eorum pereat; quare qui habet amorem in Dominum, is habet amorem Domini, et sic non aliter potest quam amare proximum: sed qui in amore erga proximum sunt, non ideo omnes sunt in amore in Dominum, sicut Gentes probae, quae in ignorantia sunt de Domino, apud quas usque Dominus in charitate praesens est, ut ostensum in Parte Prima, n: 1032. 1059; tum etiam alii intra Ecclesiam; nam amor in Dominum est in gradu superiori: qui amorem habent in Dominum, sunt coelestes homines, at qui amorem erga proximum seu charitatem, sunt spirituales; Antiquissima Ecclesia, quae fuit ante diluvium, et coelestis fuit, in amore in Dominum fuit; Antiqua vero Ecclesia, quae post diluvium, et spiritualis fuit, in amore erga proximum seu in charitate fuit: haec distinctio inter amorem et charitatem erit in sequentibus, quando nominantur.

2024. Vers: 8. *Et dabo tibi, et semini tuo post te, terram peregrinationum tuarum, omnem terram Canaan, in possessionem aeternam, et ero illis in Deum.* Dabo tibi, et semini tuo post te, terram peregrinationum tuarum, significat quod Dominus omnia sibi propriis viribus acquisivit, quae sunt terra peregrinationum; dabo tibi, est quod Ipsius sint quae in coelis et in terris: et semini tuo post te, significat quod daturus illis qui fidem in Ipsum haberent: omnem terram Canaan, significat Regnum coeleste: in possessionem aeternam, significat in aeternum; et ero illis in Deum, significat quod unus Deus.

2025. Quod dabo tibi et semini tuo post te, terram peregrinationum tuarum, significet quod Dominus omnia sibi pro-

priis viribus acquisiverit, quae sunt terra peregrinationum, constat a significatione peregrinari quod sit instrui, de qua n: 1463; et quia homo vitam sibi acquirit imprimis per instructionem in scientificis, doctrinalibus, et cognitionibus fidei, peregrinatio inde est vita sic acquisita: applicate ad Dominum, est vita quam Ipse Sibi comparavit, per cognitiones, pugnas tentationum, et in illis victorias, et quia illam Sibi propriis viribus, hic per terram peregrinationum illud significatur. Quod Dominus omnia Sibi propriis viribus comparaverit, et propriis viribus univerit Essentiam Humanam Divinae, et Divinam Humanae, et quod sic justitia solus factus, constat manifeste apud Prophetas, ut apud Esaiam, „Quis hic, veniens ex Edom, ince„dens in *multitudine roboris sui;* torcular calcavi *solus Ego,* et „de populis *non quisquam mecum.* Circumspexi, et *nemo auxi„lians;* et obstupui, et *nemo suffulciens;* ideo *salutem prae„stitit mihi brachium meum,*" LXIII: 1. 3. 5. [11] Edom pro Humana Domini Essentia; robur et brachium pro potentia, quod ex propria clare dicitur, quod nemo auxilians, nemo suffulciens, quod salutem Ipsi praestiterit brachium Ipsius: apud Eundem, „Vidit *quod non quisquam,* et obstupuit, quod *nemo interce„dens;* et *salutem praestitit Ipsi brachium Ipsius,* et justitia „Ipsius fulcivit Ipsum: et *induit Justitiam* sicut loricam, et „galeam salutis in capite suo," LIX: 16. 17. similiter quod propria potentia; et quod sic Justitia factus: quod Dominus Justitia, apud Danielem, „Septimanae septuaginta decisae sunt, „ad expiandum iniquitatem, et ad *adducendum Justitiam sae„culorum,* et ad obsignandum Visionem et Prophetam, et ad „ungendum Sanctum Sanctorum," IX: 24: et apud Jeremiam, „Suscitabo Davidi germen justum, et regnabit Rex, et intelli„genter aget, et faciet Judicium et Justitiam in terra: in die„bus Illius salvabitur Jehuda, et Israël habitabit in fiducia; et „hoc Nomen Ipsius, quod vocabunt Ipsum, *Jehovah Justitia „nostra,*" XXIII: 5. 6. Cap: XXXIII: 15. 16: ideo quoque appellatur *Habitaculum Justitiae,* Jer: XXXI: 23. Cap: L: 7: et apud Esaiam, „*Mirabilis* et *Heros,*" IX: [5.] 6. Quod Dominus toties tribuat Patri, quod Ipsius est, explicatum est supra, n: 1999. 2004; Jehovah enim in Ipso fuit, proinde in singulis Ipsius; hoc ex simili, tametsi non compari, potest illustrari

apud hominem; anima hominis est in eo, et quia in eo, est in singularissimis ejus, nempe in singularissimis ejus cogitationis, et in singularissimis ejus actionis; quicquid non habet animam ejus in se, non est ejus; Anima Domini fuit ipsa Vita, seu ipsum Esse, quod est Jehovah, nam conceptus a Jehovah, ita fuit in singularissimis Ipsius; et quia ipsa vita, seu ipsum Esse, quod est Jehovah, fuit Ipsius, sicut anima est hominis, ita Ipsius fuit quod Jehovae, quod est quod Dominus dicit, quod sit in sinu Patris, Joh: I: 18. et quod omnia, quae Pater habet, sua essent, Joh: XVI: 15. Cap: XVII: 10. 11. ex Bono, quod est Jehovae, univit Divinam Essentiam Humanae, et ex Vero univit Humanam Essentiam Divinae, ita omnia et singula ex Se Ipso; imo Humanum Ipsius fuit relictum sibi, ut pugnaret a Se contra omnia Inferna, et vinceret illa, et quia vitam habuit in Se, ut dictum, quae Ipsius fuit, sua potentia et suis viribus illa evicit; sicut etiam clare apud Prophetas in locis citatis dicitur. Inde nunc, quia propriis viribus omnia Sibi acquisivit, Justitia factus, mundum spirituum vindicavit ab infernalibus geniis et spiritibus, et sic liberavit genus humanum ab interitu, nam genus humanum per spiritus regitur, et sic redemit illud; ideo toties in Verbo Veteris Testamenti, Liberator et Redemptor dicitur, et Salvator, quod est nomen Ipsius Jesus.

2026. Quod dabo tibi, sit quod Ipsius sint quae in coelis et in terris, ex illis, quae nunc dicta sunt, sequitur; dare tibi in sensu literae, est quod Deus seu Jehovah Ipsi daret, sicut etiam in Verbo Evangelistarum, quod Pater dederit Ipsi omnia quae in coelo et in terra; sed in sensu interno, in quo ipsum verum sistitur in sua puritate, est quod Dominus sibi acquisiverit, quia in Ipso, et in singulis Ipsius fuit Jehovah, ut dictum est; quod per simile adhuc illustrari potest; sicut si interior seu rationalis homo, aut cogitatio diceret, quod corporeum ejus haberet quietem seu tranquillitatem, si desisteret hoc aut illud facere, tunc qui dicit est idem homo, ac is ad quem dicitur, nam tam Rationale est hominis, quam corporeum, quare cum illud dicitur hoc intelligitur. Praeterea quod Domini sint quae in coelis et in terris, constat ex plurimis locis Verbi, praeter ex illis quae in Veteri Testamento, etiam ex his apud Evan-

gelistas, Matth: XI: 27. Luc: X: 22. Joh: III: 34, 35. Cap: XVII: 2. Matth: XXVIII: 18. [12] et ex illis quae in Parte Prima ostensa sunt, n: 458. 551. 552. 1607. et quia Dominus regit universum Coelum, etiam regit omnia quae in terris, ita enim connexa sunt, ut qui unum regit omnia regat, a Coelo enim Angelorum, dependet Coelum spirituum angelicorum, ab hoc mundus spirituum, ab hoc iterum genus humanum; et similiter a Coelis omnia quae sunt in mundo et natura, nam absque influxu a Domino per coelos, nihil usquam quod in natura et triplici ejus regno est, existeret et subsisteret; videatur n: 1632.

2027. Quod semini tuo post te, significet quod daturus illis qui fidem in Ipsum haberent, constat ex significatione Seminis, quod sit fides, de qua n: 1025. 1447. 1610; nempe quod sit fides charitatis, de qua n: 379. 389. 654. 724. 809. 916. 1017. 1162. 1176. 1258; [13] Fidem charitatis non habent, ita non sunt semen hic intellectum, qui meritum ponunt in suae vitae actis, sic enim non ex Domini Justitia, sed ex suamet salvari volunt; quod in illis nulla sit fides charitatis, hoc est, nulla charitas, constat exinde, quod semet aliis praeferant, ita se intuentur, non alios, nisi quantum illis serviunt, et qui non hoc volunt, illos vel contemnunt, vel odio habent; ita per amorem sui dissociant, et nusquam sociant, et sic destruunt quod coeleste est, nempe amorem mutuum, qui est firmamentum coeli, nam in illo ipsum coelum, et omnis ejus consociatio et unanimitas subsistit et consistit; quicquid enim destruit unanimitatem in altera vita, hoc contra ordinem ipsius coeli est, ita ad destructionem totius conspirat; tales sunt qui in vitae suae actis ponunt meritum, et justitiam sibi vindicant: ex his sunt plures in altera vita, ii quandoque lucent facie sicut faculae, sed ex igne fatuo, qui prodit ex sui justificatione, sed sunt frigidi; visi quandoque discurrere et confirmare sui meritum ex sensu literali Verbi, odio habentes vera quae sunt sensus interni, n: 1877; sphaera eorum est intuitiva sui, ita destructiva omnium idearum, quae se non intuentur instar cujusdam numinis; sphaera plurium talium simul est distractiva ita, ut nihil sit ibi nisi inimicum et hostile, nam quisque cum idem vult, nempe ut serviatur, alterum corde necat: quidam eorum sunt inter eos, qui dicunt se laboravisse in vinea Domini, cum tamen

jugiter tunc volverunt animo sui praeeminentiam, gloriam, et honores, tum etiam lucrum, et sic usque quod maximi fierent in coelo, imo quod servirentur ab angelis; alios prae se corde contemnentes, ita nullo amore mutuo, in quo Coelum consistit, imbuti, sed amore sui, in quo ponunt coelum, nam nesciunt quid coelum, de quibus videatur n: 450. 451. 452. 1594. 1679: hi sunt inter illos, qui primi esse volunt, sed fiunt ultimi, Matth: XIX: 30. Cap: XX: 16. [14]Marc: X: 31. et qui dicunt se per Nomen Domini prophetavisse, et multas virtutes fecisse, at quibus dicitur, non novi vos, Matth: VII: 22. 23. Aliter se habet cum illis, qui ex simplicitate cordis autumarunt se mereri Coelum, et in charitate vixerunt; illi mereri Coelum spectarunt ut promissum, et facile agnoscunt id Misericordiae Domini esse; nam vita charitatis hoc secum habet; ipsa charitas omne verum amat.

2028. Omnem terram Canaan, quod significet Regnum Coeleste, constat ex significatione terrae Canaanis, quod sit Regnum coeleste, de qua prius n: 1413. 1437. 1607.

2029. In possessionem aeternam, quod significet aeternum, constat absque explicatione: vocantur possessores, tum haeredes, non ex merito, sed ex Misericordia.

2030. Quod ero illis in Deum, significet quod unus Deus, constat ex eo, quod hic agatur de Humana Domini Essentia unienda Divinae, et sic ipsa quoque fieret Deus, ita ero illis in Deum, significat in sensu interno unum Deum.

2031. Vers: 9: *Et dixit Deus ad Abraham, et tu foedus meum custodies, tu et semen tuum post te, in generationes eorum.* Dixit Deus ad Abraham, significat perceptionem: et tu foedus meum custodies, significat unionem adhuc arctiorem: tu et semen tuum post te, significat quod ab Ipso conjunctio omnium qui fidem in Ipsum habent: in generationes illorum, significat illa quae sunt fidei.

2032. Dixit Deus ad Abraham, quod significet perceptionem, constat a significatione dicere Deus in sensu historico Verbi, quod sit percipere, de qua prius n: 1602. 1791. 1815. 1819. 1822.

2033. Tu foedus meum custodies, quod significet unionem adhuc arctiorem, constat a significatione foederis, quod sit

unio et conjunctio, de qua prius ad vers: 2. 4. 7, et in Parte Prima, n: 665. 666. 1023. 1038; repetitio hic foederis, de quo toties prius, denotat unionem arctiorem: in sensu historico, qui est de Abrahamo, non aliud praedicari potest, quam ut custodiat foedus, in sensu autem interno, in quo de Domino, evanescit historicum, et succedunt praedicabilia, quae sunt uniri arctius. Unitio Humanae Essentiae Domini cum Divina Ipsius, non simul facta est, sed per totum vitae Ipsius cursum ab infantia ad ultimum vitae in mundo; ita ascendit continue ad Glorificationem, hoc est, unionem, quod est quod apud Johannem dicitur, „Jesus dixit, Pater *glorifica* tuum Nomen; exiit „vox e Coelo, et *glorificavi*, et rursus *glorificabo*," XII: 28, videantur quae prius, n: 1690. 1864.

2034. Quod tu et semen tuum post te, significet quod ab Ipso conjunctio omnium qui fidem in Ipsum habent, constat ex significatione Seminis, quod sit fides, de qua aliquoties supra; et ex significatione Post te, quod sit sequi Ipsum, de qua supra, n: 2019. Prius actum est de Unione Essentiae Divinae cum Humana, et Humanae cum Divina, hic nunc agitur de Conjunctione Domini cum illis, qui credunt in Ipsum, quare etiam Tu iterum dicitur, nempe *Tu* foedus meum custodies, *Tu* et semen tuum, ex qua repetitione et adjunctione ad semen, constat, quod in sensu interno Conjunctio significetur, et quidem cum illis qui semen sunt, per quod significari fidem charitatis, ostensum n: 1025. 1447. 1610. et quod fides sit ipsa Charitas, in Parte Prima n: 30 ad 38. 379. 389. 654. 724. 809. 916. 1017. 1076. 1077. 1162. 1176. 1258. 1798. 1799. 1834. 1844. Dominus etiam cum loquitur de Unione Ipsius cum Patre, illico et continenter loquitur de Conjunctione Ipsius cum Genere humano, quia hoc fuit causa Unionis, ut constat apud Johannem, „*Ut omnes unum sint, sicut Tu Pater in Me, et Ego in Te, ut etiam illi in nobis unum sint: Ego gloriam, quam dedisti Mihi, dedi illis, ut sint unum, sicut nos unum sumus, Ego in illis, et Tu in Me; nam notum feci illis Nomen tuum, et notum faciam, ut amor, quo amasti Me, in illis sit,*" XVII: 21. 22. 26. ex quibus patet, quod Dominus in Unione sui cum Patre suo, spectaverit conjunctionem sui cum genere humano; et quod haec fuerit Ipsi cordi, quia fuit Amor Ipsius; omnis

enim conjunctio fit per amorem, est amor ipsa conjunctio: alibi apud Eundem, „*Quia Ego vivo et vos vivetis; in illa die cognoscetis vos, quod Ego in Patre, et vos in Me, et Ego in vobis; qui habet praecepta mea, et facit illa, ille amat Me,*" XIV: 19. [20.] 21. inde similiter patet, quod Dominus in Unione Humanae suae Essentiae cum Divina, spectaverit sui conjunctionem cum genere humano, et quod haec finis, et haec amor Ipsius, qui talis, quod intimum gaudium Ipsi fuerit salvatio generis humani spectata in unione Sui cum Patre Ipsius; et describitur hic quoque, quid unit, nempe habere et facere illa, ita amare Dominum: apud Eundem, „*Pater, Glorifica Nomen tuum; exiit igitur vox e Coelo, et glorificavi, et iterum glorificabo: Jesus dixit, non propter Me, haec vox facta, sed propter vos: Ego vero cum exaltatus fuero e terra, omnes traham post Me,*" XII: 28. 30. 32. per glorificationem intelligitur unio, ut prius dictum; et quod in Unione Sui cum Patre spectaverit conjunctionem Sui cum genere humano, aperte dicitur, nempe dum exaltatus fuero, omnes traham post Me. Quod conjunctio facta Infiniti seu Supremi Divini per Humanum Domini factum Divinum, cum genere humano, et quod haec Conjunctio fuerit causa adventus Domini in mundum, est arcanum, in quod plures apud se inquirunt, et quia non capiunt, non credunt; et quia non credunt ex eo quod non capiant, id illis scandalum fit; quod ita sit, ex multa experientia scire datum ab illis qui in alteram vitam veniunt; permulti eorum sunt, paene maxima pars ingeniosorum in mundo, dum modo cogitant, quod Dominus factus homo, et fuerit sicut alius homo externa forma, quodque passus, et tamen regat universum, illico opplent sphaeram scandalis, ex causa quia hoc illis scandalum fuit in vita corporis, tametsi nihil tunc de eo evulgarunt, et tametsi Ipsum externa sanctitate adorarunt; in altera enim vita interiora patent, et manifestantur per sphaeram ab illis diffusam, de qua in Parte Prima n: 1048. 1053. 1316. 1504; inde percipitur manifeste qua fide fuerunt, et quid cogitarunt de Domino: cum ita sit, paucis licet adhuc exponere, quomodo se res habet; postquam omne coeleste apud hominem periit, hoc est omnis amor in Deum, sic ut voluntas boni nulla amplius, tunc separatum est genus humanum a Divino, nihil

enim conjungit quam amor, quo facto nullo, facta est disjunctio, et cum disjunctio sequitur interitus et exstirpatio; quare tunc promissio facta de adventu Domini in mundum, Qui uniret Humanum Divino, et per hanc Unionem conjungeret genus humanum in Se Ipso per fidem amoris et charitatis; a tempore primae Promissionis, de qua Genes: III: 15. fides amoris in venturum Dominum conjunxit; at cum nulla amplius fides amoris residua fuit in orbe terrarum, tunc Dominus venit, et Humanam Essentiam univit Divinae, ita ut prorsus unum essent, sicut Ipse clare dicit, et simul docuit viam veritatis, quod omnis qui crederet in Ipsum, hoc est, amaret Ipsum et quae Ipsius sunt, et esset in amore Ipsius qui est erga universum genus humanum, ita erga proximum, conjungeretur et salvaretur: cum Humanum Divinum factum, et Divinum Humanum in Domino, tunc influxus Infiniti seu Supremi Divini factus apud hominem, qui nusquam aliter potuisset existere; inde quoque discussae sunt dirae persuasiones falsi, et dirae cupiditates mali, quibus mundus spirituum oppletus fuit, et ab animabus e mundo alluentibus continue opplebatur; et ii qui in illis erant, conjecti in inferna, et sic separati; quod nisi factum fuisset, periisset humanum genus, nam hoc per spiritus regitur a Domino; nec aliter discuti potuerunt, nam nulla operatio dabatur Divini per rationalia in sensualia interna hominis, sunt enim longe infra Supremum Divinum non ita unitum: praeter arcaniora adhuc, quae nusquam ad captum alicujus hominis edici possunt, videantur quae prius, n: 1676. 1990. 2016: quod Dominus sicut Sol appareat in coelo coelestium, et sicut Luna in coelo spiritualium angelorum, et quod Sol sit coeleste amoris Ipsius, et quod Luna spirituale amoris, n: 1053. 1521. 1529. 1530. 1531: et quod omnia et singula sint sub aspectu Ipsius, n: 1274 f. 1277 f.

2035. In generationes eorum, quod significet illa quae sunt fidei, constat a significatione Generationum et Nativitatum, quod sint illa quae sunt fidei, de qua n: 613. 1145. 1255. 1330: et quod illa quae sunt amoris et fidei, se habeant sicut consanguinitates et affinitates generationum, n: 685. 917.

2036. Vers: 10. *Hoc foedus meum, quod custodietis inter Me et inter vos; et inter semen tuum post te, circumcidi*

vobis omnem masculum. Hoc foedus meum quod custodietis inter Me et inter vos, significat indicium conjunctionis omnium cum Domino: et inter semen tuum post te, significat illos qui fidem in Ipsum habent: circumcidi vobis omnem masculum, significat puritatem.

2037. Hoc foedus meum, quod custodietis inter Me et inter vos, quod significet indicium conjunctionis omnium cum Domino, constat ex significatione foederis, quod sit conjunctio, de qua prius; hic quod sit indicium conjunctionis, constat a Versu sequente, ubi appellatur Signum foederis, ubi haec, „*Circumcidetis carnem praeputii vestri, et erit in* Signum foe„deris, *inter Me et inter vos.*" Signa foederis erant omnes Ritus Externi Ecclesiae, qui sancte habendi, quia per illos significabantur Interna; Circumcisio, de qua hic agitur, nec fuit nisi Ritus repraesentativus et significativus, de quo in sequentibus; sed usque tales ritus in Verbo passim vocantur foedus, ex causa quia Externa repraesentabant, et sic significabant Interna; Interna sunt foederis, quia conjungunt, non autem externa nisi per interna, externa erant solum signa foederis, seu indicia conjunctionis, ex quibus recordarentur internorum, et sic per haec conjungerentur; de signis foederis videatur n: 1308; omnia Interna, quae foederis sunt, seu quae conjungunt, se referunt ad amorem et charitatem, et ex amore et charitate procedunt, nam ex his binis, nempe amare Dominum supra se, et proximum ut se, omnis lex et omnes prophetae, hoc est, universa doctrina fidei pendet, Matth: XXII: 34 ad 39. Marc: XII: 28 ad 35.

2038. Et inter semen tuum post te, quod significet illos, qui fidem in Ipsum habent, constat a significatione Seminis, quod sit fides ex charitate, de qua prius.

2039. Circumcidi omnem masculum, quod significet puritatem, constat a repraesentatione, et inde significatione Circumcidere in sensu interno; Circumcisio seu excisio praeputii non aliud significabat, quam remotionem et abstersionem eorum, quae impediebant et inquinabant amorem coelestem, quae sunt mala cupiditatum, imprimis cupiditatum amoris sui, et falsa inde; causa hujus significationis est, quia Genitalia utriusque sexus, amorem coelestem repraesentant; sunt tria genera

amorum, quae constituunt coelestia Regni Domini, nempe amor conjugialis, amor erga infantes, et amor societatis seu mutuus; Amor conjugialis est principalis omnium, nam in eo finis maximi usus, nempe propagatio generis humani, et inde Regni Domini, cujus est seminarium; Amor erga infantes proxime succedit, qui inde; et dein Amor societatis seu mutuus; quicquid obtegit, impedit, et conspurcat hos amores, significatur per praeputium, cujus excisio, seu circumcisio, ideo repraesentativa facta est; quantum enim mala cupiditatum et falsa inde, removentur, tantum purificatur homo, et tantum apparere potest Amor coelestis: Amor sui quam contrarius sit amori coelesti, et quam spurcus, dictum et ostensum est, n: 760. 1307. 1308. 1321. 1594. 2045. 2057: ex his liquet quod Circumcisio in sensu interno significet puritatem. Quod Circumcisio sit modo Signum foederis seu conjunctionis, constare potest manifeste ex eo, quod circumcisio praeputii nihil prorsus sit absque circumcisione cordis; et quod circumcisio cordis, quae est purificatio a spurcis illis amoribus, sit quae significatur; ut manifeste ab his in Verbo locis patet; apud Mosen, „*Circumcidet Jehovah Deus cor tuum, et cor seminis tui*, ad „amandum Jehovam Deum tuum in toto corde tuo, et in tota „anima tua, propterea ut vivas," Deut: XXX: 6: ex quibus constat, quod circumcidere cor, sit purificari a spurcis amoribus, ut amari possit Jehovah Deus seu Dominus ex toto corde et ex tota anima: apud Jeremiam, „Novate vobis novale, „et ne seratis inter spinas, *Circumcidite vos Jehovae, et re-„movete praeputium cordis vestri*, vir Jehudae et habitatores „Hierosolymae," IV. 3. 4. circumcidere se Jehovae, et removere praeputia cordis, nec aliud est, quam removere talia quae impediunt amorem coelestem; inde etiam constat, quod circumcisio cordis sit interius quod significatur per circumcisionem praeputii: apud Mosen, „*Circumcidetis praeputium cor-„dis vestri*, et cervicem vestram ne induretis amplius, faciens „judicium orphani et viduae, et amans peregrinum ad dandum „illi panem et vestem," Deut: X: 16. 18; ubi etiam quod circumcidere praeputium cordis, sit purificari a malis amorum spurcorum et a falsis inde, liquet; coelestia amoris describuntur per opera charitatis, nempe per facere judicium orphani

et viduae, et per amare peregrinum ad dandum illi panem et vestem: apud Jeremiam, „Ecce dies venientes, quibus visi- „tabo super omnem *circumcisum in praeputio*, super Aegyptum, „et super Jehudam, et super Edomum, et super filios Ammonis, „et super Moabum, et super omnes abscissos anguli, habitantes „in deserto, quia *omnes gentes praeputiatae*, et omnis domus „Jsraël *praeputiati* corde," IX: 24. 25. quod circumcisio significativum purificationis sit, inde quoque patet, vocantur circumcisi praeputio, sed usque gentes praeputiatae, inter caeteras etiam Jehudas; et Israël praeputiati corde: apud Mosen, „Vel tunc humiliabitur *cor eorum praeputiatum*," Lev. XXVI: 41. similiter. Quod per Praeputium et Praeputiatum significetur immundum, constat apud Esaiam, „Excitare, excitare, in- „due robur tuum Zion, indue vestes decoris tui Hierosolyma, „civitas sanctitatis, quia non addet, veniet in te amplius *Prae- „putiatus et Immundus*," LII: 1. [15] per Zionem intelligitur Ecclesia coelestis, per Hierosolymam Ecclesia spiritualis, in quam praeputiatum, quod est immundum, non intrabit. Quod circumcisio sit *Signum foederis*, seu indicium conjunctionis, manifeste constat ex eo, quod simile repraesentatum per arborum fructus, qui etiam circumciderentur, de quibus ita apud Mosen, „Quando veneritis in terram, et plantaveritis quamcunque „arborem cibi, *praeputiabitis praeputium ejus, fructum ejus*; „tribus annis erit vobis *praeputiati*, non comedetur, et in anno „quarto erit omnis *fructus* ejus sanctitas laudum Jehovae," Lev. XIX: [23.] 24: fructus similiter repraesentant et significant charitatem, ut a multis locis in Verbo constare potest, ita praeputium eorum significat immundum quod charitatem impedit et contaminat. Quod mirabile, cum Angeli, qui in Coelo, ideam purificationis a spurcis naturalibus habent tunc in mundo spirituum repraesentatur velocissime quoddam simile circumcisionis; nam ideae angelicae in repraesentativa in mundo spirituum evadunt: fuerunt ritus repraesentativi in Ecclesia Judaica, qui inde originem duxerunt, et fuerunt quoque qui non inde: illi, apud quos in mundo spirituum, repraesentabatur velox illa circumcisio, volebant admitti in coelum, et antequam admissi, hoc repraesentatum erat; ex quo constare potest, cur mandatum Josuae, quod circumciderel populum, cum Jordanem trans-

gressi intrarent in terram Canaanem; introitus populi in terram Canaanem non aliud repraesentabat, quam intromissionem fidelium in coelum, ideo circumcisio secundo mandata erat, de qua ita apud Josuam, „Jehovah dixit ad Joschuam, fac tibi *gladios* „*petrarum*, *circumcide filios Israëlis secundo*, et fecit sibi Jo„schua *gladios petrarum*, et *circumcidit filios Israëlis ad col*„*lem praeputiorum*: et dixit Jehovah ad Joschuam, hodie devol„vi opprobrium Aegypti desuper vobis, et vocavit nomen loci „illius Gilgal (devolutio:)" V: 2. 3. 9: gladii petrarum significant vera, quibus imbuerentur, ut sic spurcos amores castigare et discutere possent, nam absque cognitionibus veri nusquam aliqua purificatio; quod lapis seu petra significet vera, prius n: 643. 1298, ostensum est; et quod gladius praedicetur de veris, quibus castigentur mala, ex verbo constat.

2040. Vers. 11. *Et circumcidetis carnem praeputii vestri, et erit in signum foederis inter Me et inter vos.* Circumcidetis carnem praeputii vestri, significat remotionem amoris sui et mundi: et erit in signum foederis inter Me et inter vos, significat repraesentativum et significativum puritatis.

2041. Circumcidetis carnem praeputii vestri, quod significet remotionem amoris sui et mundi, constat ex repraesentatione et significatione Circumcisionis, quod sit purificatio a spurcis amoribus, de qua mox supra n: 2039; tum a significatione Carnis, quod sit proprium hominis, de qua prius n: 999; proprium hominis non est nisi amor sui et mundi, ita omnis cupiditas quae inde, quod quam spurcum sit, ostensum est in Parte Prima, n: 141. 150. 154. 210. 215. 694. 731. 874. 875. 876. 987. 1047: quia hoc proprium significatur, quod removendum, hic dicitur caro praeputii. Sunt bini amores ita dicti, et eorum cupiditates, quae impediunt influxum amoris coelestis a Domino; illi enim cum regnant in interiori et externo homine, et eum occupant, tunc influentem amorem coelestem vel rejiciunt vel suffocant, ut et pervertunt et contaminant, nam prorsus contrarii sunt amori coelesti; quod prorsus contrarii sint, ex Divina Domini Misericordia, in sequentibus demonstrabitur; at quantum removentur, tantum amor coelestis influens a Domino incipit apparere, imo illucescere in interiori ejus homine, et tantum incipit videre, quod in malo, et falso

sit, imo dein in immundo et spurco, denique quod hoc fuerit ipsius proprium; sunt ii qui regenerantur, apud quos illi removentur: hoc quoque a non regeneratis potest appercipi, apud quos dum amorum istorum cupiditates quiescunt, ut fit quandoque dum in meditatione sancta sunt, vel dum sopiuntur, quod fit dum in infortuniis sunt, in aegritudinibus et morbis, et maxime in momentis mortis, tunc quia corporea et mundana sopita sunt, et quasi mortua, appercipiunt aliquid luminis coelestis, et solatii inde; sed apud hos non est remotio illarum cupiditatum, sed modo sopitio, nam illico dum in statum pristinum redeunt, in cupiditates illas relabuntur: apud malos etiam sopiri possunt corporea et mundana, et tunc elevari quasi in quoddam coeleste, ut quandoque fit cum animabus imprimis recentibus in altera vita, qui intense cupiunt videre gloriam Domini, quia tantum de Coelo audiverunt in mundo cum vixerunt, illis tunc sopiuntur externa illa, et sic evehuntur in primum Coelum, et fruuntur desiderio suo; sed non diu subsistere possunt, quia est modo quiescentia corporeorum et mundanorum, non autem remotio, ut apud Angelos, de quibus videatur n: 541. 542. Sciendum est, quod amor coelestis a Domino continue influat apud hominem, et quod nihil aliud sit, quod obstat, impedit, et facit, quod illum recipere nequeat, quam cupiditates amorum illorum, et falsitates inde.

2042. Et erit in signum foederis inter Me et inter vos, quod significet repraesentativum et significativum puritatis, constat ex illis quae ostensa sunt mox supra n: 2039, nempe quod Circumcisio non fuerit aliud quam repraesentativum purificationis ab amoribus spurcis; et quia solum externus ritus fuit, qui repraesentabat et significabat internum, non erat foedus, sed signum foederis.

2043. Vers: 12. *Et filius octo dierum circumcidetur vobis, omnis masculus, in generationes vestras, natus domus, et emptio argenti, ab omni filio alienigena, qui non e semine tuo ille.* Filius octo dierum, significat principium purificationis quodcunque: circumcidetur vobis, significat purificationem: omnis masculus, significat eos qui in vero fidei: in generationes vestras, significat illa quae sunt fidei: natus domus, significat coelestes: emptio argenti, significat spirituales, qui sunt

intra Ecclesiam: ab omni filio alienigena qui non e semine tuo, significat illos qui extra Ecclesiam.

2044. Et filius octo dierum, quod significet principium purificationis quodcunque, constat ex significatione Octavi diei; Septimana, quae est septem dierum, significat integram periodum cujuscunque status et temporis, ut reformationis, regenerationis, tentationis, tam hominis in particulari, quam Ecclesiae in communi; ita septimana dicitur periodus, sive foret mille annorum, sive centum, sive decem, ita dierum, horarum, minutorum, et sic porro, quod a locis in Parte Prima n: 728. citatis constare potest; et quia dies octavus est dies primus sequentis septimanae, hic significat principium quodcunque. Inde quoque constat, quod sicut ipsa circumcisio fuit repraesentativum purificationis, ita etiam tempus, nempe octavus dies; non quod tunc intrarent in statum puriorem, et quod ideo purificati essent, sed quia sicut circumcisio significabat purificationem, ita octavus dies, quod fieri debeat omni tempore, et sic semper ut e novo principio.

2045. Circumcidetur vobis, quod significet purificationem, constat a repraesentatione et significatione Circumcisionis, quod sit purificatio ab amoribus spurcis, de qua supra n: 2039. Qui in amoribus sui et mundi sunt, nusquam credere possunt, quod in tam spurcis et immundis sint, sicut actualiter sunt; quoddam enim volupe et jucundum est, quod mulcet, favet, et adblanditur, et facit, ut vitam eam ament, praeferant omni alii vitae, et sic putent nihil mali inesse; nam quicquid favet alicujus amori et inde vitae, creditur esse bonum; inde etiam rationale consentit, et suggerit falsa quae confirmant, quae occaecant in tantum, ut nihil videant quid amor coelestis, et si viderent, corde suo dicerent, esse quoddam miserum, aut quoddam nihil, aut quoddam phantasiae simile, quod animum tenet sicut in aegritudine: sed quod vita amoris sui et mundi cum ejus voluptariis et jucundis sit spurca et immunda, constare potest cuivis, si ex rationali facultate, qua donatus est, cogitare velit; amor sui est, ex quo omnia mala, quae destruunt societatem civilem; ex illo ut ex immundo puteo scaturiunt omnia odia, omnes vindictae, omnes crudelitates, imo omnia adulteria; qui enim se amat, alios omnes, qui sibi non

serviunt, aut honorem praestant, aut favent, vel contemnit, vel vituperat, vel odio habet; et cum odio habet, non spirat nisi vindictas et crudelitates, et hoc quantum se amat; ita amor ille est destructivus societatis et generis humani; quod talis sit, videantur etiam quae in Parte Prima de eodem dicta sunt, n: 693. 694. 760. 1307. 1308. 1321. 1506. 1594. 1691. 1862: quod amor sui sit spurcissimus in altera vita, et e diametro oppositus amori mutuo, in quo coelum consistit, in sequentibus etiam, ex Divina Domini Misericordia, dicetur; et quia inde sunt odia, vindictae, crudelitates, et adulteria, inde sunt omnia, quae peccata, scelera, abominationes et prophanationes, vocantur; quare cum ille in rationali hominis est, inque ejus externi hominis cupiditatibus et phantasiis, tunc influxus amoris coelestis a Domino, continuo arcetur, pervertitur, et contaminatur; est sicut foedum excrementum, quod omnem odorem suavem dissipat, imo conspurcat; et est sicut objectum, quod radios lucis continue influentes, in tetros et nigros colores vertit; et est sicut tigris et serpens, qui adblandimenta respuit, et eos, qui cibos porrigunt, morsu et veneno necat; aut sicut homo facinorosus, qui intentiones etiam optimas aliorum, ipsaque beneficia, in vituperia et malitias vertit: inde constat, quod amores illi, nempe sui et mundi, sint, qui per praeputia repraesentantur et significantur, quae abscindenda.

2046. Quod omnis masculus significet illos, qui in vero fidei sunt, constat a significatione Masculi, quod sit verum, de qua n: 672. 749: quod masculus dicatur, per quem significatur verum fidei, causa est, quia nemo purificari potest ab amoribus illis spurcis, nisi qui in vero est; ex vero cognoscit, quid est purum et impurum, et quid sanctum et prophanum; antequam hoc novit non sunt media, in quae et per quae operari potest amor coelestis qui continue influit a Domino, qui non recipi potest nisi in veris; quare per cognitiones veri reformatur et regeneratur homo, et hoc non prius, quam cum illis imbutus est; ipsa conscientia per vera fidei formatur, nam conscientia est veri et recti, qua regeneratus donatur, de qua videatur, n: 977. 986 f: 1033. 1076. 1077: haec causa etiam est, quod cultri lapidei, seu gladii petrarum, ut vocan-

tur, ad circumcisionem adhiberentur, per quos quod significentur vera, videatur supra n: 2039 ad fin.

2047. In generationes vestras, quod significet illa quae sunt fidei, constat a significatione Generationum et Nativitatum, quod sint illa quae sunt fidei, de qua n: 613. 1145. 1255. 2020. 2035.

2048. Quod natus domus significet coelestes, et quod emptio argenti significet spirituales, ita qui intra Ecclesiam, constat a significatione nati domus, quod sint illi qui intra domum; domus in Verbo significat coeleste, quia hoc intimum unde per Domum Dei significatur in universali sensu Regnum Domini, in minus universali Ecclesia, in particulari ipse homo, in quo est Regnum seu Ecclesia Domini; quando homo dicitur domus, significatur coeleste fidei apud eum, quando templum, significatur verum fidei apud eum; ita hic per natum domus significantur coelestes. Quod autem emptio argenti seu emptus argento significet spirituales, constat ex significatione argenti, quod sit verum, ita spirituale fidei, de qua in Parte Prima n: 1551: Coelestes dicuntur, qui sunt in amore in Dominum, et quia Antiquissima Ecclesia, quae ante diluvium, in illo amore fuit, erat Ecclesia coelestis; Spirituales dicuntur, qui in amore erga proximum, et sic in vero fidei; talis fuit Antiqua Ecclesia, quae post diluvium; de distinctione inter Coelestes et Spirituales, pluries actum est in Parte Prima. Quisque videre potest, quod hic arcana coelestia sint, nempe quod circumcidendi essent nati domus, et empti argento, tum quoque filii alienigenae, et quod illi nominentur, et hoc, aliquoties, ut in Vers: seq: 13. 23. 27, quae arcana non patent nisi ex sensu interno, nempe quod per natos domus, et emptos argento, significentur coelestes et spirituales, ita qui intra Ecclesiam, et per filium alienigenam qui non e semine, illi qui extra Ecclesiam.

2049. Ab omni filio alienigena, qui non e semine tuo ille, quod significet illos qui extra Ecclesiam sunt, constat a significatione filii alienigenae, quod sint illi qui non nati intra Ecclesiam, ita non in bonis et veris fidei, quia non in cognitionibus illorum: filii alienigenae etiam significant illos qui in externo cultu sunt, de quibus n: 1097, sed tunc agitur de

illis qui intra Ecclesiam sunt; hic vero, quia de Ecclesia Domini in universali, sunt filii alienigenae illi qui non nati intra Ecclesiam, sicut sunt gentes: Gentes, quae extra Ecclesiam, possunt esse in veris, sed non in veris fidei; vera eorum sunt, sicut praecepta decalogi, quod honorandi parentes, quod non occidendum, non furandum, non adulterandum, non concupiscenda quae sunt aliorum, tum quod Numen colendum; sed vera fidei sunt omnia Doctrinalia de Vita aeterna, de Regno Domini, et de Domino; haec illis non possunt nota esse, quia Verbum non habent; hi sunt, qui per filios alienigenas, qui non e semine, et qui cum circumcidendi, hoc est, purificandi, significantur; inde patet, quod illi aeque purificari queant ac qui intra Ecclesiam; quod repraesentabatur per circumcidi; purificantur quando rejiciunt spurcos amores, et vivunt inter se in charitate, tunc enim vivunt in veris, nam omnia vera sunt charitatis, sed in veris, de quibus prius; qui cum in his veris vivunt, facile hauriunt vera fidei, si non in vita corporis, usque in altera vita, quia vera fidei sunt interiora vera charitatis, nihil enim plus tunc amant, quam in interiora vera charitatis admitti; interiora charitatis sunt, in quibus consistit Regnum Domini, de illis videatur n: 932. 1032. 1059. 1327., 1328. 1366. In altera vita nihil facit scientia cognitionum fidei, pessimi enim, imo infernales, possunt esse in scientia illarum, quandoque prae aliis, sed est vita secundum cognitiones, nam omnes cognitiones pro fine habent vitam; nisi addiscerentur propter vitam, nullius usus forent, praeter quod loqui possint de iis, et inde docti haberi in mundo, in honores evehi, et lucrari famam et opes; inde constat quod vita cognitionum fidei non alia sit quam vita charitatis, Lex enim et Prophetae, hoc est, universa Doctrina fidei cum omnibus ejus cognitionibus, consistit in amore in Dominum, et in amore erga proximum, ut manifestum est unicuivis ex Domini verbis, apud Matthaeum, Cap: XXII: 34 ad 39, et apud Marcum, Cap: XII: 28 ad 35; at doctrinalia seu cognitiones fidei usque maxime necessariae sunt ad formandam vitam charitatis, quae absque illis formari nequit; haec vita est, quae salvat post mortem, nusquam aliqua vita fidei absque illa, nam absque charitate non dabilis est vita fidei; qui in vita amoris et

charitatis sunt, in Domini vita sunt, Ipsi conjungi nemo potest per aliam; inde quoque constat, quod vera fidei nusquam agnosci queant ut vera, hoc est, dari Agnitio illorum, de qua loquuntur, quam exterius et ore, nisi sint implantata in charitate, interius enim aut corde negantur, nam, ut dictum, omnia pro fine habent charitatem, quae si non inest, interius rejiciuntur; interiora patent qualia sunt, cum auferuntur exteriora, ut fit in altera vita, quod nempe prorsus contraria sint omnibus veris fidei; vitam charitatis seu amorem mutuum accipere in altera vita, cum nullum habuerint in vita corporis, nusquam datur, sed vita ejus in mundo manet illis post mortem; illum enim aversantur et odio habent; cum modo approximant ad societatem, ubi vita amoris mutui, tremunt, horrent et cruciatu afficiuntur: tales, tametsi intra Ecclesiam nati sunt, dicuntur filii alienigenae praeputiati corde et praeputiati carne, qui non admittendi in Sanctuarium, hoc est, in Regnum Domini, qui etiam intellecti apud Ezechielem, „*Ullus filius* „*alienigena*, *praeputiatus corde*, *et praeputiatus carne*, non „intrabit in Sanctuarium," XLIV: 7.9: et apud Eundem, „Cui „similis factus es sic in gloria, et in magnitudine, inter *arbo*-„*res Edenis*, et descendere factus fueris cum *arboribus Edenis* „in terram inferiorem, in *medio praeputiatorum* cubabis cum „confossis gladio," XXXI: 18; ubi de Pharaone, per quem significantur Scientiae in genere, n: 1164. 1165. 1186. [16] 1462; per arbores Edenis, cum quibus descenderent in terram inferiorem, quoque scientiae, sed scientiae cognitionum fidei. Inde nunc patet, quid praeputiatus sit in sensu interno, nempe qui in spurcis amoribus, et illorum vita est.

2050. Vers: 13. *Circumcidendo circumcidetur natus domus tuae, et emptio argenti tui; et erit foedus meum in carne vestra in foedus aeternum.* Circumcidendo circumcidetur, significat quod illi omnino removebunt a se amores sui et mundi: natus domus tuae, et emptio argenti tui, significat qui intra Ecclesiam utriusque generis: et erit foedus meum in carne vestra, significat conjunctionem Domini cum homine in ejus impuritate, tum etiam significativum: in foedus aeternum, significat conjunctionem.

2051. Quod circumcidendo circumcidetur, significet quod

illi omnino removebunt a se amores sui et mundi, nempe qui intra Ecclesiam, qui significantur per natum domus, et emptum argento, constat a repraesentatione circumcisionis, quod sit purificatio ab amoribus sui et mundi, de qua supra n: 2039: hic repetitur iterum, quod circumcidentur, et dicitur quod circumcidendo circumcidetur, quo exprimitur necessitas, hoc est, quod omnino ab illis amoribus purificandi; et quia significantur illi qui intra Ecclesiam, hic filii alienigenae non memorantur, nam per hos, ut supra n: 2048 [sq.] ostensum, significantur illi qui extra Ecclesiam sunt: ex repetitione eorum, quae in Versu praecedente dicta sunt de natis domus et emptis argento, quisque videre potest, quod divinum arcanum sit, quod ex sensu literae non patet; arcanum est, quod purificatio a foedis illis amoribus maxime necessaria sit intra Ecclesiam, ex causa etiam, quia, qui intra Ecclesiam sunt, impura possunt reddere ipsa sancta, quod illi qui extra Ecclesiam, seu gentes, facere nequeunt; inde periculum damnationis illis majus est; praeterea illi, qui intra Ecclesiam, principia falsi contra ipsa vera fidei possunt formare, et iis imbui, qui autem extra Ecclesiam sunt, id non possunt, quia ignorant illa; ita illi prophanare possunt sancta vera, hi vero non; de quibus plura videantur in Parte Prima, n: 1059. 1327. 1328.

2052. Quod natus domus tuae, et emptio argenti tui, significet illos qui intra Ecclesiam, utriusque generis, nempe coelestes, qui sunt natus domus, et spirituales, qui sunt emptio argenti, supra n: 2048, [17] ostensum est.

2053. Erit foedus meum in carne vestra, quod significet conjunctionem Domini cum homine in ejus impuritate, constat ex significatione foederis quod sit conjunctio, de qua supra; et ex significatione carnis, quod sit proprium hominis; de qua etiam supra n: 2041; proprium quam impurum sit, ibi quoque dictum, et in Parte Prima ostensum, n: 141. 150. 154. 210. 215. 694. 731. 874. 875. 876. 987. 1047. Quod foedus meum in carne vestra sit conjunctio Domini cum homine in ejus impuritate, ita se habet; apud hominem non datur aliquod verum intellectuale purum, hoc est, verum Divinum, sed vera fidei, quae apud hominem, sunt apparentiae veri, quibus se adjungunt fallaciae quae sunt sensuum, et his falsa

quae sunt cupiditatum amoris sui et mundi, talia vera apud hominem sunt; quae quam impura sunt, constare potest ex eo, quod iis adjuncta sint talia; sed usque Dominus se conjungit cum homine in istis impuris, illa enim animat et vivificat innocentia et charitate, et sic format conscientiam; vera conscientiae sunt varia, nempe secundum cujusvis religionem, quae violare Dominus non vult, quia homo illis imbutus est, et sanctitatem in illis posuit, modo non sint contraria bonis fidei; Dominus neminem frangit sed flectit; quod constare exinde potest, quod in unoquovis dogmate intra Ecclesiam sint, qui conscientia donantur, quae usque eo melior est, quo vera ejus propius accedunt ad vera genuina fidei; quia ex veris fidei ejuscemodi formatur conscientia, constat quod illa formata sit in parte hominis intellectuali, nam pars intellectualis est, quae recipit illa; quam partem ideo Dominus miraculose separavit a parte voluntaria; quod est arcanum prius non notum, de quo videantur quae in Parte Prima, n: 863. 875. 895. 927. 1023. Quod foedus in carne vestra etiam significativum sit, nempe purificationis, constat ab illis, quae de circumcisione n: 2039, ostensa sunt.

2054. In foedus aeternum, quod significet conjunctionem, constat ex significatione foederis, quod sit conjunctio, de qua prius. Hic quia agitur de illis qui intra Ecclesiam sunt, iterum dicitur foedus, et hic foedus aeternum, ex causa, tam quia illis maxime necessarium circumcidi seu purificari ab amoribus sui et mundi, ut ostensum supra n: 2051; quam quia cum illis, qui intra Ecclesiam, proxima est conjunctio Domini et Ipsius Coeli, quoniam per bona et vera fidei: est quidem conjunctio etiam cum illis qui extra Ecclesiam, sed remotior, quia non in bonis et veris fidei sunt, ut dictum supra n: 2049: [18] Ecclesia in Regno Domini, se habet sicut cor et pulmones in homine, interiora hominis cum externis ejus per cor et pulmones conjunguntur, inde omnia viscera, quae circumcirca sunt, vivunt; ita quoque se habet cum genere humano, conjunctio Domini et Ipsius Coeli est proxima cum Ecclesia, remotior autem cum illis qui extra Ecclesiam, qui sunt sicut viscera, quae medio corde et pulmone vivunt: Coelestes sunt instar Cordis, Spirituales autem instar Pulmonum: illius et hujus necessitatis

causa hic agitur in specie de illis, qui intra Ecclesiam, et bis repetitur foedus.

2055. Vers: 14. *Et praeputiatus masculus, qui non circumciditur carne praeputii sui, excidetur anima illa ex populis suis, foedus meum irritum fecit.* Praeputiatus masculus, significat qui non in vero fidei: qui non circumciditur carne praeputii sui, significat qui in amore sui et mundi: et excidetur anima illa ex populis suis, significat mortem aeternam: foedus meum irritum fecit, significat quod conjungi non possit.

2056. Et praeputiatus masculus, quod significet qui non in vero fidei, constat a significatione Masculi, quod sit verum fidei, de qua supra n: 2046, quare hic praeputiatus masculus significat illum qui non in vero fidei, ita qui in falso; praeputiatum praedicatur de eo, quod impedit et conspurcat, sicut prius dictum; cum id adjungitur masculo, est id quod impedit et conspurcat verum; similiter cum alii alicui rei adjungitur, significat ejusdem rei obfuscationem et contaminationem, ut praeputiata auris apud Jeremiam, „Super quem loquar, et „testificabor, et audient, ecce *Praeputiata auris eorum*, et „non possunt auscultare; ecce verbum Jehovae factum est „in opprobrium, non volunt illud,„ VI: 10; praeputiata auris pro quod nulla auscultatio, et quod illis Verbum opprobrio. Agitur in hoc Versu etiam de illis qui intra Ecclesiam, qui non solum in falso, sed etiam in impuro amorum sui et mundi, nam continuantur praecedentibus, quare dicitur praeputiatus masculus, qui non circumciditur carne praeputii sui, ita est falsum conjunctum impuro vitae; quantum periculi damnationis aeternae illis sit, ex iis quae supra n: 2051 dicta sunt, constare potest: hic imprimis significantur illi intra Ecclesiam, qui bona et vera fidei prophanant, de quibus dicitur, quod excidetur anima illa ex populis suis; illi enim prophanare possunt, non autem ii qui extra Ecclesiam sunt, ut in Parte Prima n: 593. 1008. 1010. 1059, ostensum est.

2057. Qui non circumciditur carne praeputii sui, quod significet qui in amore sui, constat ex illis quae supra de significatione circumcidi et praeputii n: 2039. 2049 f: tum de significatione carnis, n: 2041, dicta sunt; caro praeputii hic significat amorem sui; qui intra Ecclesiam in falso sunt et si-

mul in amore sui, ii imprimis sancta prophanant, non ita illi, qui in alio quocunque amore sunt, nam amor sui est omnium spurcissimus, quia destructivus societatis, ita destructivus generis humani est ut supra n: 2045 ostensum; quod etiam e diametro oppositus sit amori mutuo, in quo Coelum consistit, ita destructivus ipsius ordinis coelestis, constare potest a malis spiritibus et geniis in altera vita, tum ab infernis, in quibus nihil est nisi amor sui, qui regnat, et quia amor sui, etiam omnia odiorum, vindictarum et crudelitatum genera, quia haec sunt inde: Amor mutuus in Coelo consistit in eo, ut proximum ament plus quam se, inde totum Coelum repraesentat sicut unum hominem, nam per mutuum amorem a Domino ita consociantur omnes; inde est, quod omnium felicitates communicentur singulis, et singulorum omnibus; ipsa forma coelestis inde talis est, quod quisque quasi sit quoddam centrum, ita centrum communicationum proinde felicitatum ab omnibus, et hoc secundum omnes differentias amoris illius, quae innumerabiles; et quia illi, qui in amore illo sunt, summam felicitatem percipiunt ex eo, quod communicare possint illud quod ad eos influit cum aliis, et hoc ex corde, inde perpetua et aeterna fit communicatio, ex qua, quantum Domini Regnum, tantum singulorum felicitas crescit; Angeli, quia in societates et mansiones distincti sunt, de eo non cogitant, sed Dominus ita omnia et singula disponit; tale est Regnum Domini in Coelis. Sed hanc formam, et hunc ordinem nihil aliud destruere conatur quam amor sui, ita omnes illi, in altera vita, qui in amore sui sunt, profundius infernales prae aliis; amor enim sui nihil communicat aliis, sed aliorum jucunda et felicia exstinguit et suffocat; quodcunque jucundum ad illos influens ab aliis, ad se recipiunt, in se concentrant, vertunt in spurcum sui, et faciunt ut non ulterius propagetur, ita destruunt omne unanimum et consociabile, inde disunio, et consequenter destructio; et quia unusquisque eorum ab aliis serviri, coli et adorari vult, et nullum amat quam semet, inde dissociatio, quae determinatur et se exserit in lamentabiles status, ut nihil jucundius percipiant, quam ex odio, vindicta et crudelitate alios diris modis et phantasiis cruciare; tales cum ad societatem quandam veniunt ubi amor mutuus, quia omne

influens jucundum in illis terminatur, sicut impura et mortua pondera in pura et viva aura, a semet dejiciuntur, et quia sui spurcam ideam exhalant, ibi vertitur jucundum eorum in foetorem cadaverosum, ex quo sui infernum sentiunt, praeter quod angore atroci corripiantur: exinde constare potest, qualis amor sui est, nempe quod non solum destructivus generis humani, ut supra n: 2045 ostensum, sed etiam quod sit destructivus Ordinis coelestis, ac ita in illo nihil nisi impurum, spurcum, prophanum, ac ipsum infernum; utcunque non talis apparet illis, qui in eo sunt. Illi in amore sui sunt, qui contemnunt alios prae se, et illos, qui sibi non favent, serviunt, et quendam cultum praebent, odio habent, et crudele jucundum capiunt in vindicta, et in aliorum honoris, famae, opum, et vitae, deprivatione; qui in illo sunt, in his sunt, et qui in his, sciant quod in illo sint.

2058. Et excidetur anima illa ex populis suis, quod significet mortem aeternam, constat ex significatione Animae, quod sit vita, de qua n: 1000. 1040. 1742; et ex significatione populorum, quod sint vera, de qua n: 1259. 1260, ita quod populi sint viventes in veris, hoc est, Angeli a quibus exscindi anima, est damnari seu perire morte aeterna.

2059. Quod foedus meum irritum fecit, significet quod conjungi non possit, constat ex significatione foederis, quod sit conjunctio, de qua prius; ita foedus irritum facere est se disjungere, adeo ut conjungi non possit.

2060. Vers: 15. *Et dixit Deus ad Abraham, Sarai uxor tua, non vocabis nomine ejus Sarai, quoniam Sarah nomen illius.* Dixit Deus ad Abraham, significat perceptionem: Sarai uxor tua, significat, hic ut prius, verum conjunctum bono: non vocabis nomine ejus Sarai, significat quod exuet humanum: quoniam Sarah nomen illius, significat quod induet Divinum.

2061. Dixit Deus ad Abraham, quod significet perceptionem, constat a significatione, dicere Deus, in sensu historico, quod sit in sensu interno percipere, de qua prius n: 1791. 1815. 1819. 1822. 1898. 1919: quia hic nunc de alia re agitur, nempe de illa quae significatur per Sarai et Sarah, tum quae per promissionem filii ex Sarah, et per Ismaëlem quod

in gentem magnam futurus, inchoatur per novam perceptionem Domini, quae exprimitur per *dixit Deus ad Abrahamum,* sicut passim in aliis locis.

2062. Sarai uxor tua, quod significet verum conjunctum bono, constat a significatione Sarai, quod sit Verum intellectuale, et quia uxor hic additur, quod sit verum illud conjunctum bono; quod Sarai et Sarai uxor significet verum conjunctum bono, prius n: 1468. 1901, et alibi passim ostensum est.

2063. Quod non vocabis nomine ejus Sarai, quoniam Sarah nomen illius, significet quod exuet humanum, et induet Divinum, constat ex illis quae supra ad Vers: 5 dicta sunt de Abrahamo, ubi haec, *non vocabitur amplius nomine tuo Abram, et erit nomen tuum Abraham,* per quae similiter significatum, quod exuet humanum, ac induet Divinum, de quibus n: 2009; litera enim (H), quae adjecta est nomini Sarah, ex Jehovae Nomine desumpta est, ob causam ut Sarah, sicut Abraham, repraesentaret Divinum Domini, nempe divinum conjugium Boni cum Vero in Domino, Abraham Divinum Bonum, et Sarah Divinum Verum, ex quo nasceretur Divinum Rationale, quod est Isacus. Divinum bonum, quod est amor, et respective ad universum genus humanum est Misericordia, fuit Internum Domini, hoc est, Jehovah, qui ipsum Bonum est, hoc repraesentatur per Abrahamum; Verum quod conjungendum Divino Bono, repraesentatum est per Sarai, quod cum etiam Divinum factum, repraesentatur per Sarah, nam Dominus ad unionem cum Jehovah successive progressus est, ut supra passim dictum; Verum nondum Divinum per Sarai repraesentatum, erat, cum adhuc non ita unitum Bono, ut ex Bono verum: at cum ita unitum Bono, ut ex Bono procederet, tunc fuit Divinum, ac ipsum Verum tunc quoque Bonum, quia Boni verum; aliud est verum quod tendit ad Bonum, ut uniatur Bono, et aliud, quod unitum Bono ita, ut procedat prorsus a Bono; verum quod tendit ad Bonum, trahit adhuc aliquid ab humano, at quod prorsus unitum Bono, hoc exuit omne quod est humanum, et induit Divinum: hoc per simile, ut prius, apud hominem, illustrari potest; cum regeneratur homo, hoc est, cum conjungendus Domino, ad conjunctionem per Verum, hoc est, per vera fidei procedit,

nemo enim regenerari potest, nisi per cognitiones fidei, quae sunt vera, per quae ad conjunctionem procedit; his Dominus obviam it per bonum, hoc est, per charitatem, et illam inaptat cognitionibus fidei, hoc est, veris ejus; omnia enim vera sunt vasa recipientia boni, quare quo genuina magis sunt vera, et quo plus multiplicantur, eo plus bono datur copia recipiendi illa ut vasa, redigendique illa in ordinem, et se demum manifestandi, usque demum ut non appareant vera, nisi quantum per illa translucet bonum, ita verum fit coeleste spirituale; quia in bono, quod solius est charitatis, Dominus solum est praesens, ita homo conjungitur Domino, et donatur per bonum, hoc est, per charitatem, conscientia, ex qua dein cogitat verum et facit rectum, sed haec secundum vera et recta, quibus bonum seu charitas inaptatur.

2064. Vers: 16. *Et benedicam illi, et etiam dabo ex illa tibi filium, et benedicam illi, et erit in gentes, reges populorum ex illa erunt.* Benedicam illi, significat multiplicationem veri: et etiam dabo ex illa tibi filium, significat rationale: et benedicam illi, significat ejus multiplicationem: et erit in gentes, significat bona inde: reges populorum ex illa erunt, significat vera ex conjunctis veris et bonis, quae sunt reges populorum.

2065. Quod benedicam illi, significet multiplicationem veri, constat a significatione Benedici, quod sit locupletari omni bono et vero, de qua in Parte Prima, n: 981. 1096. 1420. 1422; hic quia ad Sarah dicitur, quod Deus benediceret illi, significatur locupletatio seu multiplicatio veri, nam per Sarah, ut prius ostensum, repraesentatur et significatur Verum boni, quod est verum intellectuale, de quo vero, et ejus multiplicatione hic agitur; quid verum intellectuale, videatur prius n: 1904.

2066. Et etiam dabo tibi ex illi filium, quod significet rationale, constat ex significatione filii, quod sit verum, de qua n: 489. 491. 533. 1147; et quia omne rationale a vero inchoat, hic per filium significatur rationale: primum rationale Domini repraesentatum et significatum est per Ismaëlem, natum ex Hagare ancilla, de quo in Cap: praec: XVI; alterum Rationale, de quo hic agitur, repraesentatur et significatur per Isacum, qui nasceretur ex Sarah; illud, nempe quod re-

praesentatum per Ismaëlem, fuit Rationale quod domo postea expulsum est; hoc autem Rationale, quod repraesentatur per Isacum, est quod domo mansit, quia Divinum: sed de hoc Rationali, in sequente Capite, ubi de Isaco, ex Divina Domini Misericordia, dicendum.

2067. Et benedicam illi, quod significet ejus multiplicationem, nempe Rationalis per filium intellecti, constat ex significatione benedici, quod sit locupletari omni bono et vero, de qua mox supra.

2068. Et erit in gentes, quod significet bona inde, constat ex significatione Gentium, quod sint bona, de qua, in Parte Prima n: 1259. 1260. 1416. 1849.

2069. Reges populorum ex illa erunt, quod significet vera ex conjunctis veris et bonis, quae sunt reges populorum, constat ex significatione Regum quod sint in genere omnia vera, de qua supra n: 2015; et a significatione populorum, quod etiam, sint vera, in genere omnia spiritualia, nam Reges praedicantur ex populis, non ita ex gentibus, nisi dum gentes significant mala, de qua n: 1259. 1260. In verbo prophetico Reges et Populi pluries nominantur, sed per illos nusquam intelliguntur reges et populi, nam de Regibus et Populis nihil agitur in ipsissimo Verbo, quod est sensus internus, sed de coelestibus et spiritualibus quae sunt Regni Domini, ita de bonis et veris; sensus literae modo praebet objecta, sicut voces humanae, ad intelligendum sensum, qui inde. Hic quia agitur de Sarah, quod ex illa Reges populorum erunt, et per Sarah significatur Divinum verum quod Domino, constat, quod per Reges populorum significentur vera ex conjunctis veris et bonis, quae sunt omnia Vera Internae Ecclesiae, seu interiora fidei; haec vera, quia a Domino, passim in Verbo vocantur Reges, tum etiam filii Regis, ut supra n: 2015 ostensum. Quisque videre potest, quod aliquod internum Divinum in his verbis, quod Reges populorum ex illa erunt, reconditum lateat, nam in hoc versu de Isaco agitur, et de illo dicitur, benedicam ei, et erit in gentes, sed de Sarah, quod Reges populorum ex illa erunt; tum quod etiam de Abrahamo supra vers: 6, simile paene dictum, quod Reges ex illo exibunt, non autem ut de Sarah, quod Reges populorum; arcanum, quod

inibi, altius latet, quam ut paucis possit evolvi et describi; a repraesentatione et significatione Abrahami, quod sit Divinum Bonum, et a repraesentatione et significatione Sarah, quod sit Divinum Verum, aliquantum patet, nempe quod ex Divino Bono Domini per Abrahamum intellecto, omne coeleste verum, et ex Divino Vero Domini per Sarah intellecto, omne spirituale verum, exibit et erit; Coeleste verum est quod apud Coelestes Angelos, et Spirituale verum, quod apud Spirituales Angelos; seu quod idem, Coeleste verum erat, quod apud homines Antiquissimae Ecclesiae, quae ante diluvium, fuit, quae Ecclesia coelestis fuit; Spirituale verum, quod apud homines Antiquae Ecclesiae, quae post diluvium, et Ecclesia spiritualis, fuit; Angeli enim, sicut etiam Homines Ecclesiae, distinguuntur in Coelestes et Spirituales, illi distincti sunt ab his per amorem in Dominum, hi distincti ab illis per amorem erga proximum: sed de Coelesti vero, et de spirituali vero non plura dici possunt, priusquam sciatur, quae distinctio sit inter coeleste et spirituale, seu quod idem est, inter Ecclesiam Coelestem et spiritualem, de qua videantur quae in Parte Prima, n: 202. 337. 1577; tum qualis Antiquissima Ecclesia, et qualis Antiqua, n: 597. 607. 640. 765. 1114 ad 1125, et pluries in aliis locis; et quod habere amorem in Dominum, coeleste sit, et quod habere amorem erga proximum, spirituale: n: 2023: Arcanum inde nunc patet, quod per Reges, qui ex Abrahamo exibunt, de quibus Vers: 6, significentur coelestia vera quae a Domini Divino Bono influunt; et quod per Reges populorum qui ex Sarah erunt, de quibus in hoc Versu, significentur spiritualia vera, quae a Domini Divino vero influunt; Divinum enim Bonum Domini non potest influere nisi apud coelestem hominem, quia influit in partem ejus voluntariam, ut apud Antiquissimam Ecclesiam, Divinum autem Verum Domini influit apud hominem spiritualem, quia solum in partem ejus intellectualem, quae in eo separata est a parte ejus voluntaria, n: 2053 ad fin: seu quod idem, Coeleste bonum influit apud hominem coelestem, spirituale bonum apud hominem spiritualem; quare Dominus coelestibus Angelis apparet ut Sol, Spiritualibus vero ut Luna, n: 1529. 1530.

2070. Vers: 17. *Et cecidit Abraham super facies suas,*

et risit, et dixit in corde suo, num filio centum annorum nascetur; et an Sarah filia nonaginta annorum pariet. Cecidit Abraham super facies suas, significat adorationem: et risit, significat affectionem veri: et dixit in corde suo, significat quod sic cogitaverit: num filio centum annorum nascetur, significat quod tunc Rationale Humanae Essentiae Domini uniretur Divinae: et an Sarah filia nonaginta annorum pariet, significat quod verum conjunctum bono hoc faciet.

2071. Cecidit Abraham super facies suas, quod significet adorationem, constat a significatione cadere super facies, quod sit adorare, de qua supra, n: 1999.

2072. Et risit, quod significet affectionem veri, constare potest ex origine et essentia risus; origo ejus non alia est, quam affectio veri vel affectio falsi, inde hilaritas et laetitia, quae exserit se in facie per risum; inde patet, quod essentia risus non aliud sit; risus quidem est externum quid, quod corporis quia faciei, sed in Verbo interiora per exteriora exprimuntur et significantur, sicut omnes affectiones interiores animi et mentis per faciem, auditio interior et obedientia per aurem, visus internus seu intellectus per oculum, potentia et robur per manum et brachium, et sic porro, ita affectio veri per risum: in Rationali hominis est verum, quod est praecipuum, in illo etiam est affectio boni, sed haec est in ipsa affectione veri, sicut ejus anima; affectio boni, quae in rationali, non se exserit per risum, sed per gaudium quoddam, et inde per jucundum voluptatis, quod non ridet [19]; nam in risu communiter quoque aliquid est, quod non ita bonum. Quod in Rationali hominis verum sit praecipuum, causa est, quia Rationale formatur per cognitiones veri, nam nisi per illas, nusquam aliquis rationalis fieri potest; cognitiones boni sunt aeque vera, ac cognitiones veri. Quod Risus hic significet affectionem veri, constare potest ex eo, quod hic memoratur Abraham risisse, et similiter Sarah tam antequam natus Isacus, quam postquam natus, tum quod Isacus a Risu nominatus, nam Isac significat risum; quod Abraham, cum audiverit de Isaco, *riserit*, ex hoc Versu constat, nam dicitur, quod Abraham, cum audivit de filio ex Sarah, *riserit*, quod etiam Sarah, antequam natus Isacus, cum audivit a Jehovah quod pareret, de qua ita, „Sarah cum audivit ad

„ostium tentorii; *Risit Sarah intra seipsam*, dicendo, post„quam consenui, eritne mihi voluptas, et Dominus meus senex: „et dixit Jehovah ad Abrahamum, quare hoc *Risit Sarah*, di„cendo num etiam vere pariam, et ego consenui: negavit Sa„rah, dicendo *non risi*, quia timuit; et dixit, non, *at risisti*," Gen: XVIII: 12. 13. 15. dein etiam cum Isacus natus esset, „Vocavit Abrahamus nomen filii sui, *Jischack*: (*Risum*;) dixit „Sarah, *Risum fecit mihi Deus*, omnis audiens *ridebit me*," Gen: XXI: 3. 6. nisi ridere, et nomen Isaci, quo significatur risus, illa involveret, nusquam haec memorata fuissent.

2073. Quod dixit corde suo, significet quod sic cogitaverit, constat absque explicatione.

2074. Quod num filio centum annorum nascetur, significet quod tunc Rationale Humanae Essentiae Domini uniretur Divinae, constat a significatione centum, de qua supra n: 1988, quae videantur.

2075. Quod an Sarah filia nonaginta annorum pariet, significet, quod verum conjunctum bono hoc faciet, constat ex repraesentatione et significatione Sarah, quod sit verum conjunctum bono, seu verum Divinum; et ex significatione numeri Nonaginta, seu quod idem est, Novem; quisque non potest non mirari, quod numerus centum annorum qui fuerunt Abrahamo, significet, quod Rationale Humanae Essentiae Domini uniretur Divinae, et quod numerus nonaginta annorum, qui fuerunt Sarae, significet quod verum conjunctum bono hoc faceret; sed quia nihil non coeleste et Divinum est in Verbo Domini, ita etiam in ipsis numeris, qui ibi; quod numeri quicunque in Verbo significent res, aeque ac nomina quaecunque, in Parte Prima ostensum est, n: 482. 487. 488. 493. 575. 647. 648. 755. 813. 893. 1988: nunc quod Numerus Novem significet conjunctionem, magis Numerus Nonaginta, qui compositus est a Novem multiplicatis per Decem; nam Decem significant Reliquias per quas conjunctio, ut patet ex illis quae dicta sunt supra n: 1988 fin: constare potest etiam a sequentibus his repraesentativis et significativis; Mandatum quod in *Decimo die mensis Septimi*, esset dies Expiationum, et quod hoc sabbathum sabbathi esset; inque *Nono Mensis Septimi* in vespera, a vespera usque ad vesperam feriarentur sabbathum, Levit: XXIII:

27. 32: in sensu interno haec significant conjunctionem per Reliquias, nempe *Novem* conjunctionem, et *Decem* reliquias; quod arcanum Divinum in his numeris reconditum lateat, patet manifeste ex Mensibus et Diebus anni, qui sancti habendi; ut a quovis Septimo die quod tunc Sabbathum, a Septimo mense, ut hic, quod tunc sabbathum sabbathi, pariter a Septimo anno, tum a septies septimo, quod tunc inchoaretur Jubilaeum; ita similiter se habet cum caeteris numeris in Verbo, ut cum Tribus, quae simile paene significant ac Septem; cumque Duodecim, quod omnia fidei; cumque numero Decem idem ac Decimae, quod reliquias, n: 576, et sic porro; ita hic in Levit: nisi numerus Decem, et numerus Novem, involverent arcana, haudquaquam mandatum fuisset, quod hoc sabbathum sabbathi esset in Decimo die Mensis septimi, et in Nono mensis feriarentur illud; tale est Verbum Domini in sensu interno, tametsi in sensu historico tale quid non patet. Similiter quod memoratur de Hierosolyma, quod obsessa fuerit a Nebuchadnezare anno nono Zidkiae, et quod perrupta anno undecimo, die nono mensis, de qua ita in Libro Secundo Regum, « Fuit in *Anno Nono*, ex quo regnavit Zidkiah, in *Mense Decimo*, in *Decimo Mensis*, venit Nebuchadnezar, Rex Babelis, contra Hierosolymam, et venit urbs in obsidionem usque ad *Undecimum Annum* Regis Zidkia; in *Nono Mensis*, et invaluit fames in urbe, et non fuit panis populo terrae, et perrupta est urbs, » XXV: 1. 3. 4: per Nonum annum, mensem Decimum, et per Undecimum annum et Nonum mensis, cum fames in urbe, et non panis populo terrae, in sensu interno significatur, quod nulla amplius conjunctio per illa quae sunt fidei et charitatis; fames in urbe, et non panis populo terrae, significat, quod nihil fidei, et nihil charitatis, residuum esset; hic est sensus internus horum verborum, qui nusquam apparet in litera; et similia minus adhuc elucent ex historicis Verbi quam ex propheticis, quia historica captant animum, usque adeo, ut vix credatur aliquid altius ibi latere, cum tamen omnia sunt repraesentativa, et ipsa verba ubivis significativa; haec sunt incredibilia, sed usque sunt vera, videantur 1769 ad 1772.

2076. Vers: 18. *Et dixit Abraham ad Deum, utinam Jischmaël vivat coram Te.* Dixit Abraham ad Deum, signifi-

cat perceptionem Domini ex amore: utinam Jischmaël vivat coram Te, significat alios qui ex vero rationales sunt, ut non pereant.

2077. Dixit Abraham ad Deum, quod significet perceptionem Domini ex amore, constat a significatione, dicere ad Deum, quod sit percipere, de qua saepius prius: quod Abraham significet hic Dominum in tali statu et in tali aetate, supra n: 1989, dictum est. Quod Dominus hoc ex amore dixerit, patet, nam ex ipsis verbis elucet affectio amoris, cum dicitur, *utinam* Jischmaël vivat coram Te: Affectio seu Amor Domini fuit Divinus, nempe erga universum genus humanum, quod per unionem Humanae suae Essentiae cum Divina sibi prorsus adjungere, et salvare in aeternum, voluit: de quo amore videatur in Parte Prima n: 1735; et quod Dominus ex amore hoc continue pugnaverit contra inferna, n: 1690. 1789. 1812; et quod in unione Humani sui cum Divino, nihil nisi conjunctionem Divini cum humano genere spectaverit, supra n: 2034. Amor, qualis Domino, transcendit omnem intellectum humanum, et incredibilis est maxime illis, qui non sciunt quid amor coelestis, in quo sunt Angeli, Angeli illi pro salvanda anima ex inferno, nihili pendunt mortem, imo si potuissent, pro illa infernum subirent; inde intimum eorum gaudii est aliquem ex mortuis resurgentem in coelum transferre; sed fatentur, quod amor ille ne hilum sit ex ipsis, sed omnia et singula ejus a solo Domino; imo succensent, si quis aliud cogitat.

2078. Utinam Jischmaël vivat coram te, quod significet alios qui ex vero rationales sunt, ut non pereant, constat ex repraesentatione et inde significatione Jischmaëlis, quod sit Rationale, de qua in Capite praecedente, ubi de Jischmaële actum. Sunt duo genera hominum intra Ecclesiam, nempe Spirituales et Coelestes; illi, nempe Spirituales, rationales fiunt ex vero, hi autem, seu Coelestes, ex bono: quae distinctio sit inter Spirituales et Coelestes, videatur supra n: 2069, et pluries in Parte Prima: illi, nempe Spirituales, qui per verum rationales fiunt, per Jischmaëlem hic intelliguntur; Rationale enim verum est Jischmaël in genuino suo sensu, ut prius, n: 1893. 1949. 1950. 1951, ostensum est; hoc Rationale verum cum adoptatur et desideratur a bono, ut hic a Domino per Abraha-

mum intellecto, significat spirituale, ita spiritualem hominem, seu quod idem, spiritualem Ecclesiam; cujus salvationem Dominus ex amore Divino, de quo mox supra, n: 2077, desideravit; quod exprimitur per haec verba, *utinam Jischmaël vivat coram Te.*

2079. Vers: 19. *Et dixit Deus, vere Sarah uxor tua pariens tibi filium, et vocabis nomen illius Jischack, et erigam foedus meum cum illo in foedus aeternum, semini illius post illum.* Dixit Deus, significat responsum perceptum: vere Sarah uxor tua, significat Divinum verum conjunctum bono: pariens tibi filium, significat quod ex illo Rationale: et vocabis nomen illius Jischack, significat Rationale Divinum: et erigam foedus meum cum illo, significat unionem: in foedus aeternum, significat unionem aeternam: semini illius post illum, significat illos qui fidem in Dominum haberent.

2080. Dixit Deus, quod significet responsum perceptum, constat ex significatione Dicere, quod sit percipere, de qua mox prius, n: 2077; et quia in priori Versu, Abraham dixit, quo significabatur perceptio, et hic Deus dixit seu respondit, sequitur quod significet responsum perceptum seu responsum perceptionis; in perceptione quacunque, est tam propositio quam responsio, utriusque perceptio hic in sensu hictorico exprimitur, per quod dixit Abraham ad Deum, et quod Deus dixit: quod dicere Deus, sit percipere, videatur n: 1791. 1815. 1819. 1822. 1898. 1919, et supra in hoc Capite passim.

2081. Vere Sarah uxor tua, quod significet Divinum verum conjunctum bono, constat a repraesentatione et inde significatione Sarah, quod sit Divinum verum conjunctum bono, de qua supra n: 2063.

2082. Quod pariens tibi filium, significet quod ex illo rationale, constat a significatione filii, quod sit verum, hic verum rationale, de qua etiam supra n: 2066.

2083. Et vocabis nomen illius Jischack, quod significet Rationale Divinum, constat ex repraesentatione Isaci, tum a significatione nominis ejus in sensu interno: ex repraesentatione Isaci: Abraham, ut prius passim dictum, repraesentat Internum Hominem Domini; Isacus autem Rationalem; et Jacobus Naturalem; Internus Homo Domini fuit ipse Jehovah; Ratio-

nalis, quia conceptus ab influxu Interni Hominis in affectionem scientiarum Externi, n: 1896. 1902. 1910, fuit ex Divino ita conjuncto Humano, inde Rationale primum per Jischmaëlem repraesentatum fuit Humanum, sed a Domino factum Divinum, ac ita repraesentatur per Isacum: a significatione nominis; Isacus nominatus est a Risu, et quia Risus in sensu interno significat Affectionem veri, quae est Rationalis, ut ostensum est supra, n: 2072, ita hic Rationale Divinum. Dominus ex propria potentia omne quod Humanum apud Ipsum fuit, Divinum fecit; ita non solum Rationale, sed etiam Sensuale interius et exterius, ita ipsum corpus; sic univit Humanum Divino: quod non solum Rationale, sed etiam Sensuale, ita totum Corpus, etiam factum Divinum et Jehovah, prius ostensum; et constare potest unicuique ex eo, quod Solus quoad corpus resurrexerit ex mortuis; et ad dextram potentiae Divinae, tam quoad omne Divinum, quam quoad omne Humanum, sedeat; ad dextram potentiae Divinae sedere, significat omnem potestatem habere in coelis et in terris.

2084. Et erigam foedus meum cum illo in foedus aeternum, quod significet unionem, et quidem unionem aeternam, constat a significatione foederis, quod sit conjunctio, et cum praedicatur de Domino, quod sit unio Divinae Ipsius Essentiae cum Humana, et Humanae cum Divina: quod foedus illa significet, prius n: 665. 666. 1023. 1038. 1864, et passim in hoc Capite, ostensum est.

2085. Semini illius post illum, quod significet illos qui fidem in Dominum haberent, constat ex significatione Seminis, quod sit fides, de qua prius, n: 1025. 1447. 1610. 2034. Per semen hic significantur illi, qui fidem amoris, hoc est, amorem in Dominum habent, proinde Coelestes, seu qui ab Ecclesia coelesti sunt, nam agitur de semine ex Isaco; qui autem fidem charitatis, hoc est, charitatem erga proximum habent, proinde Spirituales, seu qui ab Ecclesia spirituali sunt, significantur per Ismaëlem, de quo in Versu nunc sequente; quae distinctio inter Coelestes et Spirituales sit, videatur supra, n: 2069. 2078; tum quae distinctio inter habere amorem in Dominum, et habere charitatem erga proximum, n: 2023.

2086. Vers: 20. *Et quoad Jischmaëlem, audivi te, ecce*

benedicam illi, et fructificari faciam illum, et multiplicari faciam illum in valde valde [20]*; duodecim principes gignet, et dabo illum in gentem magnam.* Quoad Jischmaëlem audivi te, significat ex vero rationales, quod salvandi: ecce benedicam illi, significat quod imbuerentur et donarentur: fructificari faciam illum, significat bonis fidei: et multiplicari faciam illum, significat veris inde: in valde valde, significat immensum: duodecim principes gignet, significat primaria praecepta fidei, quae est charitatis: et dabo illum in gentem magnam, significat fruitionem bonorum et incrementa.

2087. Quoad Jischmaëlem audivi te, quod significet ex vero rationales, quod salvandi, constat ex repraesentatione Ismaëlis hic, quod sint illi qui ex vero rationales sunt, seu spirituales, de qua supra, n: 2078, et quod salvandi, ex significatione audire te, ut constare potest absque explicatione.

2088. Ecce benedicam illi, fructificari faciam illum, et multiplicari faciam illum, in valde valde, quod significent, quod imbuerentur et donarentur bonis fidei, et veris inde immensum, constat ex significatione benedici, fructificari et multiplicari; Benedici significat donari omnibus bonis, ut in Parte Prima ostensum, n: 981. 1096. 1420. 1422: Fructificari significat bona fidei, quibus donarentur; et Multiplicari vera inde, ut etiam in Parte Prima ostensum, n: 43. 55. 913. 983. Quinam Coelestes sunt, et quinam Spirituales, prolixum foret hic describere, prius descripti sunt, quae videantur, ut n: 81. 597. 607. 765. 2069. 2078, et pluries alibi: in genere Coelestes sunt, qui amorem in Dominum habent: ac Spirituales, qui charitatem erga proximum; quae distinctio sit inter habere amorem in Dominum, et charitatem erga proximum, videatur supra, n: 2023: Coelestes sunt, qui in affectione boni ex bono sunt, at Spirituales, qui in affectione boni ex vero: omnes ab initio fuerunt Coelestes, quia in amore in Dominum, inde acceperunt Perceptionem, qua percipiebant bonum non ex vero, sed ex affectione boni: sed postea cum amor in Dominum non talis factus, successerunt Spirituales, et Spirituales homines tunc dicti, quando in amore erga proximum seu in charitate fuerunt; sed amor erga proximum seu charitas implantabatur per verum, et sic acceperunt Conscientiam, secundum quam agebant non ex

affectione boni, sed ex affectione veri; charitas apud eos apparet sicut affectio boni, sed est affectio veri, ex apparentia usque vocatur charitas etiam bonum, sed est bonum fidei eorum; hi sunt qui intellecti sunt a Domino apud Johannem, „ Ego „ sum ostium, per Me si quis introiverit, salvabitur, et ingre„ dietur et egredietur, et pascuum inveniet: Ego sum Pastor „ bonus, et cognosco meos, et cognoscor a meis; et *alias oves* „ *habeo, quae non sunt ex ovili hoc, etiam illas oportet Me* „ *adducere*, vocemque meam audient, et fiet unus grex, et „ unus Pastor, " X: 9. 14. 16.

2089. Duodecim principes gignet, quod significet primaria praecepta quae sunt charitatis, constat a significatione Duodecim, quod sint omnia fidei; et a significatione Principum, quod sint primaria: Rex et Principes passim nominantur in Verbo, sed in sensu interno nusquam significant Regem aut Principes, sed illa quae sunt primaria rei, de qua dicuntur; quod Reges significent in uno complexu Vera, prius n: 2015, ostensum est, quod Principes primaria veri, quae sunt praecepta, n: 1482; inde Angeli dicuntur Principatus, quia in Veris, et quidem Angeli spirituales; Principes praedicantur ex Veris quae sunt Charitatis, nam, ut supra n: 1832 [21] dictum, Spirituales per Vera apparentia iis ut vera Charitatem, et per hanc, Conscientiam, accipiunt a Domino. Quod Duodecim significent omnia fidei, hactenus Orbi ignotum fuit, et usque quoties numerus duodecim in Verbo tam Historico quam Prophetico occurrit, nihil aliud significat; per Duodecim filios Jacobi, et inde per Duodecim Tribus secundum illos nominatas, non aliud significatur: similiter per Duodecim discipulos Domini; quilibet illorum et horum essentiale et primarium fidei repraesentabat: quid quilibet filius Jacobi, et inde quid quaelibet Tribus Israëlis, repraesentaverit, ex Divina Domini Misericordia, in sequentibus, ubi de filiis Jacobi, Cap: XXIX et XXX, Genes: dicetur.

2090. Et dabo illum in gentem magnam, quod significet fruitionem bonorum et incrementa, constat ex significatione Gentium, quod sint bona, de qua in Parte Prima, n: 1159. 1258. 1259. 1260. 1416. 1849; quare hic dare in gentem magnam, significat tam fruitionem, quam incrementa bonorum.

2091. Vers: 21. *Et foedus meum erigam cum Jischako,*

quem pariet tibi Sarah, ad statum tempus hoc, in anno sequente. Foedus meum erigam cum Jischak, significat unionem cum Divino Rationali: quem pariet tibi Sarah, significat Divinum Verum conjunctum bono, ex quo existet: ad statum tempus hoc in anno sequente, significat statum tunc unionis.

2092. Foedus meum erigam cum Jischak, quod significet unionem cum Divino Rationali, constat a significatione foederis, quod sit unio, de qua prius; et a repraesentatione Isaci, quod sit Divinum Rationale, de qua supra, n: 2083.

2093. Quem pariet tibi Sarah, quod significet Divinum Verum conjunctum Divino Bono, ex quo existet, constat ex repraesentatione Sarah, quod sit Divinum Verum, de qua prius, n: 2063. 2081; et ex repraesentatione Abrahami, quod sit Divinum Bonum, de qua n: 2063, et passim alibi: quomodo Rationale primum Domini conceptum et natum sit, in Capite praecedente dictum est, ubi de Ismaële, per quem Rationale illud repraesentatum est; hic nunc, et in sequenti Capite, agitur de Rationali illo, quod Divinum factum a Domino, et hoc per Conjunctionem, sicut per conjugium, Divini Boni cum Divino Vero; Rationale primum non aliter concipi potest, quam per influxum Interni Hominis in affectionem scientiarum Externi, nec aliter nasci quam ab affectione scientiarum, quae repraesentata est per Hagarem ancillam Sarai, ut ostensum in Capite praeced: n: 1896. 1902. 1910, et alibi ibi; sed Rationale alterum seu Divinum, non ita concipitur et nascitur, sed per conjunctionem Veri Interni Hominis cum Bono ejusdem, et inde influxum; apud Dominum ex propria potentia ex ipso Divino, hoc est, Jehovah; Internus Ipsius Homo fuit, ut prius passim dictum, Jehovah; et ipsum Bonum repraesentatum per Abraham, fuit Interni Hominis, tum ipsum Verum, repraesentatum per Sarah, etiam fuit Interni Hominis, ita utrumque Divinum; inde nunc Rationale Divinum Domini conceptum et natum; et quidem ex influxu Boni in Verum, ita per Verum; Rationalis enim praecipuum est Verum, ut supra n: 2072, dictum; quare hic dicitur, *quem pariet tibi Sarah,* quod significat Divinum Verum conjunctum Bono, ex quo existet; et supra ad Vers: 17, quod *Sarah filia nonaginta annorum,* significet quod Verum con-

junctum Bono hoc faciet. Apud hominem quemcunque, quia ad similitudinem et imaginem Dei creatus, simile, sed non compar, existit, nempe quod Rationale ejus primum etiam per influxum Interni ejus hominis in vitam affectionis scientiarum Externi ejus, concipiatur et nascatur; sed Rationale ejus alterum, ex influxu Boni et Veri a Domino per Internum ejus hominem; Rationale hoc alterum accipit a Domino, cum regeneratur, nam tunc in Rationali suo sentit quid bonum et verum fidei: Internus homo apud hominem est supra ejus Rationale, estque Domini, de quo n: 1889. 1940.

2094. In Capite praec: et in hoc, huc usque, actum est de conceptione et nativitate Rationalis apud Dominum; et quomodo Divinum factum, agitur etiam in sequentibus; sed autumare quidam possunt, quod haec scire, non ad fidem ita conducat, modo sciatur, quod Humana Domini Essentia facta sit Divina, et quod Dominus quoad utramque sit Deus: sed ita se res habet, qui simpliciter hoc credunt, non opus habent scire, quomodo factum, nam scire quomodo factum, est solum ob finem, ut credant quod ita sit: sunt hodie plures, qui nihil credunt, nisi sciant ratione, quod ita sit, quod manifeste constare potest ex eo, quod pauci credant in Dominum, tametsi ore fatentur, quia est secundum doctrinam fidei; at usque dicunt intra se, et inter se, si scirent quod ita esse possit, quod credituri; quod non credant, et ita dicant, est causa, quia Dominus natus est sicut alius homo, et externa forma fuit sicut alius; hi nusquam aliquam fidem accipere possunt, nisi prius aliquo modo capiant, quomodo ita esse possit; ideo haec: qui Verbo simpliciter credunt, non opus habent omnia haec scire, quia in fine sunt, ad quem illi, de quibus dictum, non possunt venire, nisi per cognitionem talium. Praeterea haec sunt, quae in sensu interno continentur, et sensus internus est Verbum Domini in Coelis, qui in Coelis, percipiunt illud ita; quando homo in Vero est, hoc est, in sensu interno, tunc cum illis in Coelo unum facere potest quoad cogitationem, tametsi homo in communissima et obscurissima idea est respective: Coelestes ibi, qui in ipsa fide, spectant illa ex bono, quod ita sit, sed Spirituales ex vero, qui etiam per talia, quae continentur in sensu interno, confirmantur, et sic perficiuntur, sed hoc per millia

rationum interiorum, quae non in hominis ideam apperceptibiliter influere possunt.

2095. Ad statum tempus hoc in anno sequente, quod significet statum tunc unionis, constat ex illis quae dicta sunt de aetate Abrahami, quod esset filius centum annorum, et de aetate Sarah, quod esset filia nonaginta annorum, cum nasceretur Isacus, quo significatum, quod tunc Rationale Humanae Essentiae Domini uniretur Divinae, et quod Verum conjunctum Bono hoc faciet, de quibus supra, n: 1988. 2074. 2075; inde nunc annus sequens est status unionis.

2096. Vers: 22. *Et absolvit ad loquendum cum illo, et ascendit Deus desuper Abrahamo.* Absolvit ad loquendum cum illo, significat finem hujus perceptionis: et ascendit Deus desuper Abrahamo, significat ingressum Domini in priorem statum.

2097. Absolvit ad loquendum cum illo, quod significet finem hujus perceptionis, constat a significatione loqui et dicere, quod in sensu interno sit percipere, de qua aliquoties prius; quare, absolvere ad loquendum, est non amplius esse in perceptione tali.

2098. Et ascendit Deus desuper Abrahamo, quod significet ingressum Domini in priorem statum, constat inde, et sic absque explicatione. Quod bini status Domino fuerint, cum vixit in mundo, unus Humiliationis, alter Glorificationis, prius n: 1603. 2033, ostensum est; quia bini status, constat, quod quoque bini status perceptionis fuerint; in statu Glorificationis, hoc est, unionis Humani cum Divino, fuit, cum haec, quae in hoc Capite huc usque in sensu interno continentur, percepit: et quod non amplius in perceptione tali, exprimitur per haec, quod « absolverit ad loquendum cum illo, et ascendit Deus desuper Abrahamo. »

2099. Vers: 23. *Et accepit Abraham Jischmaëlem, filium suum, et omnes natos domus suae, et omnem emptionem argenti sui, omnem masculum in viris domus Abrahami, et circumcidit carnem praeputii eorum, in eodem die hoc, quemadmodum loquutus cum illo Deus.* Accepit Abraham Jischmaëlem filium suum, significat illos qui vere rationales sunt: et omnes natos domus suae, et omnem emptionem argenti sui, et omnem masculum in viris domus Abrahami, significat, hic ut

prius, illos qui intra Ecclesiam, quibus vera fidei conjunguntur bonis: et circumcidit carnem [22] praeputii eorum, significat purificationem et justitiam eorum a Domino: in eodem hoc die, significat statum illum, de quo dictum: quemadmodum loquutus cum illo Deus, significat secundum perceptionem.

2100. Accepit Abraham Jischmaëlem filium suum, quod significet illos, qui vere rationales sunt, constat ex significatione Jischmaëlis, quod sint, qui ex vero rationales, hoc est, spirituales, sunt, de qua supra n: 2078. 2087. 2088.

2101. Omnes natos domus suae, et omnem emptionem argenti sui, omnem masculum in viris domus Abrahami, quod significet illos qui intra Ecclesiam, quibus vera fidei conjuncta bonis, constat a significatione natorum domus, quod sint coelestes; a significatione emptorum argento, quod sint spirituales, et quod ii intra Ecclesiam sint, de quibus supra, n: 2048. 2051. 2052: tum a significatione masculi, quod sint qui in vero fidei, de qua etiam supra, n: 2046; ex quibus patet, quod sint illi, qui intra Ecclesiam, penes quos vera fidei conjuncta bonis.

2102. Et circumcidet carnem praeputii eorum, quod significet purificationem et justitiam eorum a Domino, constat a significatione Circumcidi, quod sit purificari ab amoribus sui et mundi, de qua supra n: 2039; tum a significatione carnis praeputii, quod sit remotio amorum istorum, de qua etiam supra n: 2041. 2053. 2057: quod amores illi solum obstent, quin Bonum et Verum a Domino influere et operari queant, ibi quoque ostensum est; ita quin Justitia Domini possit homini applicari. Actum est in toto hoc Capite de Unione Essentiae Divinae Domini cum Humana, deque conjunctione Domini cum homine per Humanam Ipsius Essentiam factam Divinam, ut et de Circumcisione, hoc est, de purificatione a spurcis apud hominem; haec in una serie sunt, et sequitur unum ab altero; Unio enim Divinae Essentiae cum Humana in Domino facta est, ob finem, ut Divinum posset conjungi homini; sed Divini conjunctio cum homine non fieri potest, nisi purificetur homo ab amoribus illis; ut primum vero ab illis purificatur, Divinum Domini Humanum influit, et sic conjungit hominem sibi; exinde patet, quale est Verbum, nempe, quod, dum intelligitur, quid significatur in sensu interno, sit connexum in decente et pulchra serie.

2103. In eodem die hoc, quod significet statum illum, de quo dictum, constat a significatione diei, quod in sensu interno sit status, de qua, n: 23. 487. 488. 493. 893.

2104. Quemadmodum loquutus cum illo Deus, quod significet secundum perceptionem, constat a significatione, dicere et loqui Deus, quod sit percipere, de qua, n: 1791. 1815. 1819. 1822. 1898. 1919. 2097.

2105. Vers: 24. 25. 26. *Et Abraham filius nonaginta et novem annorum, in circumcidendo illo carnem praeputii sui. Et Jischmaël filius illius, filius tredecim annorum, in circumcidendo illi carnem praeputii ejus. In eodem die hoc circumcisus est Abraham, et Jischmaël filius ejus.* Abraham filius nonaginta et novem annorum, significat statum et tempus ante unionem Essentiae Divinae Domini cum Ipsius Humana: in circumcidendo illo carnem praeputii sui, significat cum Externi hominis mala prorsus expulit: et Jischmaël filius ejus, significat illos qui ex veris fidei a Domino rationales fiunt: filius tredecim annorum, significat reliquias sanctas: in circumcidendo illi carnem praeputii ejus, significat, ut prius, purificationem: in eodem die hoc, significat quod tunc: circumcisus est Abraham, et Jischmaël filius ejus, significat quod, cum Dominus conjunxit Humanam Essentiam Ipsius Divinae, etiam conjunxit sibi caeteros qui ex vero rationales fiunt, et salvavit.

2106. Abraham filius nonaginta et novem annorum, quod significet statum et tempus ante unionem Essentiae Divinae Domini cum Ipsius Humana, constat a significatione Nonaginta novem annorum, quod sit tempus, antequam Dominus plene conjunxit Internum Hominem cum Rationali, de qua supra n: 1988: Internus Homo Domini, ut dictum, aliquoties prius, erat Ipse Jehovah, hoc est, ipsum Divinum, quod cum unitum Humano, est Rationali, nam in intimo Rationalis incipit Humanum, et inde ad Externum hominis se extendit.

2107. In circumcidendo illo carnem praeputii sui, quod significet cum Externi hominis mala prorsus expulit, constat ex significatione Circumcidi, quod sit purificari ab amoribus sui et mundi, seu quod idem, a malis, nam omnia mala inde sunt, de qua supra n: 2039. 2041. 2053. 2057: et quod Dominus ex propria potentia expulerit mala, et sic Humanam Essentiam

fecerit Divinam, in Parte Prima multis demonstratum est, tunc supra n: 2025.

2108. Jischmaël filius ejus, quod significet illos qui ex veris fidei rationales fiunt, constat a repraesentatione Jischmaëlis hic, quod sint qui ex vero rationales, hoc est, spirituales fiunt, de qua etiam supra n: 2078. 2087. 2088.

2109. Filius tredecim annorum, quod significet reliquias sanctas, constare potest a significatione Decem, quod sint Reliquiae, de qua prius n: 576. 1988; et ex significatione Trium, quod sit sanctum, de qua n: 720. 901: inde numerus Tredecim, quia compositus est ex Decem et Tribus, significat Reliquias sanctas: quod Numeri in Verbo significent res, videatur n: 482. 487. 488. 493. 575. 647. 648. 755. 813. 893: quid Reliquiae apud hominem, dictum est, n: 468. 530. 561. 660. 1050. 1906.

2110. In circumcidendo illi carnem praeputii ejus, quod significet purificationem, constat a significatione Circumcidi, quod sit purificari ab amoribus sui et mundi, de qua n: 2039; et a significatione carnis praeputii, quod sit remotio istorum amorum, de qua n: 2041. 2053. 2057.

2111. Quod in eodem die hoc, significet quod tunc, constat a significatione diei, quod sit tempus et status, de qua etiam prius, n: 23. 487. 488. 493. 893.

2112. Quod circumcisus est Abraham, et Jischmaël filius ejus, significet quod cum Dominus conjunxit Humanam Essentiam Ipsius Divinae, etiam conjunxit sibi caeteros, qui ex vero rationales fiunt, et salvavit, constat ex repraesentatione Abrahami in hoc Capite, quod sit Dominus in illo statu et in illa aetate, de qua supra n: 1989; et ex repraesentatione Jischmaëlis hic, quod sint qui ex vero rationales fiunt, de qua supra n: 2078, 2087. 2088: tum ex significatione Circumcidi, quod sit purificari, de qua supra n: 2039, et praedicate ad Dominum, quod sit Glorificari, ita quod sit exuere Humanum, et induere Divinum; quod Glorificari sit induere Divinum, videatur supra, n: 2033; et quod tunc conjunxerit sibi etiam illos, qui ex vero rationales, hoc est, spirituales fiunt, videatur supra n: 2034. 2078. 2088.

2113. Vers: 27. *Et omnes viri domus ejus, natus domus,*

et emptio argenti, a filio alienigena, circumcisi sunt cum illo. Omnes viri domus ejus, natus domus, et emptio argenti, significat quod tunc omnes illi qui intra Ecclesiam: a filio alienigena, significat omnes qui rationales extra Ecclesiam: circumcisi sunt ab illo, significat quod justificati sint a Domino.

2114. Quod omnes viri domus ejus, natus domus, et emptio argenti, significet quod tunc omnes illi qui intra Ecclesiam, constat a significatione Nati domus, quod sint coelestes: et a significatione emptorum argento, quod sint spirituales, de quibus supra n: 2048. 2051. 2052; et quod illi sint, qui intra Ecclesiam, ibi etiam dictum, omnes enim, qui intra Ecclesiam sunt, hoc est, omnes qui Ecclesiam constituunt, sunt vel coelestes vel spirituales; quinam autem coelestes, et quinam spirituales sunt, videatur supra, n: 2088. In ultimo hoc Versu hujus Capitis, est summarium omnium, quae supra dicta sunt, nempe, quod, qui purificati sunt ab amoribus sui et mundi, tam qui intra Ecclesiam, tam qui extra Ecclesiam, sint justificati a Domino: illi et hi vocantur Viri domus, nam Domus in sensu interno, significat Regnum Domini, n: 2048.

2115. A filio alienigena, quod significet omnes qui rationales extra Ecclesiam, constat a significatione filii alienigenae, quod sint illi qui extra Ecclesiam, de qua supra n: 2049; ita quod sint Gentes, quae non habent Verbum, et ideo non aliquid de Domino norunt, qui quod aeque salventur, cum rationales sunt, hoc est, in charitate seu amore mutuo inter se vivunt, et secundum religiosum suum aliquid conscientiae acceperunt, in Parte Prima, n: 593. 932. 1032. 1059. 1327. 1328, ostensum est.

2116. Quod circumcisi sunt ab illo, significet quod justificati sint a Domino, constare potest a repraesentatione, et indè significatione Circumcidi, quod sit purificari, de qua supra n: 2039: quod circumcisi ab illo, hoc est, ab Abrahamo, etiam repraesentativum fuit, nempe quod purificati et sic justificati a Domino. Quod autem Justificationem attinet, illa se non habet secundum vulgarem opinionem, nempe quod omnia mala et peccata sint abstersa et prorsus deleta, quando, sicut opinantur, credunt, etiamsi hoc foret in ultima mortis hora, utcunque per integrum vitae suae cursum in malis et flagitiis vixerunt;

plene enim instructus sum, quod ne quidem minimum malum, quod homo cogitavit et actualiter fecit in vita corporis, abstergatur et prorsus deleatur, sed quod omne remaneat, usque ad minimum ejus; verum ita se habet, qui Odia, Vindictas, Crudelitates, et Adulteria, cogitarunt et exercuerunt, ac ita in nulla charitate vixerunt, vita inde tracta manet eos post mortem, imo omnia et singula vitae istius, quae successive redeunt; inde cruciatus eorum in inferno: at qui in amore in Dominum, et in charitate erga proximum, vixerunt, illorum mala vitae etiam omnia manent, sed temperantur bonis, quae per vitam charitatis, dum vixerunt in mundo, acceperunt a Domino, et sic elevantur in coelum, imo detinentur a malis, quae secum habent, sic ut non appareant; qui de eo dubitant in altera vita, quod mala secum habeant, quia non apparent, remittuntur in illa, usque dum sciant, quod ita se res habeat, et dein rursus in coelum elevantur; hoc nunc est Justificari; sic enim non justitiam sui, sed Justitiam Domini agnoscunt: quod dicant salvari eos qui fidem habent, hoc verum est, sed per fidem in Verbo nihil aliud intelligitur, quam amor in Dominum, et charitas erga proximum, ita vita inde; doctrinalia et dogmata fidei, non sunt fides, sed fidei, nam omnia et singula sunt propter finem, ut talis fiat homo sicut docent, quod manifeste constare potest a Domini verbis, quod in Amore in Deum, et in Amore erga proximum, Lex et omnes prophetae, hoc est, universa Doctrina fidei, consistat, Matth: XXII: 34 ad 39. Marc: XII: 28 ad 35: quod nusquam alia fides, quae fides, detur, in Parte Prima, n: 30 ad 38. 379. 389. 724 809. 896. 904. 916. 989. 1017. 1076. 1077. 1121. 1158. 1162. 1176. 1258. 1285. 1316. 1608. 1798. 1799. 1834. 1843. 1844, et quod ipsum Coelum consistat in amore in Dominum, et in amore mutuo, n: 537. 547. 553. 1112. 2057, ostensum est.

DE ULTIMO JUDICIO.

2117. *Quid Ultimum Judicium, pauci hodie sciunt; putant venturum interitu Mundi; inde conjecturae quod periturus orbis terrarum igne, una cum illis quae in Mundo aspe-*

etabili sunt; et quod tunc primum resurgent mortui, et coram Judicio sistentur; mali tunc in infernum conjiciendi, et boni in Coelum ascensuri: hae conjecturae sunt ex Propheticis Verbi, ubi memoratur de Novo Coelo, et de Nova Terra, tum quoque de Nova Hierosolyma; non scientes, quod Prophetica Verbi prorsus alia significent in sensu interno, quam patent in sensu literae, et quod per Coelum non intelligatur coelum, nec per Terram terra, sed Ecclesia Domini in communi, et apud unumquemvis in particulari.

2118. *Per Ultimum Judicium intelligitur ultimum tempus Ecclesiae, tum ultimum vitae cujusvis: quod* Ultimum tempus Ecclesiae *attinet, fuit Ultimum Judicium Ecclesiae Antiquissimae, quae fuerat ante diluvium, quando posteritas eorum periit, cujus interitus describitur per diluvium. Ultimum Judicium Ecclesiae Antiquae, quae post diluvium, fuit, cum paene omnes, qui fuerunt ab illa Ecclesia, facti sunt idololatrae, ac dispersi. Ultimum Judicium Ecclesiae Repraesentativae, quae apud Jacobi posteros successit, fuit, cum Decem Tribus in captivitatem abductae et inter gentes dissipatae sunt; et dein Judaei, post adventum Domini, expulsi terra Canaane, et in universum orbem dispersi. Ultimum Judicium hujus Ecclesiae, quae Ecclesia Christiana vocatur, est, quod apud Johannem in Apocalypsi, per Novum Coelum, et Novam Terram, intelligitur.*

2119. *Quod* Ultimum vitae cujusvis hominis *cum moritur, sit ei Ultimum Judicium, aliquos non latet, sed usque pauci credunt; cum tamen constans veritas est, quod unusquisque homo post mortem, in alteram vitam resurgat, et sistatur coram Judicio: sed hoc Judicium ita se habet; ut primum frigescunt corporea ejus, quod fit post aliquot dies, resuscitatur ille a Domino per Angelos Coelestes, qui primum apud illum sunt; sed cum talis est, ut cum illis esse nequeat, excipitur ab Angelis Spiritualibus, et successive postea a Bonis Spiritibus; nam omnes, quotcunque in alteram vitam veniunt, sunt advenae grati et accepti; sed quia sequuntur illum desideria ejus, qui malam vitam egerat, non diu morari potest apud Angelos, et bonos Spiritus, sed successive semet ab illis separat, et hoc eousque, dum venit ad Spiritus similis et conformis vitae quam*

habuit in mundo; tunc apparet ei tanquam in vita corporis sui esset, in se etiam est continuatio vitae; ab hac vita inchoat ejus Judicium, qui malam vitam egerunt, per temporis moras, descendunt in Infernum; qui bonam, per gradus elevantur a Domino in Coelum: tale est Ultimum Judicium cujusvis, de quo ab experientia in Parte Prima.

2120. *Quae Dominus loquutus est de ultimis temporibus, quod tunc Mare et Salum resonabit, Sol obscurabitur, Luna non dabit lumen suum, Stellae cadent de coelo, Gens contra gentem, et Regnum contra regnum, excitabitur, et plura,* Matth: XXIV: 7. 29. Luc: XXI: 25; *omnia et singula significant statum Ecclesiae, qualis futurus, quando Ultimum ejus Judicium; et per quod Mare et Salum resonabit, nihil aliud significatum est, quam quod haereses et controversiae, in communi intra Ecclesiam, et in particulari in unoquovis, ita perstrepent; per Solem nihil aliud intellectum, quam Amor in Dominum, et Charitas erga proximum; per Lunam, fides; et per Stellas, Cognitiones fidei, quae ultimis temporibus ita obscurabuntur, non dabunt lumen, et cadent de coelo, hoc est, evanescent; similiter etiam dictum a Domino apud Esaiam, Cap:* XIII: 10. *tum per Gentem contra gentem, et Regnum contra regnum, non aliud quam mala contra mala, et falsa contra falsa; et sic porro. Quod ita Dominus loquutus, fuit ex multis arcanis causis. Quod Maria, Sol, Luna, Stellae, Gentes et Regna, significent talia, pro certo scio; et in Parte Prima ostensum est.*

2121. *Quod Ultimum Judicium instet, non ita constare potest in terris et intra Ecclesiam, ac in altera vita, quo omnes animae veniant et confluunt; Mundus Spirituum hodie plenus est malis geniis et malis spiritibus, maxime ex Orbe Christiano; et inter eos non regnant nisi odia, vindictae, crudelitates, obscoenitates, tum machinationes dolosae: nec solum Mundus Spirituum, quo animae recentes e mundo primum alluunt, sed etiam sphaera istius mundi interior, ubi sunt, qui quoad intentiones et fines interius mali fuerunt; haec similiter hodie adeo oppleta est, ut miratus quod tanta copia usquam dari potuisset; omnes enim in Inferna non momento dejiciuntur, quia secundum leges ordinis est, ut quisque talis redeat in vi-*

tam suam, quam habuit in corpore, et inde per gradus deferatur in infernum; Dominus nullum dejicit in infernum, sed quisque semet; inde Mundi illi spirituum oppletissimi sunt copia alluentium talium, et morantium ibi ad tempus; ex illis Animae, quae e mundo veniunt, atrociter infestantur; et praeterea, Spiritus, qui apud hominem, (nam quisque homo per Spiritus et Angelos regitur a Domino:) plus quam prius excitantur ad inferenda homini maligna, et quidem in tantum ut Angeli, qui apud hominem, vix possint avertere, sed cogantur remotius in hominem influere. Exinde in altera vita manifeste constare potest, quod ultimum tempus instet.

2122. *Quod Animas recentes e mundo, ulterius attinet, illae quae ex Orbe Christiano alluunt, vix aliud cogitant et moliuntur, quam ut maximi sint, utque omnia possideant, ita omnes inescati amore sui et mundi, qui amores prorsus sunt contra ordinem coelestem, n:* 2057*: praeter quod plerique nihil aliud cogitent, quam spurca, obscoena et prophana, ac inter se nihil aliud loquantur; tum quod nihili faciant et prorsus contemnant omnia quae sunt charitatis et fidei, Ipsum Dominum non agnoscunt, imo odio habent omnes qui Ipsum profitentur; in altera enim vita cogitata et corda loquuntur; et praeterea, quod mala haereditaria, ex flagitiosa parentum vita, maligniora fiant, quae sicut incendia intus latentia et fota, ad prophaniora contra honestum et pium, exstimulant hominem, quam prius; tales in alteram vitam hodie catervatim alluunt, et opplent sphaeram exteriorem et interiorem mundi spirituum, ut dictum: cum malum ita incipit praevalere et aequilibrium a parte mali pendere, manifeste percipitur inde, quod ultimum tempus instet, et quod aequilibrium veniat restituendum per rejectionem eorum qui intra Ecclesiam, et receptionem aliorum qui extra.*

2123. *Quod ultimum tempus instet, etiam inde in altera vita constare potest, quod omne bonum, quod a Domino per coelum influit in Mundum spirituum, momento ibi vertatur in malum, obscoenum, et prophanum, et quod omne verum momento in falsum, ita amor mutuus in odium, sincerum in dolosum, et sic porro; ita ut non amplius perceptibiles sint alicujus boni et veri: simile redundat in hominem, qui regitur*

per spiritus, cum quibus communicationem habent illi, qui ibi: hoc multa experientia mihi notissimum factum est, quam omnem si afferrem, multas paginas impleret; datum persaepe appercipere et audire bonum et verum, quod e coelo, quomodo versum in malum et falsum, tum in quantum et in quale.

2124. *Dictum mihi, quod in antediluvianis deperditum sit Bonum voluntarium, quod fuit apud homines Antiquissimae Ecclesiae; at quod hodie aqud homines Ecclesiae Christianae incipiat perire Bonum intellectuale, adeo, ut parum ejus residuum sit; ex causa, quod nihil credant, nisi quod sensibus capiunt, et quod hodie non solum ratiocinentur ex illis, sed etiam per Philosphiam antiquis ignotam, de arcanis Divinis; per quae lux intellectualis prorsus obtenebratur; quae obtenebratio talis fit, ut vix possit discuti.*

2125. *Quales sunt homines Ecclesiae Christianae hodie, per repraesentationes mihi videndum exhibebatur: apparebant Spiritus tam nigri, ut horrescerem, in nube atra; et postea alii non ita horrendi; et significabatur mihi, quod aliquid visurus, primum tunc visi pueri, qui pecterentur a matribus tam crudeliter, ut sanguis circumflueret; quo repraesentatum, quod talis sit hodie educatio infantum. Postea apparuit Arbor, et perceptum sicut foret arbor scientiae, in quam visa est magna Vipera exsurgere, talis ut horrorem incuteret, apparebat illa secundum trunci longitudinem: evanescente arbore cum vipera, apparuit Canis; et tunc aperta est janua in cameram, ubi flavum luminosum sicut ex carbonibus, et ibi mulieres binae, perceptum quod esset culina, sed quae ibi visa, non memorare licet: dictum mihi, quod Arbor, in quam exsurgebat vipera, repraesentaret statum hominum Ecclesiae, quales hodie sunt, quod loco amoris et charitatis iis sint internecina odia, etiam simulationibus honesti atque dolis circumobsessa; tum nefanda cogitata de illis quae sunt fidei; at quae visa in culina, repraesentabant odia illa et cogitata, qualia porro essent.*

2126. *Porro etiam repraesentatum, quomodo hodie illi, qui intra Ecclesiam sunt, contra ipsam Innocentiam sunt: visus est Infans pulcher et innocens, quo viso, vincula externa, quibus tenentur mali genii et spiritus a flagitiosis, paulum remittebantur; tunc inceperunt Infantem pessime tractare,*

illum conculcare, et velle occidere, unus sic et alter sic; Innocentia enim in altera vita repraesentatur per Infantes: At dixi, quod similia non appareant apud eos, in vita corporis eorum, sed responsum, quod interiora eorum talia sint, et nisi Leges civiles impedirent, tum alia vincula externa, quae sunt timor jacturae lucri, honoris, famae, ac timor vitae, quod ita ruerent insane contra omnes Innocentes: ii cum hoc responsum audiebant, etiam illud subsannabant. Quales itaque hodie sunt, ex illis, quae dicta, constare potest; tum quod ultima tempora instent.

2127. *In altera vita quandoque apparet sicut quoddam Ultimi Judicii coram malis, cum dissociantur societates illorum; et coram bonis, cum intromittuntur in Coelum; de illis et his referre licet, quae ab experientia.*

2128. *Idea Ultimi Judicii coram malis, quae bis et ter mihi visa, talis fuit: cum Spiritus circum me conjunxerunt se in societates perniciosas, sic ut praevalerent, nec ex lege aequilibrii secundum ordinem se regi ita paterentur, quin alias societates insolenter lacesserent, et damnum illis inferre vi praevalente inciperent; tunc apparuit Spirituum cohors satis magna, a plaga anteriore paulum ad dextrum superne, ex qua adventante auditus tumultus quasi fluctuans et grandisonans; quo audito, facta est inter Spiritus consternatio cum terrore, et inde confusio, et tunc, qui in illis societatibus erant, dissipabantur, unus huc alter illuc, sic ut diffluerent a mutuo, et non sciret socius ubi socius; cum hoc perstabat, non aliter apparuit Spiritibus quam sicut Ultimum Judicium cum interitu omnium, quidam lamentabantur, quidam prae terrore absque quasi corde erant, verbo, omnes occupabat discrimen quasi Ultimi cujusdam; sonitus adventantium a plaga anteriori illis auditus varie quibusdam tanquam sonitus equitum armatorum, quibusdam aliter, secundum statum timoris, et inde phantasiae; mihi apperceptus ut susurrus continuus cum undulatione alterna, et quidem plurium simul: instruebar ab illis, qui prope me, quod tales cohortes ab illa plaga veniant, quando societates ita male confarctae sunt, ut dictum, et quod illi sciant dissociare et discindere unum ab altero, et simul incutere terrorem; ut nihil aliud cogitent quam fugam;*

et quod per tales disjunctiones et dissipationes, omnes dein redigantur in ordinem a Domino; tum etiam quod tale in Verbo significetur per Ventum Orientalem.

2129. *Sunt alia genera quoque tumultuum, seu potius conflictuum, quae ideam quoque Ultimi Judicii sistunt, et quibus Societates male conjunctae quoad interiora dissolvuntur; de quibus haec licet memorare: adiguntur Spiritus tales in illum statum, ut non, ut solitum, in societate seu communione cogitent, sed quilibet pro se; ex variantibus sic cogitationibus, et murmurantibus diversimode loquelis, quidam strepitus auditus, quasi multarum aquarum, et inter eas conflictus, qualis describi nequit, oriundus ex confusione opinionum de certis Veritatibus, quae tunc sunt objecta cogitationum et loquelae, qui talis est, ut vocari possit chaos spirituale: Sonus murmurum confligentium et confusorum erat triplex; unus influebat circum caput, et dictum, quod is esset cogitationum; alter influebat versus sinistrum tempus, dictum quod hic esset conflictio ratiocinationum de veritatibus quibusdam, quibus fidem habere non vellent; tertius influebat desuper ad dextrum, qui erat stridens non ita confusus, qui stridor versabatur cis et retro, dictum quod inde hoc, quod pugnarent veritates, quae ita cis et retro per ratiocinia versarentur: cum hi conflictus perstabant, erant usque Spiritus, qui mecum loquebantur, dicentes quid singula significarent, loquela eorum per sonitus illos distincte penetrante. Objecta ratiocinationum eorum erant cumprimis haec, num secundum literam intelligendum, quod duodecim Apostoli sederent super duodecim thronis, et judicarent duodecim tribus Israëlis; tum etiam, num alii in Coelum admittendi, quam qui persecutiones et miserias passi sunt: quisque secundum suam phantasiam, quam in vita corporis aucupavit, ratiocinabatur; sed quidam eorum, qui in communionem et in ordinem redacti sunt, postea instruebantur, quod aliter prorsus intelligendum, nempe, quod per Apostolos non intellecti sint apostoli, non per Thronos throni, nec per Tribus tribus, imo nec Duodecim per duodecim, sed per illos, tam Apostolos, quam Thronos, et Tribus, ut et per Duodecim significata Primaria fidei, n: 2089, et quod ex his, et secundum haec Judicium super unumquemvis fiat; et insuper*

ostensum, quod Apostoli ne quidem unum hominem judicare possint, sed quod omne Judicium sit solius Domini. Et quoad alterum, hoc nec ita intelligendum, quod solum illi venturi in Coelum, qui persecutiones et miserias passi, sed quod aeque divites ac pauperes, aeque in dignitate constituti, ac qui in vili conditione sunt; et quod Dominus misereatur omnium, imprimis qui in miseriis spiritualibus et tentationibus, quae sunt persecutiones a malis, fuerunt; ita qui agnoscunt se ex se miseros esse, et credunt solius Misericordiae Domini esse, quod salventur.

2130. *Quod alterum attinet, nempe ideam Ultimi Judicii coram bonis, cum intromittuntur in Coelum, quomodo se habet, licet referre: dicitur in Verbo, quod clausa sit janua, ut non amplius intromitti possint; et quod oleum defecerit, ac serius venerint, et ideo non admissi, per quae etiam status Ultimi Judicii significatur; quomodo haec se habent, et quomodo intelligenda, mihi ostensum est. Audivi Societates spirituum, unam post alteram, dicentes voce clara, quod Lupus voluisset eos auferre, sed quod Dominus eripuerit eos, et sic quod restituti sint Domino, inde gavisi ex intimo corde; fuerunt enim in desperatione, ita in timore, quod clausa esset janua, et quod sero venissent, ut non possent intromitti, talis cogitatio illis infusa fuit ab iis qui lupi vocantur; sed evanuit per id quod intromitterentur, hoc est, quod reciperentur a Societatibus Angelicis, intromissio in coelum non aliud est; intromissio visa mihi, quasi facta et continuata per Societates usque ad duodecim, et quod duodecima, aegrius quam undecim priores, intromitteretur, hoc est, reciperetur; postea quoque admittebantur octo quasi Societates, quae quod fuerint ex sexu foeminino, mihi indicatum est: quibus visis, dicebatur quod hic processus admissionis, hoc est, receptionis, in Societates coelestes, ita appareat, et hoc continue, ordine ab uno loco in alterum; tum quod Coelum nusquam in aeternum oppleatur, minus quod janua claudatur, sed quo plures eo veniunt, eo illis qui in Coelo beatius et felicius, quia inde unanimum fortius. Postquam illi intromissi sunt, tunc apparebat tanquam clauderetur Coelum; erant enim plures, qui dein etiam volebant intromitti, hoc est, recipi; sed respon-*

sum tulerunt, quod non possent adhuc; quod significatur per serius venientes, per quod janua clausa, per pulsantes, et per quod oleum illis defecerit in lampadibus; quod illi non admissi, erat ob causam, quia nondum praeparati, ut interesse possent Societatibus Angelicis, ubi amor mutuus, nam ut supra n: 2119 *ad fin: dictum, qui in charitate erga proximum in mundo vixerunt, per gradus in Coelum a Domino elevantur. Erant etiam alii Spiritus, qui ignorabant quid Coelum, quod sit Amor mutuus, qui etiam tunc intromitti volebant putantes quod solum sit intromissio, sed responsum tulerunt, quod iis nondum tempus, sed quod alio tempore, cum praeparati: quod duodecim societates apparuerint, erat causa, quia Duodecim significant omnia fidei, ut supra n:* 2129 *ad f: dictum.*

2131. *Qui intromittuntur, a Societatibus Angelicis recipiuntur cum intima charitate et ejus gaudio, ac illis omnis amor et amicitia exhibetur; at dum in Societatibus illis, ad quas primum veniunt, non libenter esse volunt, tunc ab aliis Societatibus recipiuntur, et hoc successive, usque dum ad illam Societatem veniunt, cum qua concordant secundum vitam amoris mutui, quae illis, ac ibi manent tamdiu, dum adhuc perfectiores evadunt, et inde tunc in majorem felicitatem elevantur et exaltantur; et hoc ex Misericordia Domini, secundum vitam amoris et charitatis, quam in Mundo receperunt: sed translatio ab una societate in alteram nusquam fit per rejectionem a societate ubi sunt, sed per voluntarium quoddam apud eos, secundum desiderium, quod illis insinuatur a Domino; et quia secundum desideria, nihil non fit ex libero.*

2132. *Quod in Verbo dicatur, quod intraverit etiam unus, qui non indutus veste nuptiali, Matth.* XXII: 11. 12. 13, *et quod is ejectus sit; quomodo hoc se habet, etiam ostensum: sunt qui illo dolo in vita eorum corporis imbuti, ut simulare possint lucis angelos, et tunc cum in illo statu hypocritico in altera vita sunt, etiam se insinuare possunt in societates proximas coelestes; at non diu ibi persistunt, illico enim dum percipiunt amoris mutui sphaeram ibi, timore et horrore corripiuntur, et se inde praecipitant; ac tunc in mundo spirituum apparet, sicut quod dejecti sint; quidam versus stagnum,*

quidam versus gehennam, quidam in aliud quoddam infernum.

2133. *Bis et ter, ex Divina Domini Misericordia, eo usque Coelum mihi apertum fuit, ut audiverim Glorificationem Domini communem; quae talis est, ut plures Societates simul et unanimiter, sed usque quaelibet Societas per se distinctis affectionibus et inde ideis, glorificarent Dominum; erat coelestis vox audita in longum et latum, in tam immensum, ut auditus deficeret absque fine, sicut visus dum spectat universum; et hoc erat cum intimo gaudio, ac intima felicitate. Etiam percepta Glorificatio Domini quandoque instar radiationis defluentis, et afficientis interiora mentis. Glorificatio haec fit, quando in statu tranquillitatis et pacis sunt; nam tunc ex intimis eorum gaudiis, ac ex ipsis felicitatibus illa effluit.*

2134. *Ad finem Capitis sequentis, ex Divina Domini Misericordia, de* statu Infantum, *in altera vita, dicetur.*

FINIS.



PARS SECUNDA.

LIBRI GENESEOS

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

PRAEFATIO.

Ad finem Capitis praecedentis actum est de Ultimo Judicio, et ostensum, quid per illud significatur, nempe quod non Interitus mundi, sed ultimum tempus Ecclesiae; quando hoc instat, dicit Dominus, quod venturus in Nubibus coelorum, cum Virtute et Gloria, *Matth:* XXIV: 30. *Marc:* XIII: 26. *Luc:* XXI: 27; *nemini hactenus notum est, quid per Nubes coelorum intellectum, sed patefactum mihi, quod nihil aliud intelligatur quam Sensus literalis Verbi, et quod per Virtutem et Gloriam Sensus internus Verbi, in Sensu enim interno Verbi est Gloria, nam quicquid ibi, est de Domino et Ipsius Regno; videatur in Parte Prima n:* 1769 *ad* 1772. *Similiter per Nubem, quae circumdedit Petrum, Jacobum, et Johannem, cum Dominus in Gloria illis apparuit, de qua ita apud Lucam,* Vox facta est e Nube, dicens, hic est Filius meus dilectus, Hunc audite: cum autem facta esset vox, inventus est Jesus Solus, IX: 35. 36: *per Mosen et Eliam ibi, qui loquuti sunt cum Domino, repraesentatum fuit Verbum Veteris Testamenti, quod etiam vocatur Moses et Prophetae, per Mosen ejus Libri, tum Historici, per Eliam prophetam omnes Prophetae: per Petrum autem, Jacobum et Johannem, reprae-*

sentata sunt, sicut alibi, ubicunque nominantur in Libris Evangelistarum, Fides, Charitas, et Bonum charitatis; et quod illi soli ibi adessent, significatum, quod non alii videre possint gloriam Domini, quae in Ipsius Verbo, quam qui in fide, ejus charitate, et hujus bono sunt; caeteri quidem possunt videre, sed usque non vident, quia non credunt; hic est sensus internus quoad bina illa; apud Prophetas quoque passim Nubes significat Verbum in litera, et Gloria Verbum in vita. Quid sensus internus Verbi, et qualis, multis locis dictum est, et in Explicatione quoad singula verba ostensum. Legisperiti tempore Domini fuerunt, qui omnium minime crediderunt, quod aliquid in Verbo scriptum fuisset de Domino; Legisperiti hodie quidem sciunt, sed fortassis illi omnium minime credituri, quod alia Gloria sit in Verbo, quam quae apparet in litera, quae tamen est nubes in qua gloria.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

2135. Ex hoc Capite imprimis constare potest, qualis est sensus internus Verbi, ac quomodo percipiunt illud Angeli, cum legitur ab homine: ex sensu literae historico, non aliud intelligitur, quam quod Abrahamo apparuerit Jehovah sub forma trium Virorum; et quod Sarah, Abrahamus, et puer ejus, paraverint cibum pro illis, nempe ex farina similaginis placentas, filium bovis, tum butyrum et lac: quae, tametsi historica vera sunt, quod ita factum, usque non percipiuntur ita ab Angelis, sed prorsus abstracte a litera quae repraesentant et significant, secundum illa, quae in *Contentis* sunt; nempe pro illis, quae ibi historice dicta, Status Perceptionis Domini in Humano, et communicatio tunc cum Divino, ante Unionem perfectam Divinae Ipsius Essentiae cum Humana, et Humanae cum Divina; qui Status etiam est, de quo Dominus haec dicit, *Deum nemo vidit unquam, Unigenitus Filius, qui in sinu Patris est, ille exposuit*, Joh: I: 18; et per cibos ibi memoratos, nihil nisi Coelestia et Spiritualia bona, de quibus in Explicatione: et porro dein, quod dicitur de Filio, quem pareret Sarah ad tempus sta-

tum alterius anni, nihil aliud percipiunt, quam quod Rationale humanum Domini fieret Divinum: demum per illa, quae loquutus Abraham cum Jehovah de eversione Sodomae et Amorae, nihil aliud quam intercessionem Domini pro humano genere; ac ibi per Quinquaginta, Quadraginta quinque, Quadraginta, Triginta, Viginti et Decem, intercessionem pro illis, apud quos vera essent adjuncta bonis, et quibus bona per tentationes et pugnas, aut per alios status: ita se habet cum caeteris in Verbo; ut melius constare potest ab explicatione singularum vocum, ubi ostensum quod singulis vocibus similia involvantur in Verbo tam Historico quam Prophetico. Quod talis sensus internus ubivis in Verbo sit, in quo agitur modo de Domino, de Ipsius Regno in coelis, de Ipsius Ecclesia in terris, et in particulari apud unumquemvis, ita de bonis amoris et veris fidei, constare etiam unicuique potest ex illis, quae ex Veteri Testamento apud Evangelistas citantur, ut apud Matthaeum, „*Dixit Dominus Domino* „*meo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabel-* „*lum pedum tuorum,*" XXII: 44. [1] Psalm: CX: 1: quae quod agant de Domino, nec a literali sensu apud Davidem in loco citato apparere potest, sed usque quod non alius intelligatur quam Dominus, Ipse ibi docet: apud Eundem, „*Tu Bethlehem, terra* „*Jehudae, nequaquam minima es in ducibus Jehudae, ex te* „*enim exibit Dux, qui pascet populum meum Israëlem,*" II: 6. Mich: V: 1: qui in sensu literali manent, ut Judaei, quidem inde sciunt, quod ibi nasceretur Dominus, sed quia ducem et regem exspectant, qui in terram Canaanem reducet eos, ideo secundum literam ibi verba explicant, nempe per terram Jehudae, terram Canaanem, per Israëlem etiam Israëlem, tametsi ignorant ubi est, et per ducem adhuc Messiam suum; cum tamen alia per Jehudam et Israëlem intelliguntur, nempe per Jehudam Coelestes, per Israëlem Spirituales, in coelo et in terra, et per Ducem Dominus: apud Eundem, „*Vox in Ramah audita est, la-* „*mentatio, clamor, et ejulatus multus, Rachel deplorans libe-* „*ros suos, et non volebat consolationem admittere, quia non* „*sunt,*" II: 18. Jerem: XXXI: 15: qui in sensu literali manent, nusquam inde capiunt illum sensum, qui internus eorundem verborum est; qui tamen quod sit, patet apud Evangelistam: apud Eundem, „*Ex Aegypto vocavi filium meum,*" II: 15.

Hos: XI: 1: apud hunc Prophetam ita dicitur, „ Cum puer Israël,
„ et amavi illum, et ex Aegypto vocavi filium meum: vocarunt
„ illos, sic iverunt a faciebus eorum; et Ego feci ire, Ephrai-
„ mum, " ibid: qui ignorant dari sensum internum, non aliter possunt scire, quam quod hic intelligatur Jacobus cum ingressus Aegyptum, et ejus posteri cum inde egressi, et quod per Ephraimum tribus Ephraimi, ita eadem illa quae in Historicis Verbi; sed usque clarum est ex Verbo Evangelistae, quod significent Dominum: at quid significat unumquodvis, nisi retegeretur per sensum internum, nusquam sciri posset.

CAPUT XVIII.

1. Et apparuit illi Jehovah, in quercetis Mamre, et ille sedens ad januam tentorii, incalescente die.

2. Et sustulit oculos suos, et vidit, et ecce tres Viri stantes super illum, et vidit, et cucurrit obviam illis, a janua tentorii, et incurvavit se versus terram.

3. Et dixit, Domine mi, si quaeso inveni gratiam in oculis tuis, ne quaeso transeas desuper servo tuo.

4. Accipiatur quaeso parum aquae, et lavate pedes vestros, et incumbite sub arbore.

5. Et accipiam frustum panis, et fulcite cor vestrum; postea transeatis; nam quamobrem transiistis ad servum vestrum; et dixerunt, ita facias quemadmodum loquutus es.

6. Et festinavit Abraham versus tentorium ad Sarah, et dixit, festina tria sata farinae similaginis, pinse, et fac placentas.

7. Et ad armentum cucurrit Abraham, et accepit filium bovis tenerum et bonum, et dedit ad puerum, et festinavit ad faciendum illum.

8. Et accepit butyrum et lac, et filium bovis, quem fecit, et dedit coram illis; et ille stans ante illos sub arbore; et comederunt.

9. Et dixerunt ad illum, ubi Sarah uxor tua; et dixit, ecce in tentorio.

10. Et dixit, revertendo revertar ad te, juxta tempus hoc vitae, et ecce filius Sarae uxori tuae; et Sarah audiens ad januam tentorii, et ea post illum.

11. Et Abraham et Sarah senes, intrantes in dies, desiit esse Sarae via sicut mulierum.

12. Et risit Sarah intra se, dicendo, postquam consenui, num erit mihi voluptas, et Dominus meus senex.

13. Et dixit JEHOVAH ad Abraham, cur hoc risit Sarah, dicendo, num etiam vere pariam, et ego consenui.

14. Num mirabile erit pro JEHOVAH quicquam; ad tempus statum revertar ad te, juxta tempus hoc vitae, et Sarae filius.

15. Et negavit Sarah, dicendo, non risi, quia timuit; et dixit, non, quod risisti.

16. Et surrexerunt inde Viri, et prospexerunt ad facies Sodomae; et Abraham vadens cum illis, ad dimittendum illos.

17. Et JEHOVAH dixit, num celans Ego ab Abrahamo, quod Ego faciens.

18. Et Abraham essendo erit in gentem magnam et numerosam, et benedicentur in illo omnes gentes terrae.

19. Quia novi illum, propterea quod praecipiet filiis suis, et domui suae post se, et, custodient viam JEHOVAH, ad faciendum justitiam et judicium, propterea ut adducat JEHOVAH super Abrahamum illud quod loquutus est super illum.

20. Et dixit JEHOVAH, clamor Sodomae et Amorae, quod magnus factus sit, et peccatum eorum quod grave factum valde.

21. Descendam quaeso, et videbo, num secundum clamorem ejus, qui venit ad Me, fecerint consummationem; et si non, cognoscam.

22. Et prospexerunt inde Viri, et iverunt versus Sodomam; et Abraham adhuc ille stans coram JEHOVAH.

23. Et accessit Abraham, et dixit, num etiam delebis justum cum impio.

24. Forte sint quinquaginta justi in medio urbis, num etiam delebis, et non parces loco propter quinquaginta justos, qui in medio ejus.

25. Absit Tibi a faciendo secundum rem hanc, ad mori faciendum justum cum impio, et sit sic justus sicut impius; absit Tibi, num Judex totius terrae non faciet judicium.

26. Et dixit JEHOVAH, si invenero in Sodoma quinquaginta justos in medio urbis, et parcam toti loco propter eos.

27. Et respondit Abraham, et dixit, ecce quaeso suscepi ad loquendum ad Dominum meum, et ego pulvis et cinis.

28. Forte defuerint quinquaginta justis quinque, num disperdes in quinque totam urbem; et dixit, non perdam, si invenero ibi quadraginta quinque.

29. Et addidit adhuc loqui ad Ipsum, et dixit, forte inventi fuerint ibi quadraginta; et dixit, non faciam propter quadraginta.

30. Et dixit, ne quaeso succenseatur Domino meo, et loquar, forte inventi fuerint ibi triginta; et dixit, non faciam si invenero ibi triginta.

31. Et dixit, ecce quaeso, suscepi ad loquendum ad Dominum meum, forte inventi fuerint ibi viginti; et dixit, non perdam propter viginti.

32. Et dixit, ne quaeso succenseatur Domino meo, et loquar tantum hac vice, forte inventi fuerint ibi decem; et dixit, non perdam propter decem.

33. Et ivit Jehovah, quando absolvit loqui ad Abrahamum: et Abraham reversus est ad locum suum.

CONTENTA.

2136. Primo agitur hic de Statu Perceptionis Domini in Humano, et communicationis tunc cum Divino, ante Unionem perfectam Humanae Ipsius Essentiae cum Divina; qui Status etiam est, de quo Dominus haec dicit, „Deum nemo vidit unquam, Unigenitus Filius, qui in sinu Patris est," Joh: I: 18.

2137. Status perceptionis Domini in Humano tunc, significatur per querceta Mamre, Vers: 1. in quo quod apperciperet Divinum, quod se coram Humano Ipsius manifestaret, Vers: 2: quo gavisus, Vers: 3: et quod vellet ut Divinum ad Ipsius Humanum propius accederet, induendo aliquid naturale, Vers: 4: et quod Humanum Ipsius propius ad Divinum, induendo Coeleste, Vers: 5. Coeleste et inde Spirituale, quod induit, significatur per tria sata farinae similaginis ex quibus placentae, Vers: 6: et quod etiam induerit conforme naturale, significatur per filium bovis, Vers: 7. inde conformatio, et communicatio Divini cum Humano, et Humani cum Divino, Vers: 8.

2138. Secundo agitur de Perceptione Domini in illo statu, de Rationali apud Ipsum, quod exueret Humanum, et fieret Divinum.

2139. Quod Rationale fieret Divinum, significatur per Filium, quem Sarah pareret, Vers: 9. quod Verum rationale humanum apud Dominum id non perciperet, ita non crederet, significatur per risum Sarae ad januam tentorii, quae post illum, Vers: 10. 11. 12. 13. 15. Confirmatum quod Dominus etiam illud exueret, et loco ejus Verum Divinum indueret, Vers: 14.

2140. Tertio, agitur de dolore et anxietate Domini super Humanum Genus, quia tantum amore sui, et inde cupiditate imperandi super alios ex malo et falso, imbutum esset, pro quo in illo statu intercessit, et obtinuit ut salvarentur illi, apud quos bona et vera essent; at quinam sint, ordine recensetur.

2141. Perceptio Domini de Humano Genere, quod in malo et falso; Sodoma est amor sui et inde cupiditas imperandi ex malo, Amora est ex falso, Vers: 16. 20. quod non celari potuerit Domino in illo statu, quia per Ipsum et ab Ipso omnis salvatio, Vers: 17. 18. 19: nempe, quod visitandi, quando ad summum malitia eorum pervenit, Vers: 20. 21. Cum in perceptione illa esset, Vers: 22; quod intercesserit pro illis; primum pro illis apud quos vera, et ea plena bonis, qui significantur per quinquaginta, Vers: 23. 24. 25. 26: tum pro illis, apud quos minus boni, sed hoc usque conjunctum veris, qui significantur per quadraginta quinque, Vers: 27. 28: dein pro illis, qui in tentationibus fuerunt, qui significantur per quadraginta, Vers: 29: ut et pro illis, qui in aliquibus pugnis contra mala, qui significantur per triginta, Vers: 30: post pro illis, apud quos aliundè status affectionis boni, qui significantur per viginti, Vers: 31: demum pro illis, apud quos status affectionis veri, qui significantur per decem, Vers: 32; et jugiter responsum, quod illi salvarentur, Vers: 26. 28. 29. 30. 31. 32: his peractis, quod Dominus in pristinum statum perceptionis redierit, Vers: 33. Haec arcana in hoc Capite sunt in sensu interno, quae ex litera non patent.

SENSUS INTERNUS.

2142. Vers: 1. *Et apparuit illi Jehovah in quercetis Mamre, et ille sedens ad januam tentorii, incalescente die.* Apparuit illi Jehovah, significat perceptionem Domini: in quercetis Mamre, significat qualitatem perceptionis: ille sedens ad januam tentorii, significat sanctum quod tunc Ipsi: incalescente die, significat ex amore.

2143. Apparuit illi Jehovah, quod significet perceptionem Domini, constare potest ex eo, quod Historica Verbi non sint nisi repraesentativa, et verba ibi significativa illarum rerum, quae in sensu interno; hic agitur in sensu interno de Domino, ac de Ipsius Perceptione, quae repraesentata fuit, per quod apparuerit Jehovah Abrahamo; omnis apparitio, omnis sermo, et omne factum, in historicis Verbi, talia sunt: quid vero repraesentant, non patet, nisi historica non attendantur aliter ac objecta, sicut quae visus, ex quibus datur ansa aut copia cogitandi de rebus sublimioribus, pro exemplo ex Hortis, dum videntur, de fructibus, horum usibus, tum de jucunditate vitae ex illis, et adhuc sublimius, de felicitate Paradisiaca seu coelesti; quae cum cogitantur, objecta singula hortulana quidem videntur, sed ita leviter, ut non attendantur: ita quoque se habet cum historicis Verbi, in quibus cum coelestia et spiritualia, quae in interno sensu sunt, cogitantur, tunc historica, et ipsa verba, non aliter attenduntur.

2144. In quercetis Mamre, quod significet qualitatem perceptionis, constat ex repraesentatione et significatione Quercetorum, tum ex repraesentatione et significatione Mamre: quid Querceta in genere repraesentaverunt et significaverunt, in Parte Prima n: 1442. 1443, ostensum; et quid querceta Mamre in specie, n: 1616, nempe quod Perceptiones, sed quales sunt humanae ex scientificis, et ex primis rationalibus quae inde. Quid Perceptio, hodie ignotissimum est, quia nullus hodie in Perceptione est, in quali fuerunt Antiqui, et imprimis Antiquissimi, hi ex perceptione noverunt num bonum esset, et consequenter num verum; erat influxus in rationale eorum a Domino per coelum, ex quo illico, cum cogitarunt de aliquo sancto,

percipiebant num ita esset, vel non ita esset: periit dein talis perceptio apud hominem, cum non amplius in coelestibus ideis, sed solum in mundanis et corporeis, coepit esse; et loco ejus successit conscientia, quae quoque est species perceptionis, nam agere contra conscientiam et secundum conscientiam, non aliud est, quam appercipere inde, num ita vel non ita sit, aut faciendum; sed Conscientiae perceptio non est ex bono quod influit, sed est ex vero, quod secundum sanctum cultus eorum implantatum est rationali ab infantia, ac postea confirmatum; hoc tunc unice bonum esse credunt: inde est conscientia species perceptionis, sed ex vero tali, cui cum insinuatur charitas et innocentia a Domino, existit bonum istius Conscientiae; ex his paucis constare potest, quid Perceptio; sed inter Perceptionem et Conscientiam est multa differentia; videantur quae de Perceptione in Parte Prima, dicta, n: 104. 125. 371. 483. 495. 503. 521. 536. 597. 607. 784. 865. 895. 1121. 1616; quae de Perceptione Spirituum et Angelorum, n: 202. 203. 1008. 1383. 1384. 1390. 1391. 1392. 1394. 1397. 1504; et quod Eruditi non sciant quid Perceptio, n: 1387. Quod Dominum attinet, dum vixit in mundo, omnis Ipsius cogitatio fuit ex Perceptione Divina, quia solus Divinus et Coelestis homo, nam solus in quo Ipse Jehovah, ex quo Ipsius Perceptio, de qua etiam in Parte Prima n: 1616. 1791: Perceptiones Ipsius fuerunt interiores magis et magis, quo propius accessit ad unionem cum Jehovah; nunc qualis Ipsius Perceptio fuit, constare potest ex illis, quae de quercetis Mamre in Parte Prima n: 1616, dicta sunt; et qualis facta, cum percepit illa quae in hoc Capite continentur, in mox sequentibus describitur.

2145. Sedens ad januam tentorii, quod significet sanctum, quod tunc Ipsi, nempe sanctum amoris, qui significatur per incalescentem diem, de quo sequitur, constat ex significatione Tentorii, quod sit sanctum, de qua n: 414. 1102. 1566; et causa, cur per tentoria significata sint sancta, ibi videatur: quia tunc Dominus fuit in Perceptione quae significatur per querceta Mamre, quae est inferior rationalis, sed usque interior quam quae significatur per quercetum Moreh, de qua n: 1442. 1443: hic repraesentatur et sic significatur per id quod sederit ad januam tentorii, hoc est, ad introitum ad sanctum: quo-

modo se habet cum Perceptionibus, quod minus et magis interiores sint, illustrari potest ab Antiquissimorum perceptionibus, ex quibus audivi, quod quo plus essent in scientificis ex illis, quae erant objecta auditus et visus, eo perceptiones eorum fuissent inferiores; at quo plus ab illis elevabantur ad coelestia charitatis et amoris, eo fuerint interiores, quia tunc propius erant Domino.

2146. Incalescente die, quod significet ex amore, constat ex significatione caloris, quod in sensu interno sit amor; et quia calor est vel diei vel anni, repraesentatur amor vel per calorem diei, vel per calorem anni, secundum illa quae in historicis memorantur: quod Calor significet amorem, ex eo constare potest, quod amor dicatur calor spiritualis, et quod omnis affectio significetur per incalescentiam, etiam in sermone vulgari; et praeterea ex eo, quod amor et ejus affectiones, in interioribus hominis, tum quoque in exterioribus ejus, inque ipsis corporeis, manifestum se sistant per speciem caloris; imo nec aliunde est origo ejus apud hominem cum ex interioribus ejus effluit: sed qualis amor, talis calor; amor coelestis et amor spiritualis, sunt, qui genuinum calorem sistunt; omnis alius calor, qui nempe ex amoribus sui et mundi, tam ex aliis amoribus spurcis, est immundus, et fathiscit in altera vita in excrementitium, videatur n: 1773. Praeterea sciendum, quod sanctum nusquam praedicetur nisi ex amore et charitate, non autem ex fide, nisi quantum amoris aut charitatis fidei veris inest; fidei vera non sancta sunt, nisi inde, videantur quae prius n: 2049.

2147. Vers: 2. *Et sustulit oculos suos, et vidit, et ecce tres Viri stantes super illum; et vidit, et cucurrit obviam illis, a janua tentorii, et incurvavit se versus terram.* Sustulit oculos suos, significat quod viderit intra se: et ecce tres Viri stantes super illum, significat Divinum Ipsum, Divinum Humanum, et Sanctum procedens: et vidit, significat cum hoc appercipieret: et cucurrit obviam illis, significat quod propius cogitatione accesserit ad illa quae percipiebantur: a janua tentorii, significat a sancto, quod tunc Domino: et incurvavit se versus terram, significat effectum humiliationis ex gaudio inde.

2148. Quod sustulit oculos suos, significet quod viderit intra se: constat a significatione tollere oculos; per oculos in

Verbo significatur visus interior seu intellectus, ut constare potest a locis n: 212 citatis; inde tollere oculos est videre et percipere illa quae supra se; quae interiora sunt, in Verbo exprimuntur per superiora, sicut sursum spectare, tollere oculos ad coelum, alta cogitare, et hoc ex causa, quia homo putat Coelum in alto esse, seu supra se, cum tamen non in alto est, sed in internis; ut cum homo in coelestibus amoris est, coelum ejus tunc est intra illum, videatur n: 450; inde liquet, quod tollere oculos significet videre intra se.

2149. Ecce tres Viri stantes super illum, quod significet Divinum Ipsum, Humanum Divinum, et Sanctum procedens, constare potest absque explicatione, nam unicuivis notum est, quod Trinum sit, et hoc Trinum Unum; quod Unum sit, in hoc Capite manifeste patet, nempe Vers: seq: 3: ubi dicitur, „Dixit, *Domine mi*, si quaeso inveni gratiam in oculis *tuis*, ne quaeso *transeas*," quae dicta ad tres Viros; insuper Vers: 10. „Et *dixit*, revertendo *revertar* ad te": Vers: 13. „Et *dixit Jehovah* ad Abraham": Vers: 15. „*Dixit*, non, quod risisti": Vers: 17. „Et *Jehovah dixit*, num *celans Ego* ab Abrahamo, quod *Ego faciens*": Vers: 19. „Quia *novi* illum": Vers: 20. „Et *dixit Jehovah*": Vers: 21. „*Descendam* et *videbo*, num secundum clamorem ejus, qui venit ad *Me*, fecerint consummationem, et si non, *cognoscam*": Vers: 23. „Abraham dixit, num etiam *delebis* justum cum impio": Vers: 25 „Absit *Tibi*, ad faciendum secundum rem hanc, absit *Tibi*": Vers: 26. „Et *dixit Jehovah*, si *invenero* quinquaginta justos, *parcam* toti loco propter eos": Vers: 27. „Suscepi ad loquendum ad *Dominum meum*": Vers: 28. „Num *disperdes* in quinque totam urbem; et *dixit*, non *perdam*, si *invenero* ibi quadraginta [1] quinque": Vers: 29. „Addidit adhuc loqui ad *Ipsum: dixit*, non *faciam* propter quadraginta": Vers: 30. „Ne succenseatur *Domino meo: dixit*, non *faciam*, si *invenero* ibi triginta": Vers: 31. „Suscepi ad loquendum ad *Dominum meum: dixit*, non *perdam* propter viginti": Vers: 32. „Ne quaeso succenseatur *Domino meo*: et *dixit*, non *perdam* propter decem": Vers: 33. „Et *ivit Jehovah*, quando *absolvit* loqui ad Abrahamum". Exinde constare potest, quod per Tres Viros, qui apparuerunt Abrahamo, significatum sit Divinum Ipsum,

Humanum Divinum, et Sanctum procedens, et quod Trinum in se Unum sit: in sensu interno agitur hic de Jehovah, quod apparuerit Domino, et quod Dominus hoc perceperit, sed non per apparitionem, qualis fuit Abrahamo; nam quod Tres Viri visi Abrahamo, est historicum verum, sed repraesentat Divinam Perceptionem, seu Perceptionem ex Divino quae fuit Domino cum in Humano, de qua Perceptione in sequentibus agitur.

2150. Et vidit, quod significet cum hoc apperciperet, constat a significatione Videre in sensu interno, quod sit intelligere et appercipere, tum illuminari, de qua n: 1584; quod videre illa significet, nihil communius est in Verbo; hic significatur, quod apperceperit Perceptionem ex Divino affore, ut modo dictum.

2151. Quod cucurrit Abraham obviam illis, significet quod propius accesserit ad illa quae percipiebantur, constat ex serie rerum in sensu interno; agitur enim in Versu praecedente de Perceptione Domini in qua fuit; in hoc Versu, quod animadverteret Perceptionem ex Divino; hic nunc quod propius accesserit ad eam, repraesentatur et sic significatur per quod cucurrit obviam illis.

2152. A janua tentorii, quod significet a sancto quod tunc Domino, constat a significatione tentorii, quod sit sanctum; et a significatione januae, quod sit introitus ad sanctum, de quibus supra n: 2145.

2153. Et incurvavit se versus terram, quod significet effectum humiliationis ex gaudio inde, constat ex significatione incurvare se, quod sit humiliare: sicut omnes affectiones interiores, correspondentes sibi gestus habent in externis seu in corporeis, qui gestus sunt effectus affectionum ut suarum causarum efficientium, ita affectio humiliationis habet humiliationem ut et prostrationem; quod hoc fuerit ex gaudio, constat, quia apperceepit, ut dictum, Perceptionem ex Divino. De statu humiliationis Domini cum fuit in Humano, passim prius actum est, et in sequentibus hujus Capitis, ex Divina Domini Misericordia, agendum.

2154. Vers: 3. *Et dixit, Domine mi, si quaeso inveni gratiam in oculis tuis, ne quaeso transeas desuper servo tuo.* Et dixit, significat quod ita cogitavit: Domine mi, significat

trinum in uno: si quaeso inveni gratiam in oculis tuis, significat respectivum status Domini, cum perceptionem illam animadvertit: ne quaeso transeas desuper servo tuo, significat quod impense desideraverit, ne illud quod incepit percipere, transiret; Servus est humanum apud Dominum, antequam Divinum factum.

2155. Quod dixit, significet quod ita cogitavit, constat ex significatione dicere in sensu historico, quod sit percipere, de qua prius n: 1898. 1919. 2080. [²]

2156. Domine mi, quod significet Trinum in Uno, nempe Divinum Ipsum, Humanum Divinum, Sanctum procedens, quod Trinum in Uno est, quare hic dicitur Dominus in singulari; similiter Vers: 27. 31: „Ecce quaeso suscepi ad loquendum cum *Domino meo*": et Vers: 30. 32. „Ne quaeso succenseatur *Domino meo*". Tum etiam Tres illi Viri dicuntur Jehovah, Vers: 13. „Dixit *Jehovah* ad Abraham": Vers: 14. „Num mirabile erit pro *Jehovah* quicquam": Vers: 22. „Abraham adhuc stans coram *Jehovah*": Vers: 33. „Et ivit *Jehovah*, quando absolvit loqui ad Abrahamum": inde constat, quod Tres Viri, hoc est, Divinum ipsum, Humanum Divinum, et Sanctum procedens, sint idem ac Dominus, et Dominus idem ac Jehovah: in Christiana Fide, quae Symbolica appellatur, idem agnoscitur, ubi haec apertis verbis, „Non tres Increati sunt, non tres Infiniti, non tres Aeterni, non tres Omnipotentes, non tres Domini, sed Unus". Non alii sunt, qui separant hoc Trinum quod in Uno, quam qui dicunt se agnoscere unum Ens Supremum, Creatorem Universi, quod ignoscitur illis qui extra Ecclesiam sunt; sed qui ita intra Ecclesiam dicunt, ne quidem agnoscunt aliquem Deum, tametsi id aiunt, et quandoque putant; minus agnoscunt Dominum.

2157. Si quaeso inveni gratiam in oculis tuis, quod significet respectivum status Domini cum perceptionem illam animadvertit, constare potest ab affectione humiliationis, quae in ipsis his verbis, tum quoque in mox sequentibus his, *ne quaeso transeas desuper servo tuo*, in quibus etiam humiliatio: in singulis, quae in Verbo, inest et Affectio et Res; Coelestes Angeli Verbum percipiunt, quale est in sensu interno, quoad Affectionem; at Spirituales Angeli quale est in sensu interno

quoad Rem; qui percipiunt Verbum in sensu interno quoad Affectionem, nihil attendunt ad voces, quae sunt Rei, sed formant sibi ideas ex Affectione, et ejus serie, et hoc cum varietate indefinita; ut hic ad verba, „*Si quaeso inveni gratiam in oculis tuis, ne quaeso transeas desuper servo tuo,*" percipiunt statum humiliationis Domini in Humano, sed unice affectionem humiliationis, inde ineffabili modo, varietate et copia, formant sibi ideas coelestes, quae vix dici queunt ideae, sed totidem affectionum et perceptionum luces, quae in continua serie sequuntur secundum seriem affectionis rerum, quae in Verbo, quod legitur; inde constare potest, quod perceptio, cogitatio et loquela Angelorum coelestium, sit ineffabilior et multo opulentior perceptione, cogitatione et loquela Angelorum spiritualium, nam haec modo determinatur ad rem secundum seriem dictionum; de loquela Angelorum Coelestium quod talis, videatur in Parte Prima, n: 1647; inde est, quod haec, „*Si quaeso inveni gratiam in oculis tuis*, in sensu coelesti, significent respectivum status Domini cum perceptionem illam animadvertit: praeterea, invenire gratiam in oculis tuis, fuit formula solennis in omni respectivo; ut constare potest ex Labanis respectivo ad Jacobum, „Dixit ad eum Laban, *si quaeso inveni gratiam in oculis tuis,*" Gen: XXX: 27. Jacobi ad Esavum, „Dixit Jacobus, ne quaeso, *si quaeso inveni gratiam in oculis tuis*"; et similiter alibi in Verbo.

2158. Ne quaeso transeas desuper servo tuo, quod significet quod impense desideraverit, se habet similiter, sicut modo dictum, quod nempe sit respectivum quoque hic, quod ita exprimitur, et simul affectio desiderii, ne illud, quod incepit percipere, transiret.

2159. Quod Servus sit Humanum apud Dominum, antequam Divinum factum, constare potest ex pluribus locis apud Prophetas; causa est, de qua aliquoties prius, quod Humanum apud Dominum non aliud fuerit, antequam illud exuerit, et Divinum fecerit: Humanum apud Ipsum fuit ex Matre, ita infirmum, secum habens inde haereditarium, quod per tentationum pugnas evicit, et prorsus expulit, usque adeo, ut nihil reliqui de infirmo et haereditario ex Matre habuerit; imo tandem nec quicquam a Matre; sic ut exuerit prorsus Maternum,

ut non amplius filius ejus; quemadmodum etiam Ipse dicit, apud Marcum, „Dixerunt Jesu, ecce Mater tua, et fratres tui; fores „quaerunt te; et respondit illis, dicens, quae est Mater mea, „aut fratres mei; et circumspiciens circumcirca, qui circum „Ipsum sedebant, dixit, ecce Mater mea, et fratres mei; quis„quis namque fecerit voluntatem Dei, hic frater meus, et soror „mea, et Mater mea," III: 32. 33. 34. 35. Matth: XII: 46. 47. 48. 49. Luc: VIII: 20. 21. Cumque exuerit hoc Humanum, induit Humanum Divinum, ex quo appellavit se *Filium hominis*, ut pluries in Verbo Novi Testamenti, tum etiam *Filium Dei*; et per Filium hominis significavit ipsum Verum, et per Filium Dei ipsum Bonum, quod fuit Humanae Ipsius Essentiae cum facta Divina; prior status fuit Humiliationis Domini, hic autem Glorificationis Ipsius, de quo prius, n: 1999: in statu priori, nempe Humiliationis, cum adhuc habuit apud se Humanum infirmum, adoravit Jehovam sicut alium a se, et quidem sicut Servus, nam Humanum non aliud est respective; quare etiam in Verbo de Humano illo praedicatur servus; ut apud Esaiam, „Protegam super Civitatem hanc ad servandum illam „propter Me, et propter *Davidem Servum meum*," XXXVII: 35; ubi de Assyriis, in quorum castris ab Angelo percussi sunt Centum et Octoginta quinque millia; David pro Domino, qui quia venturus, quoad Humanum dicitur servus; quod David in Verbo pro Domino, videatur n: 1888: apud Eundem Prophetam, „Ecce, *Servus Meus*, cui innitar, Electus meus, bene„placet anima mea; dedi spiritum meum super illum; judicium „gentibus proferet," XLII: 1: ubi manifeste de Domino, de quo servus et electus, cum fuit in humano, praedicatur: apud Eundem, „Quis caecus, nisi *servus meus*, et surdus sicut An„gelus, mittam: quis caecus sicut perfectus, et caecus sicut „*Servus Jehovae*," XLII: 19: ubi etiam de Domino, de quo similiter servus et Angelus, cum fuit in humano, praedicatur: apud Eundem, „Vos testes mei, dictum Jehovae, et *Servus* „*meus*, quem elegi; propterea ut sciatis et credatis Mihi, et in„telligatis, quod Ego Ipse," XLIII: 10: apud Eundem, „Dixit „Jehovah formator meus ab *utero in Servum sibi*, ad reducen„dum Jacobum ad Ipsum, et Israël Ipsi congregetur: et dixit, „leve es, ut *sis Mihi Servus* ad erigendum tribus Jacobi, dedi

„ te in lucem gentium,' ad esse salutem meam usque ad extre-„ mitatem terrae," XLIX: 5. 6; ubi etiam manifeste de Domino, ac de Humano Ipsius, antequam factus Lux gentium, et Salus ad extremitatem terrae; apud Eundem, „ Quis inter vos timens „ Jehovae, audiens vocem *Servi Ipsius*, qui ambulat in tene-„ bris, et non splendor ei, confidat in Nomine Jehovae, et inni-„ tatur Deo suo," L: 10: Servus etiam pro Humano apud Dominum, in quo cum fuit et docuit viam veritatis, est vox servi Jehovae: apud Eundem, „ Vadens coram vobis Jehovah, et „ colligens vos Deus Israëlis, ecce prudenter aget *Servus meus*, „ extolletur, et exaltabitur, et evehetur valde," LII: 12. 13; quod de Domino, cum fuit in Humano, praedicetur servus, constat, nam de illo dicitur, quod extolletur, exaltabitur, et evehetur: apud Eundem, „ Non forma illi, et non honor, vi-„ dimus illum, sed non aspectus, contemtus, *vir dolorum, notus* „ *morbo;* Jehovah voluit conterere illum, *infirmum fecit:* si „ posuerit reatum animam suam, videbit semen, prolongabit „ dies, et voluntas Jehovae per manum Ipsius prosperabitur: „ *ex labore animae suae* videbit, saturabitur, per cognitionem „ suam justificabit justus *Servus meus* multos; et iniquitates eo-„ rum Ipse portavit," LIII: 2. 3. 10. 11. ubi aperte, sicut in toto hoc Capite, agitur de statu humiliationis Domini, quod tunc in infirmo humano, etiam dicitur, nempe quod vir dolorum, notus morbo, infirmus, in labore animae suae fuerit, praeter plura, in quo statu praedicatur servus.

2160. Vers: 4. *Accipiatur quaeso parum aquae, et lavate pedes vestros, et incumbite sub arbore.* Accipiatur quaeso parum aquae, significat quod accederent, seque demitterent a Divinis ad intellectualia illius propius: et lavate pedes vestros, significat quod induerent aliquod naturale, ut in statu illo, in quo tunc fuit, melius perciperet: et incumbite sub arbore, significat ad perceptionem sui status, in quo erat; arbor est perceptio.

2161. Quod accipiatur quaeso parum aquae, significet quod accederent seque demitterent a Divinis ad intellectualia illius propius, non ita constare potest ex his verbis solum, quod acciperent parum aquae, sed ex serie rerum quae in hoc Versu, et earum nexu cum illis quae antecedunt et sequuntur; ex his,

quae in hoc Versu, nusquam aliquis sciret, quod, *accipiatur quaeso parum aquae, et lavate pedes vestros, et incumbite sub arbore*, significarent, quod Divinum se demitteret propius ad perceptionis statum, in quo tunc fuit Dominus, ac indueret aliquod naturale, ut melius perciperet; non enim patet vestigium hujus arcani in vocibus historice intellectis; sed quod usque significent illa in sensu interno, ac ita illa percipiant Angeli, pro certo scio; exinde constare potest, quanta et quam alte arcana in Verbo latent; praeterea patere potest a significatione Vocum in sensu interno, nempe ex significatione *Aquae* quod sint intellectualia; a significatione *Pedum*, quod sint naturalia; et a significatione *Arboris*, quod sit perceptio; ex quibus intellectis, quid in sensu interno significant, a serie rerum, et earum nexu cum antecedentibus et consequentibus constare potest, nempe quod illa quae dicta sunt. Quod Aquae significent scientifica et rationalia, proinde intellectualia, in Parte Prima, n: 28. [3] 680, ostensum est, et ex perplurimis aliis locis in Verbo, constare potest, quae producere, prolixum nimis foret.

2162. Quod lavate pedes vestros, significet quod indueret aliquid naturale, ut in statu illo, in quo tunc fuit, melius perciperet, constare potest a significatione Pedum, quod sint naturalia, tum similiter ex serie rerum; quod arcana hic lateant, aliquantum constare potest ex eo, quod Abrahamus precatus tres Viros, ut acciperent parum aquae, et lavarent pedes, utque inniterentur sub arbore, cum tamen novit quod Dominus seu Jehovah esset; etiam ex eo, quod talia alioquin non memorata fuissent. Quod Pedes significent Naturalia, constare potest a Repraesentativis in altera vita, et inde repraesentativis apud Antiquissimos, ac ita in Verbo; Coelestia et Spiritualia repraesentantur per Caput, et per quae capitis sunt; per Pectus, et quae pectoris sunt, Rationalia et quae rationalium sunt; per Pedes, et quae pedum sunt, Naturalia et quae naturalium; inde est, quod planta et calcaneum pedis significet infima naturalia, de quibus videatur n: 259; et quod calceus, omnium infima, quae sordent, de quo n: 1748: similia significantur per illa, quae repraesentata sunt in somniis et visionibus apud Prophetas; ut Statua visa Nebuchadnezari, cujus

Caput aurum bonum, Pectus et Brachia argentum, Venter et Femora aes, Crura ferrum, *Pedes ex parte ferrum ex parte argilla;* Dan: II: 32. 33: ubi Caput significat coelestia, quae intima, et sunt aurum, ut ostensum n: 113. 1551. 1552; Pectus et Brachia, spiritualia seu rationalia, quae sunt argentum, ut ostensum n: 1551; Pedes autem inferiora quae sunt naturalia, quorum vera significantur per ferrum, et bona per argillam seu lutum, quod ferrum sit verum, videatur n: 425. 426, et quod lutum sit bonum, n: 1300, utrumque hic naturale; ita quoque sibi succedunt in Regno Domini in coelis, inque Ecclesia quae est Regnum Domini in terris, tum in unoquovis qui est regnum Domini. Similiter se habet cum Visione, quae Danieli, de qua haec, „ Sustuli oculos meos, et vidi, ecce „ vir unus indutus linteis, et lumbi illius cincti auro Uphasi, et „ corpus sicut Tharschisch, et facies illius sicut aspectus fulgu„ ris, ac oculi illius sicut lampades ignis, et brachia et *Pedes* „ *illius, sicut splendor aeris laevigati,"* X: 5. 6: per haec significantur in specie interiora Verbi quoad bona et vera; Brachia et Pedes sunt ejus exteriora, quae sunt sensus literae, quia ibi naturalia, a naturalibus enim desumpta: praeterea quid unumquodvis significat, nempe lumbi, corpus, facies, oculi, et plura quae apud hominem, constare potest a repraesentativis in altera vita, de quibus, ex Divina Domini Misericordia, dicetur, ubi de Maximo Homine, qui est Coelum Domini, ac de Repraesentativis inde in Mundo spirituum. Quod legitur „ de „ Mose, Aharone, Nadab, Abihu, et septuaginta Senioribus, „ quod viderint Deum Israëlis, *sub cujus Pedibus erat quasi* „ *opus lapidis Sapphiri*, et quasi substantia Coeli quoad puri„ tatem," Exod: XXIV: 9. 10. significant quod viderint modo Externa Ecclesiae, repraesentata in naturalibus; tum etiam sensum literalem Verbi, in quo etiam externa repraesentantur per naturalia, ut dictum, quae sunt Pedes, sub quibus sicut opus lapidis sapphiri, et quasi substantia coeli; quod Dominus fuerit, qui illis visus, sed solum in illis inferioribus seu naturalibus, constat, nam dicitur Deus Israëlis, quem omnia Ecclesiae repraesentabant, et omnia Verbi in sensu interno significabant; nam Dominus sistitur videndus secundum illa quae tunc significantur, sicut apud Johannem, sicut Vir super Equo

albo, ibi quod significaverit Verbum, claris verbis dicitur, Apoc: XIX: 11. 13. Animalia visa Ezechieli, quae fuerunt Cherubi, sunt descripti quoad Coelestia et spiritualia per facies et alas, ut et plura, at quoad naturalia ita, „*Pedes eorum, Pes rectus,* „et *planta pedum* illorum, quasi *planta pedis vituli*, et mi„cantes sicut splendor aeris laevigati," Ezech: I: 7: quod pedes dicantur micuisse instar aeris laevigati, hoc est, naturalia, est quia aes significat bonum naturale, de quo n: 425. 1551. Similiter quod apparuit Johanni, „ut Filius hominis, cujus oculi „essent sicut flamma ignis, et *Pedes similes chalcolibano,*" Apoc: I: 14. 15. Cap: II: 18. Quod Pedes significent Naturalia, porro patet a sequentibus; apud Johannem, „Vidit An„gelum fortem descendentem e coelo, circumdatum nube, et „iris circum caput, et facies illius sicut sol, et *Pedes illius* „*sicut columnae ignis;* habentem in manu sua libellum aper„tum, et ponentem *Pedem suum dextrum super Mare, sini„strum* super *Terram,*" Apoc: X: 1. 2: per quem Angelum similiter significatur Verbum, quale est in interno sensu, per iridem circum caput, et per faciem sicut sol; at sensus externus seu literae, per Pedes; mare sunt naturalia vera, terra naturalia bona, inde constat quid significat, quod posuerit Pedem dextrum super Mare, et sinistrum super terram. Memoratur passim in Verbo *Scabellum pedum*, sed ignoratur quid in sensu interno significat; ut apud Esaiam, „Dixit Jehovah, Coeli „Thronus meus, et *Terra Scabellum Pedum meorum;* ubi illa „Domus, quam aedificabitis Mihi, et ubi ille locus quietis meae," LXVI: 1: Coeli sunt coelestia et spiritualia, ita intima, tam Regni Domini in coelis, quam Regni Domini in terris, seu in Ecclesia, tum apud unumquemvis hominem qui est Regnum Domini seu Ecclesia; ita etiam Coelestia et Spiritualia in se spectata, quae sunt amoris et charitatis et inde fidei; ita omnia quae sunt Cultus interni, similiter omnia quae sunt sensus interni Verbi, haec sunt coeli, et vocantur Thronus Domini: Terra autem sunt inferiora omnia illis correspondentia, ut sunt inferiora rationalia, et naturalia, de quibus ex correspondentia etiam coelestia et spiritualia praedicantur, qualia sunt illa quae in Coelis inferioribus, tum quae in Ecclesia, quaeque in cultu externo, tum quae in sensu literali Verbi, verbo omnia quae

procedunt ab internis, et sistuntur in externis, haec quia Naturalia, vocantur Terra, et Scabellum Pedum Domini; quid Coelum et terra in sensu interno, videatur etiam, n: 82. 1733: quid novum Coelum, et nova terra, n: 2117. 2118 fin: et quod homo sit exiguum coelum, n: 911. 978. 1900. Similiter apud Jeremiam, „Obnubilat in ira sua Dominus filiam Zio„nis, projicere fecit e coelis in terram decorem Israëlis, et non „recordatus *Scabelli Pedum suorum in die irae suae,*" Thren: II: 1. Tum etiam apud Davidem, „Exaltate Jehovam Deum „nostrum, et incurvate vos *Scabello Pedum Ipsius*, sanctus „ille," Psalm: XCIX: 5. alibi apud Eundem, „Intrabimus in „habitacula Ipsius, incurvabimus nos *Scabello Pedum Ipsius,*" Psalm: CXXXII: 7. putarunt in Ecclesia Repraesentativa, ita Judaei, quod Domus Dei et Templum esset Scabellum pedum, nescientes quod per Domum Dei et Templum significatus sit Cultus repraesentativus externus, quid interna Ecclesiae, quae significabantur per coelum, seu Thronum Dei, prorsus ignorabant: apud Eundem, „Dictum Jehovae Domino meo, sede ad „dextram meam, usque dum posuero inimicos tuos *Scabellum „Pedibus tuis,*" Psalm: CX: 1. Matth: XXII: 42. [44.] Marc: XII: 36. Luc: XX: 42. 43; per scabellum pedum hic similiter significantur naturalia, tam sensualia, quam scientifica, et inde rationalia hominis, quae inimici dicuntur, quando pervertunt cultum, et hoc ex sensu literali Verbi, sic ut sit cultus solum in externis, et nullus seu foedus internus, de quo n: 1094. 1175. 1182; cum ita perversa sunt et foedata, vocantur inimici; at quia in se spectata se referunt ad cultum internum, qui cum restituitur, fiunt, ut prius dictum, tam illa quae sunt cultus externi, quam quae sunt sensus literae Verbi, Scabellum pedum. Apud Esaiam, „Gloria Libani ad Te veniet; abies, „taeda, buxus simul, ad decorandum locum Sanctuarii mei, „et *locum Pedum meorum honorabilem reddam,*" LX: 13; ibi agitur de Regno Domini, et Ecclesia, cujus Coelestia spiritualia sunt gloria Libani seu cedri, coelestia autem naturalia sunt abies, taeda, buxus, sicut etiam alibi in Verbo, ita quae externa cultus sunt, de quibus dicitur, quod locum pedum meorum honorabilem reddam, qui non honorabilis fieri potest per abietem, taedam, buxum, sed per illa quae significant. Quod

Pedes illa significent, constat quoque ex repraesentativis in Ecclesia Judaica, ut per quod „*lavarent* Aharon et filii ejus *Manus* et *Pedes*, antequam intrarent in Tabernaculum," Exod: XXX: 19. 20. Cap: XL: 31. 32; quae quod repraesentaverint arcana, nullus non videre potest, nam quid Lavatio manuum et pedum, nisi externum quid, quod nihil facit nisi internum sit mundum et purum, nec internum per lavationem illam mundari et purificari potest; sed quia omnes Ritus istius Ecclesiae significabant interna, quae sunt coelestia et spiritualia, ita hic quoque, nempe munditiem Externi cultus, qui tunc mundus est, quando in externo internus est, inde lavacra eorum fuerunt ex aere, ut quoque magnum illud, quod Mare aeneum dictum, cum decem labris minoribus ex aere, circa templum Salomonis, 1 Reg: VII: 23. 38; quia aes repraesentabat bonum externi cultus, quod idem est, ac bonum naturale; de qua aeris significatione videatur n: 425. 1551. Similiter repraesentativum fuit, quod „vir, in quo esset *fractura Pedis*, aut fractura manus, e semine Aharonis, non accederet ad offerendum ignita Jehovae," Lev: XXI: 19. 21; per fractos pedibus et manibus, repraesentabantur illi, qui in cultu perverso externo sunt. Quod Pedes significent Naturalia, patet etiam alibi passim apud Prophetas, ut prophetica haec apud Mosen, „Benedictus prae filiis Ascher, „sit acceptus fratrum suorum, et intingens in oleum *Pedem* „*suum*, ferrum et aes *calcei tui*," Deut: XXXIII: 24. 25; haec nulli intellecta erunt, nisi sciatur quid in sensu interno significant Oleum, Pes, Ferrum, Aes, Calceus, quod Pes sit naturale, Calceus adhuc inferius naturale, quale est sensuale corporeum, videatur n: 1748; et quod Oleum sit coeleste, n: 886; Ferrum verum naturale, n: 425. 426; et Aes bonum naturale, n: 425. 1551, inde patet, quid involvunt. Apud Nahum, „Jehovae in procella et tempestate via, et *nubes pulvis Pedum* „*Ipsius*," I: 3. ubi pulvis pedum significat naturalia et corporea, quae apud hominem, ex quibus nubes: idem etiam apud Davidem significatur per haec „Jehovah inclinavit coelos, at„que descendit, et *caligo sub Pedibus Ipsius*," Psalm: XVIII: 10. Quando bona et vera fidei, per naturale lumen, ut vocant, pervertuntur, in Verbo describitur per Pedes et Ungulas bestiae, quibus turbantur aquae, et quibus cibi proculcan-

tur, ut apud Ezechielem, „Prodiisti in flumina, et *turbasti* „*aquas Pedibus tuis*, et proculcavit flumina earum; perdam „omnem bestiam ejus desuper aquis multis, et non *conturbabit* „*eas Pes hominis amplius*, nec *ungula bestiae*," XXXII: 2. 13. agitur hic de Aegypto, per quam quod significatae sint scientiae, ostensum est, n: 1164. 1165. 1462; ita per pedes et ungulas, quibus turbantur flumina et aquae, scientifica ex sensualibus et ex naturalibus, ex quibus ratiocinantur de arcanis fidei, nec prius, quam per illa capiuntur, credunt, quod est nusquam credere, nam quo magis ratiocinantur tales, eo minus credunt; videantur quae n: 128. 129. 130. 215. 232. 233. 1072. 1385. Ex his omnibus nunc patet, quod per Pedes in Verbo, significentur naturalia; sed quid significatur amplius, ex serie rerum patet.

2163. Incumbite sub arbore, quod significet ad perceptionem sui status, in quo fuit, constat ex significatione Arboris, quod sit perceptio, de qua n: 103; ipse sensus inde ex serie rerum, quod sit ille. Quod Arbores significaverint Perceptiones, inde fuit, quia coelestis homo comparatus et assimilatus fuit Paradiso seu Horto in Edene, inde Perceptiones Coelestium apud eum Arboribus ibi.

2164. Vers: 5. *Et accipiam frustum panis, et fulcite cor vestrum; postea transeatis: nam quamobrem transiistis ad servum vestrum; et dixerunt, ita facias quemadmodum loquutus es.* Accipiam frustum panis, significat aliquid coeleste adjunctum: fulcite cor vestrum, significat quantum convenit: postea transeatis, significat cum absolverit percipere, quod sic contentus esset: nam quamobrem transiistis ad servum vestrum, significat quod ideo venerint: et dixerunt, ita facias quemadmodum loquutus es, significat quod ita fieret.

2165. Accipiam frustum panis, quod significet aliquid coeleste adjunctum, constat a significatione Panis, quod sit coeleste, de qua prius, n: 276. 680. 681. 1798; quod Panis significet Coeleste, est quia Panis significat in genere omnem Cibum, ita in sensu interno omnem Cibum coelestem; Cibus coelestis quid sit, in Parte Prima n: 56. 57. 58. 680. 681. 1480. 1695, dictum est: quod Panis significet in genere omnem Cibum, ex his locis Verbi constare potest; de Josepho legitur,

„quod dixerit ad illum, qui super domum suam, quod deduceret viros, hoc est, fratres suos, domum, et mactaret mactanda, et praepararet; et postea, cum praeparata erant, et comederent, dixit, *ponite Panem*," Gen: XLIII: 16. 31, [4] quod erat, ut praepararent mensam, ita panis pro omnibus cibis: de Jethro legitur, quod „Veniret Aharon et omnes seniores Israëlis ad *comedendum Panem* cum socero Mosis, coram Deo," Exod: XVIII: 12, ibi etiam Panis pro omnibus cibis: de Manoacho in Libro Judicum, „Dixit Manoachus ad Angelum Jehovae, detineamus quaeso te, et faciamus coram te haedum caprarum; et dixit Angelus Jehovae ad Manoachum, si detinueris me, non *comedam Panem tuum*," XIII: 15. 16, ibi Panis pro haedo caprarum. „Cum Jonathan comedit de favo mellis, dixerunt ei, quod Schaul adjuraverit populum, dicendo, maledictus vir, qui *comederit Panem* hodie," 1 Sam: XIV: 27. 28, ubi Panis pro omni cibo: alibi de Schaule, „Cum Schaul assedit ad *comedendum Panem*, dixit ad Jonathan, quare non venit filius Jischaji, etiam heri, etiam hodie, *ad Panem*," 1 Sam: XX: 24. 27, pro ad mensam, ubi omnis generis cibi: de Davide, qui dixit ad Mephiboschetum filium Jonathanis, „Tu *comedes Panem super mensa mea* jugiter," 2 Sam: IX: 7. 10: similiter de Evilmerodacho, qui dixit, quod Jehojachin Rex Jehudae *comederet Panem jugiter coram illo*, omnibus diebus vitae suae, 2 Reg: XXV: 29. De Salomone ita, „*Erat Panis Schelomonis* in diem quemvis, 30 cori similaginis, et 60 cori farinae, 10 boves saginati, et 20 boves pascui, et 100 pecudes, praeter cervum et capream et damam, et gallos saginatos," 1 Reg: V: 2. 3, ubi manifeste Panis pro omnibus illis; nunc quia Panis significat in genere omnes cibos, inde significat in sensu interno omnia illa, quae Cibi Coelestes vocantur; quod adhuc melius constare potest ab Holocaustis et Sacrificiis, quae fiebant ex agnis, bovibus, capris, haedis, hircis, juvencis, bovibus, quae una voce vocabantur *Panis Igniti Jehovae*, ut ab his locis manifeste constat, apud Mosen, ubi agitur de variis Sacrificiis, de quibus dicit, „quod illa adoleret Sacerdos super altari, *Panis Igniti Jehovae*, in odorem quietis," Levit: III: 11. 16; omnia illa sacrificia et holocausta ita vocabantur: apud Eundem, „Filii Aharonis sancti erunt

„ Deo suo, neque prophanabunt Nomen Dei sui, quia *Ignita* „ *Jehovae*, *Panem Dei sui*, illi offerentes. Sanctificabis illum, „ quia *Panem Dei tui* ille offerens. Vir de semine Aharonis, in „ quo fuerit macula, non accedet ad offerendum *Panem Dei* „ *sui*," Levit: XXI: 6. 8. 17. 21; ubi etiam Sacrificia et Holocausta sunt Panis; ut quoque Lev: XXII: 25. Alibi „ Praecipe „ filiis Israëlis, et dicas ad eos, oblationem meam, *Panem* „ *meum*, in ignita odoris quietis, observabitis, ut offeratis Mihi „ in stato tempore suo," Num: XXVIII: 2. ibi etiam Panis pro Sacrificiis omnibus, quae ibi recensentur: apud Malachiam, „ Offerentes super Altari meo *Panem* pollutum," I: 7, ubi etiam de Sacrificiis: Sanctificata ex Sacrificiis, quae comedebant, etiam Panis dicebantur, ut constat ab his apud Mosen, „ Qui tetigerit immundum, non comedet de sanctificatis, quin imo lavabit carnem suam in aqua, et occideret sol, mundus erit, et „ postea comedet de sanctificatis, *quia Panis ejus hoc*," Levit: XXII: 6. 7. Holocausta et Sacrificia in Ecclesia Judaica, nihil aliud repraesentabant, quam Coelestia, quae Regni Domini in coelis, et Regni Domini in terris seu in Ecclesia, tum quae Regni Domini seu Ecclesiaę apud unumquemvis, in genere omnia illa quae sunt amoris et charitatis, nam haec sunt coelestia; ac unumquodvis genus sacrificii aliquid peculiare; haec omnia vocabantur tunc temporis PANIS: cum itaque Sacrificia abolebantur, et loco illorum pro Externo Cultu succederent alia, mandatum est, ut Panis et Vinum adhiberentur; quid itaque Panis significat, inde nunc constat, nempe omnia illa quae repraesentabant Sacrificia, ita in sensu interno Ipsum Dominum, et quia Ipsum Dominum, significat ipsum amorem erga universum genus humanum, et quae amoris sunt; ut et reciprocum hominis in Dominum, et erga proximum; ita significat omnia Coelestia, et sic Vinum omnia spiritualia; quod etiam claris verbis Dominus docet apud Johannem, „ Dixerunt, Patres nostri „ Man comederunt in deserto, sicut scriptum, *Panem e coelo* „ dedit illis ad edendum; dixit illis Jesus, amen amen dico vobis, „ non Moses dedit vobis *Panem e coelo*, sed Pater meus *dat* „ *vobis Panem e coelo* verum, *Panis namque Dei est*, qui de- „ scendit e coelo, et vitam dat mundo: dixerunt Ipsi, Domine, „ semper da nobis *Panem* hunc; dixit illis Jesus, *Ego sum Panis*

„ *vitae*, qui venit ad Me, non esuriet, et qui credit in Me, non „ sitiet unquam, " VI: 31 ad 35: et apud Eundem, „ Amen dico „ vobis, qui credit in Me, habet vitam aeternam, *Ego sum* „ *Panis vitae*, patres vestri comederunt Man in deserto, et „ mortui sunt; *hic est Panis* qui e coelo descendit, ut quis ex „ eo comedat, non morietur: *Ego sum Panis vivens*, qui e „ coelo descendit, si quis *comederit ex hoc Pane*, vivet in ae„ ternum, " VI: 47 ad 51. Quia Panis nunc est Dominus, est Coelestium quae sunt amoris, et sunt Domini, Dominus enim est ipsum Coeleste, quia est ipse Amor, hoc est, ipsa Misericordia: et quia ita, est etiam Panis omne coeleste, hoc est, omnis amor et charitas apud hominem, sunt enim a Domino; quare qui non in amore et charitate sunt, non habent Dominum apud se, ita non donantur bonis et felicibus, quae per Panem in sensu interno significantur: Externum hoc symbolicum mandatum est, quia maxima pars generis humani in externo cultu sunt, ideo absque Externo aliquo, vix sanctum aliquod apud eos foret; quare cum in Amore in Dominum vivunt, et in charitate erga proximum, usque internum apud se habent, tametsi non sciunt, quod hoc ipsissimum internum cultus sit; ita in Externo suo cultu confirmantur in bonis, quae per Panem significantur. Apud Prophetas quoque per Panem significantur coelestia, quae sunt amoris, ut apud Esai: Cap: III: 1. 7. Cap: XXX: 23. Cap: XXXIII: 15. 16. Cap: LV: 2. Cap: LVIII: 7. 8. Thren: V: 9. Ezech: IV: 16. 17. Cap: V: 16. Cap: XIV: 13. Amos Cap: IV: 6. Cap: VIII: 11. Psalm: CV: 16. similiter per Panes facierum super Mensam, de quibus Levit: XXIV: 5 ad 9. Exod: XXV: 30. Cap: XL: 23. Num: IV: 7. 1 Reg: VII: 48.

2166. Fulcite cor vestrum, quod significet quantum convenit, non ita constare potest a proxima significatione verborum in sensu interno, sed usque ex serie rerum; agitur enim de perceptione Divina, ut haec propius accederet ad perceptionem humani, quod tunc apud Dominum, utque se demitteret ad intellectualia Ipsius, per id quod indueret aliquid naturale, tum aliquid coeleste ei adjunctum, quantum convenit, quod est fulcire cor; in sensu proximo, fulcire cor per panem, est recreari, ita frui tantillo coelesti, quantum convenit.

2167. Postea transeatis, quod significet cum absolverit percipere, quod sic contentus esset, ex serie similiter constat.

2168. Nam quamobrem transiistis ad servum vestrum, quod significet quod ideo venerint, etiam absque explicatione constat.

2169. Quod dixerunt, ita facias, quemadmodum loquutus es, significet quod ita fieret, pariter nec opus habet explicatione.

2170. Vers: 6. *Et festinavit Abraham versus tentorium ad Sarah, et dixit, festina tria sata farinae similaginis, pinse et fac placentas.* Festinavit Abraham versus tentorium [ad Sarah], significat rationale bonum Domini conjunctum vero Ipsius; Abraham est hic Dominus in illo statu quoad bonum; Sarah quoad verum; tentorium quoad sanctum amoris: et dixit, significat perceptionis statum tunc respective: festina tria sata farinae similaginis, pinse, et fac placentas, significat coeleste amoris Ipsius in illo statu: tria sunt sancta; farina similaginis, est spirituale et coeleste Rationalis, quod tunc apud Dominum; placentae similiter cum utrumque conjunctum.

2171. Festinavit Abraham versus tentorium ad Sarah, quod significet rationale bonum Domini conjunctum vero Ipsius, constat ex repraesentatione Abrahami, tum Sarae, et a significatione tentorii, de qua mox. Sicut omnia et singula se habent ad rem, de qua agitur in sensu interno, ita haec, nempe ad Perceptionem Divinam, in quam venit Dominus, cum esset in perceptione humani; sed qui ignorant, quid Perceptio, nec scire possunt, quomodo se cum Perceptione habet, minus quod detur perceptio interior magis et magis, nempe perceptio naturalis, tum perceptio rationalis, demum perceptio interna, quae Divina et sola fuit Domino; qui in Perceptione sunt, ut Angeli, sciunt quam optime in qua sunt, num in naturali, vel in rationali, vel in interiore adhuc, quae illis est Divina; quid non Dominus, cui fuit perceptio ab Ipso Supremo et Infinito Divino, de qua n: 1616, ad f: 1791, in qua nusquam aliqui Angeli, nam in illos influit perceptio a Supremo aut Infinito Divino Domini per Humanam Ipsius Essentiam. Quod describatur Perceptio Domini, causa est, quia cum fuit in Humano, ita notum Ipsi factum, quomodo in Ipso uniretur Divinum Ipsum,

Humanum divinum, et sanctum procedens, dein quomodo Rationale Ipsius fieret Divinum, demum quale sit genus humanum, quod per Ipsum, hoc est, per unionem Humanae Essentiae cum Divina in Ipso, salvaretur, de quibus in hoc Capite agitur; propter haec describitur primum Perceptio Domini, tum etiam propter ipsam unitionem, quae fieret.

2172. Quod Abraham sit hic Dominus in illo statu quoad bonum, constat ex repraesentatione Abrahami; Abraham repraesentat Dominum in humano, quando loquitur cum Jehovah, ut hic, sicut etiam prius n: 1989, ubi repraesentabat Dominum in illo statu et in illa aetate, quia tunc etiam cum Jehovah loquutus; alioquin repraesentat Abraham Divinum Bonum Domini, et Sarah Divinum Verum, inde nunc rationale bonum.

2173. Quod Sarah sit hic Dominus quoad verum, constat ex repraesentatione Sarae, quod sit verum intellectuale adjunctum bono, hic quod sit verum rationale, ex eadem causa, ut modo de Abrahamo dictum; quod Sarah repraesentat verum, videatur prius n: 1468. 1901. 2063. 2065: Bonum et Verum in historicis Verbi, non aliter possunt quam repraesentari per Conjugium; se enim ita habent, est enim Divinum Conjugium inter coelestia et spiritualia; seu quod idem, inter illa quae sunt amoris et quae sunt fidei; seu quod adhuc idem, inter illa quae sunt voluntatis et intellectus; illa sunt Boni, haec sunt veri: tale Conjugium est in Regno Domini in Coelis, tale etiam in Regno Domini in terris seu in Ecclesia, tale in unoquovis homine, in singulis ejus, imo in omnium singularissimis; quae non in tali Conjugio sunt, non vivunt; imo tale Conjugium inde est in universa natura, inque singulis ejus, sed sub alia forma et specie, alioquin nihil usquam ibi subsisteret: quia tale conjugium est in singulis, apud Prophetas unaquaevis res duplici modo exprimitur, imprimis apud Esaiam, et una expressio se refert ad coeleste seu bonum, altera ad spirituale seu verum, de quo n: 683. 793. 801: quod sit instar conjugii in singulis, videatur n: 718. 747. 917. 1432; inde est, quod per Abrahamum repraesentetur bonum Domini, et per Sarah verum.

2174. Quod tentorium sit quoad sanctum amoris, constat

ex significatione tentorii, quod sit sanctum, de qua prius n: 414. 1102. 1566. [5] 2145.

2175. Et dixit, quod significet perceptionis statum tunc respective, constat ex significatione Dicere in sensu historico, quod sit percipere, de qua prius n: 1898. 1919. 2080.

2176. Festina tria sata farinae similaginis, pinse, et fac placentas, quod significet coeleste amoris Ipsius in illo statu, constat ex significatione farinae, similaginis et placentae, de quibus in mox sequentibus; quod haec involvantur, nusquam aliquis, qui in sensu literali seu vocum, minus qui in historicis per illas descriptis, animum tenet, credere potest, nam cogitat non solum de paratu hoc, sed etiam de Viris qui ad Abrahamum venerunt, non autem de eo, quod arcaniora involvant; quae causa est, quod minus credere possit, quod in singulis Verbi historicis recondita sint arcana, aeque ac in Propheticis; historica enim maxime ad se mentem attrahunt, et interiora obfuscant; sed usque quod arcana illis insint etiam penitus abscondita, ex eo solo constare potest, quod Verbum Domini sit, scriptum non solum pro homine, sed etiam simul pro coelo, et quidem ita, ut cum homo illud legit, Angeli tunc habeant inde coelestes ideas, ut sic per Verbum conjunctum sit Coelum cum humano genere. Quid per farinam, similaginem, et placentas, intelligatur in sensu interno, nunc sequitur.

2177. Quod farina similaginis sit spirituale et coeleste quod tunc apud Dominum, et quod placentae similiter cum utrumque conjunctum, constat manifeste ex sacrificiis Ecclesiae Repraesentativae, et ex Mincha, quae tunc adhibebatur, quae constabat ex similagine mixta oleo, et facta in placentas; primarium cultus repraesentativi consistebat in holocaustis et sacrificiis, quae quid repraesentaverunt, dictum est supra, ubi de Pane, n: 2165, nempe quod Coelestia, quae sunt Regni Domini in coelis, et Regni Domini in terris seu in Ecclesia, tum quae Regni Domini seu Ecclesiae apud unumquemvis, in genere omnia illa quae sunt amoris et charitatis, quia haec sunt coelestia, quae omnia tunc temporis vocabantur Panis; his Sacrificiis adjungebatur etiam Mincha, quae, ut dictum, constabat ex similagine, mixta oleo, cui quoque thus adjiciebatur, tum quoque libamen ex vino; quid haec repraesentabant, etiam

constare potest, nempe quod similia, ac sacrificia, sed in minori gradu, ita quae sunt Ecclesiae Spiritualis, tum quae sunt Ecclesiae Externae; unicuique constare potest, quod talia nusquam mandata fuissent, nisi repraesentarent Divina, tum quod unumquodvis aliquid peculiare; nam nisi repraesentavissent Divina, non aliud fuissent, quam similia, quae apud Gentiles, apud quos quoque sacrificia, minchae, libamina, thura, tum quoque ignes perpetui, et plura, quae ad illos derivata fuerunt ab Ecclesia Antiqua, imprimis ab Hebraea; a quibus, quia separabantur interna, hoc est Divina, quae repraesentabantur, nihil aliud fuerunt, quam idololatrica; sicut etiam apud Judaeos facta sunt, quare etiam in omnia idololatriae genera lapsi sunt: inde manifestum cuivis esse potest, quod arcana coelestia unicuivis ritui, imprimis Sacrificiis, et singulis eorum, inessent. Quod Mincham attinet, describitur illa qualis esset, et quomodo praepararetur in placentas, in toto Capite apud Mosen, Levit: II, ut et Num: XV, ac alibi; Lex Minchae his verbis describitur in Levitico, „Ignis jugiter accensus erit super altari, non exstinguetur: et haec *lex Minchae*; afferre illam filios Aharonis coram Jehovah ad facies altaris, et tollet ab illa pugillo suo *de similagine Minchae;* et de oleo ejus, et omne thus quod super *mincha*, et adolebit super altari; odor quietis, in memoriale Jehovae; et residuum de illa comedent Aharon et filii ejus; azyma comedentur in loco sancto; in atrio tentorii conventus comedent eam; non coquetur fermentata; partem illorum dedi eam de ignitis meis, sanctum sanctorum illa," VI: 6. 7. 8. 9. 10. Ignis, qui jugiter accensus erit super altari repraesentabat Amorem, hoc est, Misericordiam Domini, perpetuam et aeternam, quod ignis significet amorem in Verbo, videatur n: 934, inde Ignita in odorem quietis significant Domini beneplacitum in illis quae sunt amoris et charitatis, quod odor sit beneplacitum, hoc est, gratum, videatur n: 925. 1519: quod acciperent pugillo, repraesentabat quod omnibus viribus, seu omni anima, amarent, manus enim seu vola significat potentiam, ut ostensum n: 878, inde etiam pugillus; Similago cum oleo et thure, repraesentaverunt omnia charitatis, similago spirituale ejus, oleum autem coeleste, thus quod ita gratum; quod similago spirituale, ex

his et sequentibus patet; quod oleum coeleste seu bonum charitatis, videatur n: 886, quodque thus ab odore gratum et acceptum, n: 925; quod azymum seu non fermentatum esset, significat quod sincerum, ita ex corde sincero, et absque immundis; quod residuum comederent Aharon et filii ejus, repraesentabat reciprocum hominis, et adpropriationem, ita conjunctionem per amorem et charitatem, quare mandatum ut comederent illud in loco sancto; inde appellatur sanctum sanctorum; haec fuerunt quae repraesentata sunt per mincham, ac ipsa repraesentativa ita percepta fuerunt in coelo; cumque homo Ecclesiae ita capiebat illa, tunc fuit in idea simili perceptioni angelorum, ita in ipso Regno Domini in coelis, tametsi erat in terra. De Mincha porro agitur, qualis esse debuit circa unumquodvis genus sacrificii, tum quomodo in placentas coqueretur, ut et qualis offerretur ab illis qui mundabantur, etiam in aliis occasionibus, quae omnia adducere et explicare, nimis prolixum foret, videantur quae de illa, Exod: XXIX: 39. 40. 41. Levit: V: 11. 12. 13 Cap: VI: 9 10. 12. 13. 14. Cap: X: 12. 13. Cap: XXIII: 10. 11. 12 13. 16. 17. Numer: V: 15 seq: Cap: VI: 15. 16. 17. 19. 20. Cap: VII, passim. Cap: XXVIII: 5. 7. 9. 12. 13. 20. 21. 28. 29. Cap: XXIX: 3. 4. 9. 10. 14. 15. 18. 21. 24. 27. 30. 33. 37. Similago facta in placentas in genere idem repraesentabat ac panis, nempe coeleste amoris, et farina ejus spirituale, ut a locis supra citatis constare potest: Panes, qui dicebantur Panis facierum aut Panis propositionis, fiebant ex similagine, quae praeparabatur in placentas, et ponebantur super mensa, in repraesentationem jugem Amoris, hoc est, Misericordiae Domini erga universum genus humanum, et reciprocum hominis, de quibus ita apud Mosen, „ Sumes *Similaginem*, „ et *coques illam* duodecim *Placentas;* duarum decimarum erit „ *Placenta una;* et pones eas in duos ordines, senos ordine, „ super mensa munda, coram Jehovah; et dabis super ordinem „ Thus purum; et erit ad *Panes* in memoriale, ignitum Jehovae: in die sabbathi unoquoque ordinabit eum coram Jehovah „ jugiter, a cum filiis Israëlis foedere aeternitatis, et erit Aharoni et filiis ejus, et comedent eum in loco sancto, quia sanctitas sanctitatum illi, de ignitis Jehovae, statuto aeternitatis, » Lev: XXIV: 5. 6. 7. 8. 9. singula et singularissima repraesenta-

bant sanctum amoris et charitatis, et similago idem ac farina similaginis, nempe coeleste et ejus spirituale, ac placenta utrumque conjunctum. Inde constat, qualis sanctitas Verbi est illis, qui in Coelestibus ideis sunt; imo qualis sanctitas ipsi huic ritui repraesentativo inerat; inde est, quod dicatur sanctitas sanctitatum; ac vicissim, qualis nulla sanctitas illis, qui putant nihil coeleste illis inesse, ac in externis solum manent, ut qui hic farinam percipiunt ut mere farinam, similaginem ut similaginem, et placentam ut placentam, ac quod dicta ea fuissent, absque quod singula aliquid Divini involverent; ii similiter faciunt, ac qui putant Panem et Vinum Sacrae Coenae non esse nisi quendam ritum, in quo non sanctum intus, cum tamen tale sanctum est, ut mentes humanae per Illam conjungantur mentibus coelestibus, cum cogitant ex affectione interna, quod illa significent amorem Domini, et reciprocum hominis, et ex interiori sic in sanctitate sunt. Simile involvebat, quod filii Israëlis, cum venirent in terram, de primitiis massarum, darent *Placentam*, sublationem Jehovae, Num: XV: 20. quod talia significentur, constare etiam potest apud Prophetas, e quibus pro tempore solum licet adducere, quod apud Ezechielem, „ Ornata es auro „ et argento, et vestis tua byssus et sericum, et acupictum; *si-* „ *milaginem*, mel, et oleum comedisti, et pulchra facta es in „ valde valde, et prosperata es ad regnum, " XVI: 13, ubi agitur de Hierosolyma, per quam significatur Ecclesia, quae tali ornatu fuit in suo primo tempore, nempe Ecclesia Antiqua, quae describitur per vestes, et plures ornatus; tum ejus affectiones veri et boni, per similaginem, mel et oleum; unicuique constare potest, quod omnia illa significent in sensu interno prorsus alia, quam in sensu literae; ita etiam haec, quod Abrahamus dixerit ad Sarah, festina tria sata farinae similaginis, pinse, et fac placentas; quod Tria significent sancta, prius n: 720. 901, ostensum est.

2178. Vers: 7. *Et ad armentum cucurrit Abraham, et accepit filium bovis tenerum et bonum, et dedit ad puerum, et festinavit ad faciendum illum.* Ad armentum cucurrit Abraham, significat bonum naturale: et accepit filium bovis tenerum et bonum, significat coeleste naturale quod conforme, quod Rationale sibi adscivit, ut perceptioni ex Divino se [6] conjungeret: et dedit ad puerum, et festinavit ad faciendum illum, signi-

ficat conjunctionem hujus boni cum bono rationali; puer est hic homo naturalis.

2179. Ad armentum cucurrit Abraham, quod significet bonum naturale, constat a significatione boum et juvencorum, qui sunt armenti, de qua mox: quod Bestiae, quae fuerunt armenti, et quae fuerunt gregis, significent talia quae sunt apud hominem, constare potest ab illis, quae in Parte Prima, n: 45. 46. 142. 143. 246. 714. 715. 719. 776, ostensa sunt, et praeterea videantur, quae de bestiis in sacrificiis, n: 1823, dicta. Quisque mirari potest, quod Animalia nominata in Verbo, tum oblata in Sacrificiis significaverint bona et vera, seu quod idem coelestia et spiritualia, sed paucis licet dicere, unde est: Repraesentativa sistuntur in Mundo spirituum varia, et ibi coram oculis Spirituum multoties etiam animalia, sicut equi varie phalerati, boves, oves, agni, et diversi generis alia, quandoque quae nusquam visa in tellure, sed sunt modo repraesentativa; talia quoque visa sunt Prophetis, de quibus in Verbo, quae etiam fuerunt inde; animalia, quae ibi apparent, sunt repraesentativa affectionum boni et veri, tum etiam mali et falsi; Spiritus boni quam optime sciunt quid significant, tum etiam colligunt inde, quid inter se loquuntur Angeli, nam sermo Angelorum, cum delabitur in mundum spirituum, aliquoties ita sistitur; ut pro exemplis, cum apparent Equi, sciunt quod sermo Angelis sit de intellectualibus; cum Boves ac Juvenci, quod de bonis naturalibus; cum Oves quod de bonis rationalibus ac de probitate; cum Agni, quod de bonis adhuc interioribus ac de innocentia, et sic porro: Antiquissimae Ecclesiae homo, quia communicabat cum Spiritibus et Angelis, ac Visiones, tum Somnia jugiter habuit, qualia Prophetae, inde ut primum viderunt aliquam Bestiam, obvenit illis idea, quid significaret; ex illis orta sunt primum Repraesentativa et Significativa; post illorum tempora manserunt illa diu; et tandem venerata ex Antiquitate ita, ut per mera repraesentativa scriberent, et qui libri non ita scripti nullius aestimationis essent, imo, qui intra Ecclesiam, nullius sanctitatis; inde, ut et ex arcanis aliis causis, de quibus, ex Divina Domini Misericordia alibi, etiam Libri Verbi ita scripti sunt.

2180. Quod accepit filium bovis tenerum et bonum, si-

gnificet coeleste naturale quod Rationale sibi adscivit, ut Perceptioni ex Divino se conjungeret, constat ex significatione Juvenci seu filii bovis in Verbo, quod sit bonum naturale; et quia agitur de Rationali Domini, dicitur tener ex Coelesti spirituali seu boni vero, ac bonus ex ipso coelesti seu ipso bono; in Rationali genuino est affectio veri, et est affectio boni, sed primarium ejus est affectio veri, ut prius n: 2072 ostensum, inde tenerum praemittitur; at usque utrumque dicitur, ut solitum est in Verbo, propter conjugium veri et boni, de quo supra n: 2173 Quod Juvencus seu filius bovis significet coeleste naturale, seu quod idem est, bonum naturale, imprimis constare potest a Sacrificiis, quae praecipua repraesentativa cultus Ecclesiae Hebraeae, et postea Judaicae, fuerunt; Sacrificia illorum fiebant vel ex Armento, vel ex Grege, ita ex varii generis animalibus, quae munda fuerunt, ut ex bovibus, juvencis, hircis, ovibus, arietibus, capris, haedis, et agnis, praeter a turturibus et pullis columbarum: omnia illa significabant interna cultus, hoc est, coelestia et spiritualia, n: 2165. 2177, et quidem illa, quae de Armento, Coelestia naturalia, et quae de Grege Coelestia rationalia; illa et haec, nempe naturalia et rationalia, quia interiora magis et magis sunt ac varia, ideo tot genera ac tot species illorum Animalium in sacrificiis adhibebantur; quod etiam inde constare potest, quod praescriptum, ut in Holocaustis, tum in Sacrificiis diversi generis, ut in quotidianis, sabbathorum et festorum, in voluntariis, eucharisticis et votivis, expiatoriis reatus et peccati, tum in purificatoriis et mundatoriis, ut et in inauguratoriis, quaenam animalia offerrentur, et quod expresse nominata sint, tum quot illorum, in unoquovis genere sacrificii; quod nusquam factum, nisi unumquodvis aliquid peculiare significavisset, ut manifeste patet ab illis locis, ubi de Sacrificiis agitur, ut Exod: XXIX. Levit: I. Cap: III. Cap: IV. Cap: IX. Cap: XVI. Cap: XXIII. Num: VII. Cap: VIII. Cap: XV. Cap: XXIX: quid autem unumquodvis significavit, non hujus loci est exponere; similiter se habet apud Prophetas, ubi nominantur; ex illis constare potest, quod juvenci significaverint coelestia naturalia: quod non alia quam Coelestia significata sint, constare potest etiam ex Cherubis visis Ezechieli, et ex Animalibus coram throno visis Johanni; de

Cherubis ita Propheta, „Similitudo facierum illorum, facies „Hominis, et facies Leonis, ad dextram quatuor illis, et *facies* „*Bovis* ad sinistram quatuor illis, ac facies Aquilae quatuor illis," Ezech: I: 10: de quatuor Animalibus coram Throno, ita Johannes, „Circa Thronum quatuor *Animalia*, primum *Animal* „simile Leoni, alterum *Animal simile Juvenco*, tertium *Animal* „habens faciem sicut Homo, quartum *Animal* simile Aquilae „volanti; dicentia, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus, „Omnipotens, qui erat, et qui est, et qui venturus," Apoc: IV: 7. 8. quod per Cherubôs, et per Animalia illa, repraesentata sint sancta, unusquisque videre potest, ita quoque per boves et juvencos ibi: similiter quae in prophetia Mosis de Josepho, de quo ita „Veniat Capiti Josephi, et vertici Naziraei „fratrum illius: *primogenito Bovis* ejus, honos illi, et cornua „monocerotis cornu ejus, his populos feriet una, ad fines terrae," Deut: XXXIII: 16. 17. haec nulli intelligibilia forent, nisi sciatur quid in sensu interno significat Bos, Monoceros, cornua, et plura. Quod in genere Sacrificia attinet, fuerunt quidem mandata per Mosen populo Israëlitico; sed Antiquissima Ecclesia, quae ante diluvium, nusquam aliquid novit de Sacrificiis, nec in mentem eorum usquam venit, ut per mactationes Animalium colerent Dominum; Antiqua Ecclesia, quae post diluvium, etiam ignoravit, haec quidem in Repraesentativis fuit, sed non in sacrificiis, verum primum instituta sunt in Ecclesia sequente, quae Hebraea dicta, ac inde emanavit ad gentes; inde etiam ad Abrahamum, Isacum, et Jacobum, et sic ad hujus posteros; quod gentes in cultu sacrificiorum fuerint ostensum est n: 1343, et quod Jacobi posteri, antequam egressi Aegypto, ita antequam Sacrificia per Mosen super monte Sinai mandata, constare potest ex Exod: V: 3. Cap: X: 25. 27. Cap: XVIII: 12. Cap: XXIV: 4. 5; imprimis ex Idololatrico illorum coram Vitulo aureo, de quo ita apud Mosen, „Aharon aedificavit Altare coram Vitulo, et proclamavit Aharon, et dixit, festum „Jehovae cras; et surrexerunt mane a crastino, et *obtulerunt* „*Holocausta*, et *adduxerunt Pacifica*; et sedit populus ad „edendum et bibendum, et surrexerunt ad ludendum," Exod. XXXII: 5. 6, et hoc factum, cum Moses fuit super monte Sinai, ac ita antequam mandatum ad eos pervenit de Altari et

Sacrificiis; quod mandatum idcirco venit, quia cultus sacrificiorum apud eos, sicut apud Gentiles, in idololatricum versus erat, a quo cultu non removeri potuerunt, quia principale sanctum in illo posuerunt, et quod ut sanctum semel implantatum est ab infantia, magis a patribus, et sic irradicatum, hoc, nisi sit contra ipsum ordinem, Dominus nusquam frangit sed flectit; illa causa fuit, quod praescriptum fuerit, ut ita instituerentur, sicut in Libris Mosis legitur; quod Sacrificia nusquam accepta fuerint Jehovae, ita quod modo permissa et tolerata ob causam de qua dictum, patet manifeste apud Prophetas; de illis ita apud Jeremiam, „Dixit Jehovah Zebaoth, Deus Israëlis, Ho„locausta vestra addite supra Sacrificia vestra, et comedite car„nem; *non loquutus sum cum Patribus vestris, et non prae„cepi eis in die, quo eduxi eos e terra Aegypti, super ver„bis Holocausti et Sacrificii;* sed verbum hoc praecepi iis, di„cendo, obedite voci meae, et ero vobis in Deum," VII: 21. 22. 23.[7] apud Davidem, „*Jehovah, Sacrificium et munus non „voluisti, Holocaustum et Sacrificia peccati non petiisti,* facere „voluntatem tuam, Deus mi, desideravi," Psalm: XL: 7. 9. apud Eundem, „*Non delectaris Sacrificio ut dem, Holocau„stum non acceptas;* Sacrificia Dei, spiritus contritus," Psalm: LI: 18. 19. apud Eundem, „*Non accipiam e domo tua juven„cum, e caulis tuis hircos,* sacrifica Deo confessionem," Psalm: L: 9. 13. [14.] CVII: 21. 22. CXVI: 17. Deut: XXIII: 19. apud Hoscheam, „Misericordiam volo, *et non Sacrificium,* et „cognitiones Dei *prae Holocaustis,*" VI: 6. Samuel ad Schaulem, „*Num complacentia Jehovae in Holocaustis et Sacrificiis,* ecce „obtemperare *prae Sacrificio* bonum, [8] obedientia *prae adipe „arietum,*" 1 Sam: XV: 22. apud Micham, „In quo praeve„niam Jehovam, incurvabo me Deo excelsi, *num praeveniam „Ipsum Holocaustis, vitulis filiis anni,* num complacebit Je„hovah in *millibus arietum,* in myriadibus rivorum olei; indi„cavit tibi, homo, quid bonum, et quid Jehovah requirens a „te, tantum facere judicium, et amare misericordiam, et hu„miliare se, ambulando cum Deo tuo," VI: 6. 7. 8. Inde nunc patet, quod Sacrificia non mandata sint, sed permissa; tum quod in Sacrificiis nihil aliud spectatum quam internum: et quod internum fuerit, non autem externum, quod placuit; quare

etiam Dominus illa abrogavit, sicut etiam praedictum per Danielem, his verbis, „In medio Septimanae *cessare faciet Sacri-„ficium et Oblationem*,“ IX: 27, ubi de adventu Domini, videantur quae de illis dicta sunt in Parte Prima, n: 922. 923. 1128. 1823. Quod attinet filium bovis, quem Abraham pro Tribus Viris fecit seu paravit, similiter se habuit ac cum illo in sacrificiis; quod similia significaverit, etiam inde constare potest, quod dixerit ad Sarah, ut acciperet *Tria Sata* similaginis; de similagine ad unum Juvencum, ita apud Mosen, „Cum vene-„rint in terram; *cum feceris* filium bovis holocaustum aut sa-„crificium, nuncupando votum, aut pacifica Jehovae, offeres „super *filium bovis* mincham de *similagine tres decimas* mix-„tas oleo,“ Num: XV: 8. 9; ubi similiter Tria, hic tres decimae, ibi tria sata; at vero ad arietem modo duae decimae, ad agnum decima, ib: XV: 4. 5. 6. [?]

2181. Et dedit ad puerum, et festinavit ad faciendum illum, quod significet conjunctionem hujus boni cum bono rationali, et quod puer sit homo naturalis, constat ex significatione Pueri, quod sit qui ministrat et administrat, et quod ministratur aut fit, est facere, nempe filium bovis, quo significatur bonum naturale, ut ostensum est. Ut percipiatur melius, quomodo hoc se habeat, sciatur quod apud unumquemque hominem detur Internum, detur Rationale quod medium, et detur Naturale, et quod haec distincta inter se sint, de quibus n: 1889. 1940, et quod conformanda ut unum faciant, ita bonum rationale cum bono naturali, et quod absque conformatione, et sic conjunctione, Perceptio Divina dari nequeat; quia de Perceptione Divina Domini hic agitur, in sensu interno per haec significatur conformatio et conjunctio utriusque.

2182. Vers: 8. *Et accepit butyrum et lac, et filium bovis, quem fecit, et dedit coram illis, et ille stans ante illos sub arbore; et comederunt.* Accepit butyrum et lac, et filium bovis, quem fecit, significat omnia illa ita conjuncta; butyrum est coeleste rationalis; lac est spirituale inde; filius bovis est naturale correspondens: et dedit coram illis, significat quod sic praeparavit se ad recipiendum: et ille stans ante illos sub arbore, significat perceptionem inde; arbor, ut prius, est perceptio: et comederunt, significat communicationem sic.

2183. Accepit butyrum et lac et filium bovis quem fecit, quod significet omnia illa sic conjuncta, constare potest a significatione butyri, lactis et filii bovis, de quibus sequitur. In Versibus, qui praecedunt, actum est, de Rationali Domini, quod instructum coelesti et inde spirituali, quae significata sunt per farinam similaginis factam in placentam, n: 2176. 2177; tum de coelesti naturali, quod significatum est per filium bovis, n: 2180; eadem nunc aliis vocibus exprimuntur, nempe per butyrum, lac, et filium bovis, per quae significantur omnia illa conjuncta: sed ad intellectum vulgarem haec aegre possunt describi, ex causa, quia ignotum est plerisque, quod homini unicuique sit internum, sit rationale, et sit naturale, et quod haec in se distinctissima sint, imo tam distincta, ut dissidere queat unum ab altero, nempe rationale, quod Rationalis homo vocatur, a naturali quod est homo Naturalis, imo ut Rationalis homo possit videre et percipere malum quod in Naturali, et si genuinum Rationale est, id castigare, videatur n: 1904: antequam haec bina conjuncta sunt, homo non potest esse integer homo, nec in tranquillitate pacis, nam unum pugnat cum altero; Angeli enim, qui apud hominem sunt, ejus Rationale regunt, sed Spiritus mali qui apud eundem, ejus Naturale, inde est pugna; si *Rationale* tunc vincit, Naturale subjugatur, et sic donatur homo conscientia; at si *Naturale* vincit, tunc nihil conscientiae recipere potest: si *Rationale* vincit, tunc fit ejus Naturale tanquam etiam illud esset rationale; at si vincit *Naturale*, tunc fit Rationale tanquam illud esset naturale: adhuc, si vincit *Rationale*, tunc Angeli propius in hominem accedunt, et insinuant ei Charitatem, quae est coeleste, quod per Angelos a Domino, ac tunc spiritus mali se ad distantiam removent; si vero *Naturale* vincit, tunc Angeli longius se removent, hoc est, versus ejus interiora magis, at spiritus mali propius versus rationale accedunt, et illud continue oppugnant, ac inferiora ejus opplent odiis, vindictis, dolis, et similibus: si *Rationale* vincit, tunc venit homo in tranquillitatem pacis, ac in altera vita in pacem coeli; at si *Naturale* vincit, tunc, cum vivit, apparet sicut in tranquillitate sit, sed in altera vita in irrequiem et cruciatum inferni venit: inde qualis est status hominis quoad ejus Rationale, et quoad ejus Naturale, sciri potest: quare nihil aliud est, quod

facere possit hominem beatum et felicem, quam ut Rationali sit conforme Naturale, et utrumque conjunctum, quod unice fit per charitatem, et charitas unice est a Domino.

2184. Quod butyrum sit coeleste rationalis, quod lac sit spirituale inde, et quod filius bovis sit naturale correspondens, constat a significatione butyri, et a significatione lactis, tum a significatione filii bovis; quod Butyrum attinet, illud in Verbo significat coeleste, et hoc ex pinguedine; quod Pingue sit coeleste, in Parte Prima, n: 353, ostensum est; et quod Oleum, quia pingue, sit ipsum coeleste, n: 886; quod etiam Butyrum, constare potest apud Esaiam, „Ecce virgo pariens filium, et „vocabit nomen ejus Immanuel, *Butyrum* et *Mel* comedet, ad „sciendum ipsum reprobare malum, et eligere bonum,„ VII: 14. 15, ubi agitur de Domino, qui est Immanuel; et quod per butyrum non significetur butyrum, nec mel per mel, quisque videre potest, sed per butyrum significatur coeleste Ipsius, et per Mel, illud quod ex coelesti: apud Eundem, „Et erit prae „multitudine faciendi *Lac* comedet *Butyrum*, nam *Butyrum* „et Mel comedet omnis residuus in medio terrae,„ VII: 22, ubi de Regno Domini, et de illis qui in terris qui in Regno Domini sunt, Lac ibi pro bono spirituali, Butyrum pro bono coelesti, et Mel pro felici inde: apud Mosen, „Jehovah solus ducit eum, „et non cum illo Deus alienus, equitare facit illum super ex„celsis terrae, et cibat proventibus agrorum, et sugere facit „eum Mel e petra, et oleum e silice rupis: *Butyrum armenti*, „et *Lac gregis*, cum adipe agnorum, et arietum filiorum Ba„schanis, et hircorum, cum adipe renum tritici, et sanguinem „uvae bibes merum,„ Deut: XXXII: 12. 13. 14. quid haec sunt, nemo intelligere potest, nisi sciat sensum internum cujusvis, apparet sicut congeries expressionum, quales sunt eloquiorum apud sapientes mundi, sed usque unumquodvis significat coeleste, et ejus spirituale, tum inde beatum et felix, et haec in concinna serie; butyrum armenti est coeleste naturale, lac gregis est coeleste spirituale Rationalis. Quod autem Lac attinet, ut dictum, hoc significat Spirituale ex coelesti, seu coeleste spirituale; quid coeleste spirituale, videatur in Parte Prima, n: 1577. 1824, et alibi passim; quod Lac sit spirituale quod ex coelesti, inde est, quia aqua significat spirituale, n: 680,

739. lac autem, quia in illo pingue, coeleste spirituale, seu quod idem boni verum, aut quod idem amoris seu charitatis fidem, aut quod etiam idem boni voluntatis intellectuale, adhuc idem affectionem veri in qua intus affectio boni, et adhuc quod idem affectionem cognitionum ac scientiarum ex affectione charitatis erga proximum, qualis est apud eos qui amant proximum, et se confirmant in eo ex cognitionibus fidei, tum ex scientificis, et haec inde amant; haec omnia eadem sunt ac Coeleste spirituale, et praedicantur secundum rem de qua agitur: quod illud significetur, patet etiam ex Verbo, ut apud Esaiam, „Omnis „sitiens, ite ad *aquas*, et cui non argentum, ite, emite, et co„medite; et ite, emite absque argento, et sine pretio *vinum* „et *Lac;* cur appenditis argentum pro non pane,“ LV: 1. 2: ubi vinum pro spirituali quod est fidei, lac pro spirituali quod est amoris: apud Mosen, „Lavit in vino vestimentum suum, et „in sanguine uvarum operimentum suum: ruber oculis prae „vino, et *albus dentibus prae Lacte,*“ Gen: XLIX: [11.] 12; ubi prophetia Jacobi, tunc Israëlis, de Jehuda, et per Jehudam ibi describitur Dominus; et per album dentibus prae lacte significatur coeleste spirituale quod Ipsius Naturali: apud Joëlem, „Erit in die illo, stillabunt montes mustum, et *colles ibunt* „*lacte;* et omnes rivi Jehudae ibunt *aquis,*“ IV: 18; ubi de Regno Domini, et lac ibi pro coelesti spirituali: in Verbo etiam terra Canaan, per quam repraesentatur et significatur Regnum Domini, dicitur terra Lacte et Melle fluens, ut Num: XIII: 27. Cap: XIV: 8. Deut: XXVI: 9. 15: Cap: XXVII: 3. Jerem: XI: 5; Cap: XXXII: 22. Ezech: XX: 6. 15, et ibi per Lac nihil aliud intelligitur quam abundantia coelestium spiritualium, et per Mel abundantia felicitatum inde, Terra est ipsum coeleste Regni, ex quo illa. Quod filium bovis concernit, quod per illum significetur coeleste naturale, mox supra n: 2180, ostensum; coeleste naturale est idem ac bonum naturale, seu bonum in naturali; Naturale hominis, sicut ejus Rationale, habet suum bonum, et suum verum, nam ubivis est conjugium boni et veri, ut supra n: 2173, dictum; bonum Naturalis est jucundum, quod percipitur ex charitate, seu ex amicitia quae charitatis est, ex quo jucundo existit volupe seu voluptas, quae proprie est corporis; Verum Naturalis est scien-

tificum, quod illi jucundo favet; inde constare potest, quid coeleste naturale.

2185. Quod dedit coram illis, significet quod sic praeparaverit se ad recipiendum, constare potest a significatione dare coram illis, in sensu interno, cum agitur de praeparatione Rationalis ad recipiendum perceptionem ex Divino, ita absque ulteriore explicatione.

2186. Et ille stans ante illos sub arbore, quod significet perceptionem inde, sequitur ex significatione Arboris, quod sit perceptio, de qua n: 103. 2163. Supra Vers: 4, dictum, quod tres Viri, qui venerunt ad Abrahamum, incumberent sub arbore, quibus significatum, quod Divinum accederet ad perceptionem illius status, in quo tunc fuit Dominus, hic autem dicitur, quod Abraham steterit sub arbore, quo significatur, quod Dominus accesserit ad perceptionem Divinam, postquam se praeparaverit; quod reciprocum est: quisque videre potest, quod non absque causa sit, quod dictum de tribus Viris, et de Abrahamo, quod steterint sub arbore, proinde quod dictum propter arcana illa, quae in illis latent.

2187. Et comederunt, quod significet communicationem sic, constare potest a significatione comedere, quod sit communicari, tum conjungi, quod ex Verbo quoque patet: quod comederent sanctificata sacrificiorum, in loco sancto, Aharon, filii ejus, Levitae, tum populus, nihil aliud significavit, quam communicationem, conjunctionem, et appropriationem, ut dictum ad locum Levit: VI: 9. 10, supra n: 2177, erat enim cibus coelestis et spiritualis, qui significabatur per sanctificata, quae comedebant, ita appropriatio ejus; Sanctificata erant ex Sacrificiis, quae non adolebantur super Altari, et comedebantur vel a Sacerdotibus, vel a populo qui obtulit, ut constare potest a pluribus locis, ubi de Sacrificiis agitur; quae comederentur a Sacerdotibus, Exod: XXIX: 32. 33. Lev: VI: 9. 19. Cap: VII: 6. 15. 16. 18. Cap: VIII: 31. Cap: X: 12. 13. Num: XVIII: 9. 10. 11: quae comederentur a Populo, Levit: XIX: 5. 6. Deut: XII: 27. Cap: XXVII: 7, et alibi; et quod immundi non comederent de illis, Lev: VII: 19. 20. 21. Cap: XXII: 4. 5 6. 7: convivia illa fiebant in loco sancto, juxta altare, vel ad ostium, aut in atrio tentorii; nec aliud significabant, quam

communicationem, conjunctionem et appropriationem bonorum coelestium; nam per illa repraesentabatur Cibus coelestis, quid Cibus coelestis, videatur n: 56. 57. 58. 680. 681. 1480. 1695; et dicebantur omnia illa Panis, per quem quid significatur, videatur supra n: 2165; simile repraesentabatur, per quod Aharon et filii ejus comederent Panes propositionis seu facierum in loco sancto; Levit: XXIV: 9: Lex pro Naziraeo lata, quod ex omni quod ex uva, unde vinum, ab acinis usque ad cutem, diebus naziraeatus sui, non comederet, Num: VI: 4, erat quia Naziraeus repraesentabat coelestem hominem, et Coelestis homo talis est, ut spiritualia ne quidem nominare velit, ut in Parte Prima n: 202. 337. 880 ad fin: 1647 videatur, et quia vinum et uva, tum quicquid ex uva significabat spirituale, inde Naziraeo prohibitum fuit, de illis comedere, hoc est, communicationem cum illis habere, se illis conjungere, ac sibi illa appropriare: simile per comedere intelligitur apud Esaiam, „Omnis „sitiens, ite ad aquas, et cui non argentum, ite, emite, et „*Comedite;* et ite, emite absque argento, et absque pretio, „Vinum et Lac: quare appenditis argentum pro non *Pane*, et „laborem pro non ad *satietatem;* audite audiendo ad Me, et „*Comedite bonum*, et deliciabitur in pinguedine anima vestra," LV: 1. 2: tum quoque quod apud Johannem, „Qui vincit, dabo „ut *comedat de Arbore vitae*, quae est in medio Paradisi Dei," Apoc: II: 7. Arbor vitae est ipsum coeleste, et in supremo sensu Ipse Dominus, quia ab Ipso omne coeleste, hoc est, omnis amor et charitas; ita comedere de arbore vitae, est idem ac manducare Dominum; et manducare Dominum, est donari amore et charitate, ita illis quae sunt vitae coelestis; sicut Ipse Dominus loquitur apud Johannem, „Ego sum *Panis vivens*, qui „e coelo descendit, si quis *comederit ex hoc Pane*, vivet in „aeternum; qui *manducat Me*, ille vivet per Me," VI: 51. 57. „Sed dixerunt, durus est hic sermo; verum dixit Jesus, verba „quae Ego loquor vobis, spiritus sunt, et vita sunt," ibid: Vers: 60. 63: inde patet, quid per Comedere intelligitur in Sacra Coena, Matth: XXVI: 26. 27. 28. Marc: XIV: 22. 23. Luc: XXII: 19. 20, nempe communicationem habere, conjungi, et appropriare sibi. Inde etiam liquet quid intelligitur per quod Dominus dixit, „Quod multi ab oriente et occidente venient,

„et *accumbent* cum Abrahamo, Isaco et Jacobo," Matth: VIII: 11: non quod cum illis in Regno Dei comesturi sint; sed quod fruituri bonis coelestibus, quae per Abrahamum, Isacum et Jacobum, significantur; nempe coelestibus amoris tam intimis, quae sunt Abrahamus; quam inferioribus, quae sunt media, ut sunt Rationalis, quae sunt Isacus; et adhuc inferioribus, quae sunt coelestia naturalia, qualia sunt in primo coelo, quae per Jacobum intellecta sunt; haec sunt sensus interni horum verborum; quod haec Abrahamus, Isacus et Jacobus sint, videatur n: 1893, et ubivis alibi, ubi de illis agitur; nam sive dicatur, frui coelestibus illis, sive dicatur frui Domino, qui per illos repraesentatur, idem est, nam a Domino omnia illa, et Dominus est omne in omnibus illorum.

2188. Vers: 9. *Et dixerunt ad illum, ubi Sarah uxor tua, et dixit, ecce in tentorio.* Dixerunt ad illum, ubi Sarah uxor tua, significat Rationale verum, quod tunc non apparuit, quia in bono rationali fuit: et dixit ecce in tentorio, significat quod in sancto.

2189. Dixerunt ad illum, ubi Sarah uxor tua, quod significet Rationale verum, quod tunc non apparuit, quia in bono rationali fuit, constat a repraesentatione Sarae hic, quod sit Rationale verum, de qua supra n: 2173. Quomodo haec se habent, tum quoque sequentia, ubi de statu Rationalis apud Dominum, qui repraesentatur per Sarah, non ita ad intellectum explicari potest, nisi sciatur, qualis in genere sit status Rationalis, quoad bonum et quoad verum; tum apud Dominum quoad Divinum, et quoad humanum in quo tunc fuit: primarium Rationalis apud hominem est Verum, ut prius n: 2072, dictum, proinde est affectio veri; ob causam, ut reformari possit homo, et sic regenerari, quod fit per cognitiones et scientifica, quae sunt Veri; quae continue implantantur in bono, hoc est, in charitate, ut sic accipiat vitam charitatis; ideo est, quod affectio veri apud hominem praedominetur in ejus Rationali; se enim ita habet cum vita charitatis, quae est ipsa vita coelestis, quod apud illos qui reformantur et regenerantur, illa continue nascatur et adolescat, et incrementa capiat, et hoc per Vera, ideo quo plus veri insinuatur, eo plus perficitur vita charitatis; quare *secundum Veri qualitatem et quantitatem, se*

habet charitas apud hominem. Ex his constare aliquatenus potest, quomodo se habet cum Rationali hominis: at in Vero non est vita, sed in Bono; Verum est modo recipiens vitae, hoc est, boni; Verum est sicut indumentum aut vestimentum Boni; ideo etiam Vera in Verbo vocantur indumenta, ut et vestes; cum autem Bonum constituit Rationale, tunc disparatur Verum, et fit sicut sit bonum, bonum tunc translucet per verum, quemadmodum fit apud Angelos, qui cum induti apparent, est splendor inducens speciem Vestis, quales etiam apparuerunt Angeli coram Prophetis. Haec nunc sunt, quae intelliguntur, per quod Rationale verum tunc non apparuerit, quia in Bono rationali fuit, quae significata per quod dixerunt ad illum, ubi Sarah uxor tua: sed quia Bonum Rationale Domini tunc fuit Divinum, quale apud nullum Angelum potest esse, non describi potest aliter ac per comparationem, ita per illustrationem a quodam simili, quod non est idem.

2190. Quod dixit, ecce in tentorio, significet quod in sancto, constat a significatione Tentorii, quod sit sanctum, de qua n: 414. 1102. 1566. 2145; in sancto dicitur, quia in bono; omne bonum vocatur sanctum, ex eo quod sit amoris et charitatis, quae unice a Domino: sed sicut sunt bona, ita sunt sancta; bona formantur, hoc est, nascuntur et adolescunt per vera fidei, seque habent ideo secundum qualitatem et quantitatem veri fidei implantati in charitate, ut mox supra n: 2189, dictum; inde constare potest, quod bona seu sancta differant apud unumquemvis; et tametsi apparent in externa forma sicut similia, usque in internis formis sunt dissimilia, et hoc tam apud illos qui sunt extra Ecclesiam, quam qui intra Ecclesiam: in bono charitatis apud hominem plura insunt, quam usquam homo credere potest; insunt omnia fidei ejus; proinde in sancto cultus ejus: sanctum cultus ejus Angelis apparet sicut in clara die, quale est, tametsi homo nihil sciat praeter quod in quodam sancto sit; myriades myriadum cogitationum ejus de bonis et veris fidei, et affectionum inde, sunt in sancto ejus: sed de Sancto cultus, quale sit in genere, ex Divina Domini Misericordia, alibi.

2191, Vers: 10. *Et dixit, revertendo revertar ad te juxta tempus hoc vitae; et ecce filius Sarae uxori tuae: et Sarah*

audiens ad januam tentorii, et ea post illum. Et dixit, significat perceptionem: revertendo revertar ad te juxta tempus hoc vitae, significat conjunctionem Divini cum humano Domini: et ecce filius Sarae uxori tuae, significat Rationale Divinum futurum: et Sarah audiens ad januam tentorii, significat verum rationale tunc juxta sanctum: et ea post illum, significat juxta bonum, in quo tunc rationale, ita separatum ab illo, quantum humani ei inerat.

2192. Et dixit, quod significet perceptionem, constat a significatione dicere, in sensu historico, quod sit percipere, de qua prius n: 1898. 1919. 2080.

2193. Revertendo revertar ad te juxta tempus hoc vitae, quod significet conjunctionem Divini cum humano, constat ex eo, quod adventus Jehovae ad Abrahamum repraesentaverit Perceptionem Divinam, ad quam recipiendam se praeparavit Dominus, ita conjunctionem, ut supra ostensum; ita per quod revertendo reverteretur ad ipsum, significatur simile, nempe conjunctio Divini cum Humano. Ad tempus hoc vitae, est ad tempus praesens sequentis anni.

2194. Ecce filius Sarae uxori tuae, quod significet Rationale Divinum futurum, constat ex significatione filii, tum Sarae, ut et Isaci qui ei nasceretur; tam filius, quam Sarah; tum quoque Isacus, significat illud quod est Rationalis Domini, quod filius verum, videatur n: 489. 491. 533. 1147; quod Sarah verum rationale, n: 2173; quodque Isacus Rationale Divinum, n: 1893. 2066. 2083. Humanum apud unumquemvis hominem inchoat in intimo ejus Rationalis, ut n: 2106, dictum, ita quoque Humanum Domini; quod supra illud, fuit Ipse Jehovah, secus ac apud alium quemlibet hominem: quia in intimo Rationalis inchoat humanum, et Dominus omne Humanum apud se Divinum fecit, ita ipsum Rationale primo ab intimo ejus; quod cum Divinum factum, repraesentatur et significatur, ut dictum, per Isacum.

2195. Et Sarah audiens ad januam tentorii, quod significet verum rationale tunc juxta sanctum, constat ex repraesentatione Sarae, quod sit verum rationale, de qua n: 2173. 2194; tum a significatione tentorii, quod sit sanctum, de qua n: 414. 1102. 1566. 2145; et sic a significatione januae tentorii, quod

sit introitus ad sanctum, ita juxta sanctum, de qua supra n: 2145: quomodo haec se habent, nunc sequitur.

2196. Ac ea post illum, quod significet juxta bonum in quo tunc rationale, et separatum ab illo quantum humani ei inerat, constat inde, quod dicatur de janua, ubi Sarah, quod fuerit post illum; esse post illum, significat non conjunctum esse, sed a tergo ejus; quod separatur ab aliquo, hoc repraesentatur per rejectionem quandam quasi in tergum, ut constare potest a repraesentativis in altera vita, de quibus ab experientia n: 1393. 1875; hoc nunc exprimitur per quod janua, ubi Sarah, esset post illum. Quod verum rationale mere humanum, quod tunc apud Dominum, ab Ipso separatum sit, cum se conjunxit cum Divino, ita se habet; Verum rationale humanum non capit Divina, quia haec supra ejus intellectus sphaeram sunt, Verum enim hoc communicat cum scientificis quae in naturali homine, et quantum ex his intuetur illa quae supra se sunt, tantum non agnoscit; est enim Verum hoc in apparentiis, quas exuere nequit; et apparentiae sunt illa quae nata sunt ex sensualibus, quae inducunt fidem, sicut ipsa Divina quoque talia sint, cum tamen sunt omnibus apparentiis exempta, quae cum dicuntur, rationale hoc verum nusquam potest credere, quia non potest capere; sicut pro exemplis; Quod nulla vita homini, nisi quae a Domino, Rationale ex apparentiis putat tunc non vivere posse sicut a se, cum tamen tunc primum vere vivit, cum percipit quod a Domino: Rationale ex apparentiis putat, bonum, quod facit, esse ex semet; cum tamen nihil boni a se, sed a Domino: Rationale ex apparentiis putat, quod mereatur salutem cum bonum facit, cum tamen homo nihil a se mereri possit, sed omne meritum est [10] Domini: Homo ex apparentiis putat, quod, cum detinetur a malo, et tenetur in bono a Domino, nihil nisi bonum, et justum, imo sanctum apud eum, cum tamen in homine nihil nisi malum, injustum, et prophanum: Homo ex apparentiis putat, cum facit bonum ex charitate, quod ex voluntario in se faciat, cum tamen non ex voluntario ejus, sed ex intellectuali, cui implantata est charitas: Homo ex apparentiis putat, non dari posse gloriam absque gloria mundi, cum tamen in gloria coeli ne hilum gloriae mundi sit: Homo ex apparentiis putat, quod nemo possit amare proximum plus

quam se, sed quod omnis amor incipiat a se, cum tamen in amore coelesti nihil amoris sui insit: Homo ex apparentiis putat, quod nulla lux dari queat, nisi quae ex luce mundi, cum tamen in coelis ne hilum lucis mundi sit, et usque tanta lux, ut lucem meridianam mundi millies excedat: Homo ex apparentiis putat, quod Dominus non lucere possit coram universo coelo sicut sol, cum tamen omnis lux coeli ab Ipso: Homo ex apparentiis non capere potest, quod progressiones sint in altera vita, cum tamen apparent sibi progredi, prorsus sicut homo in terris, ut in suis habitaculis, atriis, paradisis; minus si dicatur, quod haec sint mutationes status, quae sic apparent: Homo ex apparentiis nec capere potest, quod spiritus et angeli, quia inconspicui coram oculis, videri [11] queant, nec quod possint loqui cum homine, cum tamen apparent manifestius coram visu interno seu spiritus, quam homo homini in terra; et quoque audiuntur loquelae eorum similiter; praeter millia millia talium, quae Rationale hominis nusquam ex suo lumine nato ex sensualibus, et inde obfuscato, potest credere: imo in ipsis naturalibus caecutit Rationale, sicut quod capere nequeat, quomodo illi, qui e diametro oppositi sunt incolae, possint pedibus insistere et ambulare, praeter in perplurimis aliis, quid non in spiritualibus et coelestibus, quae longe supra naturalia sunt. Quia Rationale humanum tale est, hic dicitur de tali, quod separatum fuerit, cum Dominus unitus Divino in Perceptione Divina fuit, quod significatur per quod Sarah, quae hic est tale verum rationale, steterit ad januam tentorii, et ea esset post illum.

2197. Vers: 11. *Et Abraham et Sarah senes, intrantes in dies, desiit esse Sarae via sicut mulierum.* Abraham et Sarah senes, significat humanum apud Dominum, quod exueretur: intrantes in dies, significat quod tempus adesset: desiit esse Sarae via sicut mulierum, significat statum veri rationalis, quod amplius non posset ita manere.

2198. Abraham et Sarah senes, quod significet humanum apud Dominum, quod exueretur, constat ex repraesentatione Abrahami et Sarae, tum a significatione Senum seu Senectutis; Abraham hic repraesentat Dominum quoad Bonum rationale, et Sarah repraesentat Dominum quoad Verum rationale, ut pas-

sim supra in hoc Capite dictum: ita uterque repraesentat hic Humanum apud Dominum, ex causa, ut dictum supra, quod nunc Jehovah adesset, et loquutus cum Abrahamo, et Jehovah erat ipsum Divinum Domini, et non separatum ab Ipso, tametsi ut separatum in repraesentativis historicis sistitur, per historica non repraesentari aliter potest. Quod autem dicatur, quod Abraham et Sarah senes essent, significat quod Humanum illud exueretur; Senectus non aliud involvit quam ultimum tempus; in Verbo passim memoratur Senectus, tum etiam quod mortui sint, sed in sensu interno nusquam aliqua senectus, nec mors, qualis est corporis, percipitur, sed aliud quod ex serie rerum constat, nam quid senium, et quid mors, ignorant in altera vita; quid hic, constat, ut dictum, ex serie, nempe quod Dominus exueret humanum.

2199. Quod intrantes in dies, significet quod tempus adesset, sequitur nunc inde; dies in Verbo, sicut etiam annus, imo in genere tempus, significat statum, ut n: 23. 487. 488. 493. 893, ostensum; ita hic intrare in dies, significat in sensu interno, in illum statum, quod exueret humanum, ita quod tempus adesset.

2200. Quod desiit esse Sarae via sicut mulierum, significet quod amplius non posset ita manere, constat ex illis quae nunc dicta sunt, ita absque explicatione.

2201. Vers: 12. *Et risit Sarah intra se, dicendo, postquam consenui, num erit mihi voluptas, et Dominus meus senex.* Risit Sarah intra se, significat affectionem veri istius rationalis, quod ita fieret: dicendo, postquam consenui num erit mihi voluptas, significat quod veri illius affectio non esset ut mutaret statum: et Dominus meus senex, significat, quod affectio veri mirata quod rationale bonum cui adjunctum verum etiam exueret humanum.

2202. Risit Sarah intra se; quod significet affectionem veri istius Rationalis quod ita fieret, constat a significatione ridere seu risus, quod sit affectio veri, de qua prius n: 2072: quid haec involvunt, nunc sequitur.

2203. Dicendo, postquam consenui num erit mihi voluptas, quod significet quod veri illius affectio non esset, ut mutaret statum, constat a significatione consenescere, quod sit

exuere humanum, ita mutare statum, de qua supra n: 2198: et ex significatione num erit mihi voluptas, quod sit non desiderare, ita quod illud non esset affectio ejus. Quomodo haec se habent, constare potest ab illis, quae supra n: 2196 dicta de Sarah, quod steterit ad januam tentorii, et ea post illum, nempe quod Rationale humanum quoad verum tale sit, ut non intelligere possit quid Divinum est, ex causa quia Verum illud in apparentiis est, quare quod non intelligere potest, nec credit, et quod non credit, eo nec afficitur; apparentiae, in quibus Rationale est, tales sunt, ut afficiant, nam in ipsis apparentiis est delectatio; quare si privaretur [12] apparentiis, putat nihil delectationis plus esse; cum tamen coelestis affectio non est in apparentiis, sed in ipso bono et vero: quia Verum rationale tale est, etiam ignoscitur ei, et admittitur ut in apparentiis sit, et in illis delectationem habeat. Tale verum, quod in apparentiis fuit, repraesentatur per Sarah, cum Dominus conjunxit se cum Divino; quare dicitur, quod illa steterit ad januam, et quod riserit et dixerit, postquam consenui, num erit mihi voluptas, quibus significatur, quod non illius affectio esset, ut mutaret statum.

2204. Quod Dominus meus senex, significet quod affectio veri mirata, quod rationale bonum cui adjunctum verum etiam exueret humanum, constat ex repraesentatione Abrahami, qui hic est Dominus meus, quod hic sit rationale bonum; et ex repraesentatione Sarae, quod sit rationale verum, de qua supra n: 2198, et alibi; tum a significatione consenescere, quod sit exuere humanum, de qua etiam, n: 2198. Bonum rationale humanum tale est, quod habeat in se multum ex jucundis mundanis, nam formatum est non solum ex veris, sed etiam ex jucundis sensualium, et ex pluribus jucundis quae in mundo; quibus jucundis, cum reformatur et regeneratur homo, Bonum spirituale a Domino insinuatur, et tunc per id mundanum temperatur, et sic in illo dein suum felix habet. At Dominus prorsus expulit omne mundanum e rationali, et sic Divinum fecit; quod est, quod verum rationale, per Sarah intellectum, miratum.

2205. Vers: 13. *Et dixit Jehovah ad Abraham, cur hoc risit Sarah, dicendo, num etiam vere pariam, et ego consenui.* Dixit Jehovah ad Abraham, significat perceptionem Do-

mini ex Divino: cur hoc risit Sarah, significat cogitationem veri rationalis ex ejus affectione: num etiam vere pariam, significat quod miratum quod Rationale fieret Divinum: et ego consenui, significat postquam non amplius tale esset.

2206. Dixit Jehovah ad Abrahamum, quod significet perceptionem Domini ex Divino, constat ex significatione Dicere, quod sit percipere, de qua prius n: 1898. 1919. 2080; et ex eo, quod Jehovah dixit, quod est percipere ex Divino; nam, ut saepius prius ostensum est, ipsum Internum Domini fuit Jehovah.

2207. Cur hoc risit Sarah, quod significet cogitationem veri rationalis ex ejus affectione, constat ex significatione ridere seu risus, quod sit affectio quae est veri, de qua supra n: 2072; et ex repraesentatione Sarae, quod sit verum rationale, de qua aliquoties prius in hoc Capite. Haec interrogatio involvit, quod Dominus perceperit, quod in Rationali Ipsius adhuc humanum esset.

2208. Num etiam vere pariam, quod significet quod miratum quod Rationale fieret Divinum, constat ex significatione Parere hic in sensu interno, nempe quia Divinum Rationale Domini repraesentatur per Isacum, ut prius dictum, et ex sequentibus patebit, ita parere hic significat Isacum, hoc est, Rationale quod Divinum fieret; quod verum rationale per Sarah repraesentatum non comprehendere potuit.

2209. Et ego consenui, quod significet postquam non amplius tale esset, nempe non Divinum sed humanum, et quod hoc exueretur, constat a significatione consenescere, quod sit exuere humanum, de qua supra n: 2198. 2203. Quod Rationale in genere attinet, cum cogitat de Divinis, imprimis ex vero quod ei, nusquam credere potest, quod talia sint, tam quia illa non capit, quam quia apparentiae, quae natae a fallaciis sensuum, adhaerent, per quas, et ex quibus cogitat, ut constare potest ex illis exemplis, quae allata sunt supra n: 2196; quibus etiam illustrationis causa sequentia addere licet; an Rationale, si consulatur, credere potest, quod sensus internus Verbi detur, et is tam remotus a sensu literali, ut ostensum est; et sic quod Verbum sit, quod conjungit coelum cum terra, hoc est, Regnum Domini in coelis cum Regno Domini in terris:

an Rationale credere possit, quod Animae post mortem inter se loquantur distinctissime, et tamen absque loquela vocum, et usque tam plene, ut per minutum plura exprimant, quam homo per suam loquelam per horam; et quod Angeli similiter, sed loquela adhuc perfectiori, et spiritibus imperceptibili; tum quod omnes Animae, dum in alteram vitam veniunt, ita loqui sciant, tametsi nusquam ad ita loquendum instruuntur: num Rationale credere potest, quod in una affectione hominis, imo in uno ejus suspirio, tam indefinita insint, quae Angeli percipiunt, ut nusquam describi possint; et quod unaquaevis affectio hominis, imo unaquaevis idea cogitationis ejus, sit imago ejus, et talis ut ei insint mirabiliter omnia vitae ejus; praeter millia millia talium; Rationale, quod ex sensualibus sapit, et sensualium fallaciis imbutum est, dum cogitat de illis, non credit ita esse posse, quia sibi formare aliquam ideam nequit, nisi ex talibus, quae aliquo sensu externo et interno percipit; quid non cum cogitat de Divinis coelestibus et spiritualibus, quae adhuc superiora sunt; erunt enim semper aliquae apparentiae ex sensualibus, quibus innitura cogitatio, quae apparentiae cum abstrahuntur, perit idea; quod etiam constare mihi potuit a spiritibus novitiis, qui maximopere apparentiis, quas e mundo secum traxerunt, delectantur, dicentes, si illae eis subducerentur, quod non scirent an cogitare possent: tale est Rationale in se spectatum.

2210. Vers: 14. *Num mirabile erit pro Jehovah quicquam; ad tempus statum revertar ad te, juxta tempus hoc vitae, et Sarae filius.* Num mirabile erit pro Jehovah quicquam, significat quod omne sit possibile Jehovae: ad tempus statum revertar ad te, significat statum futurum: juxta tempus hoc vitae, et Sarae filius, significat quod tunc Dominus exueret rationale humanum, et indueret Rationale Divinum.

2211. Quod num mirabile erit pro Jehovah quicquam, significet quod omne sit possibile Jehovae, constat absque explicatione.

2212. Ad tempus statum revertar ad te, quod significet statum futurum, constat ex significatione temporis, quod sit status, ut supra n: 2199, dictum: hic dicitur quod Jehovah reversurus ad tempus statum, mox ad tempus hoc vitae, seu

quod idem ad tempus praesens sequentis anni; utrumque aliquid peculiare involvit, nempe tempus statum commune illius status, qui significatur per tempus hoc vitae; commune est quod futurum, quomodo autem futurum, significatur per tempus hoc vitae: in Verbo, imprimis apud Prophetas, solenne est describere status per binas expressiones quasi similes, cum tamen unum involvit commune, alterum determinatum quoddam in communi.

2213. Quod juxta tempus hoc vitae, et Sarae filius, significet quod tunc Dominus exueret rationale humanum, et indueret Rationale Divinum, constat ex significatione revertendi ad tempus hoc vitae, seu ad tempus hoc praesens sequentis anni, quod sit conjunctio Divini cum Humano Domini, de qua supra n: 2193; et ex significatione filii Sarae, quod sit Rationale Divinum futurum, de qua etiam supra n: 2194: tempus hoc vitae seu tempus praesens sequentis anni denotat tempus quando Abraham ingrederetur in centesimum annum, per quem annum significatur unitio Humani Domini cum Divino ac Divini cum Humano, ut supra n: 1988, ostensum est; intercessit tunc annus, quia per annum in Verbo non significatur annus, sed integrum tempus, ita tota periodus, sive mille annorum sit, sive centum, sive decem, sive horarum, ut quoque ostensum prius, n: 482. 487. 488. 493. 893: sicut etiam septima, de qua n: 2044.

2214. Vers: 15. *Et negavit Sarah dicendo, non risi, quia timuit, et dixit, non, quod risisti.* Et negavit Sarah, dicendo, non risi, quia timuit, significat quod verum rationale humanum vellet excusare se, quia appercepit quod non esset tale, quale esse deberet: et dixit, non, quod risisti, significat quod usque esset tale.

2215. Quod negavit Sarah, dicendo, non risi, quia timuit, significet quod verum rationale humanum vellet excusare se, quia appercepit, quod non esset tale, quale esse deberet, constare potest absque explicatione.

2216. Quod dixit, non, quod risisti, significet quod usque tale esset, constat etiam absque explicatione. Quomodo haec se habent, constare potest ab illis, quae supra n: 2072 de significatione ridere seu risus, dicta sunt, quod nempe sit affectio

Rationalis, et quidem affectio veri aut falsi in rationali, inde est omnis risus; quamdiu talis affectio in Rationali est, quae se in risum exserit, tamdiu est aliquid corporeum aut mundanum, ita mere humanum; bonum coeleste et bonum spirituale non ridet, sed jucundum et hilare suum in facie, loquela et gestu alio modo depromit; in risu enim sunt permulta, ut plurimum aliquid contemtus, qui tametsi non apparet, usque sublatet; seque distinguit facile ab hilaritate animi, quae quoque aliquod simile risus producit. Describitur status Rationalis humani apud Dominum per quod Sarah risit, et significatum per id qua affectione Verum Rationalis tunc a bono separatum spectaret illud quod dicebatur, quod exueretur, et Divinum indueretur; non quod riserit, sed quod ex Divino perceperit quale adhuc esset, et quantum humani adhuc inesset, quod expelleret; hoc significatur per risum Sarae in sensu interno.

2217. Vers: 16. *Et surrexerunt inde Viri, et prospexerunt ad facies Sodomae: et Abraham vadens cum illis ad dimittendum illos.* Surrexerunt inde Viri, significat quod perceptio illa finiretur: et prospexerunt ad facies Sodomae, significat statum humani generis; Sodoma est omne malum ex amore sui: et Abraham vadens cum illis, significat quod etiam Dominus adhuc cum illis in perceptione maneret, sed de genere humano: ad dimittendum illos, significat quod vellet discedere ab illa.

2218. Quod surrexerunt Viri, significet quod perceptio illa finiretur, constare potest a significatione surgere, quod sit abire; et a Virorum, de quibus supra: per adventum Trium Virorum seu Jehovae ad Abrahamum repraesentata fuit Perceptio Divina Domini, ut supra ostensum; Perceptio Domini ex Divino tunc fuit primum de Trino Divino, quod est Divinum ipsum, Humanum Divinum et Procedens; postea fuit de Humano Ipsius quod indueret Divinum; nunc sequitur Perceptio ex Divino de genere humano quale esset: haec tria sunt, de quibus in hoc Capite agitur; et sequuntur ordine, nempe quod Divinum assumeret Humanum, et hoc faceret Divinum, ut salvaret genus humanum: de prioribus binis dicitur, quod Perceptio finita, quod in sensu interno intelligitur per quod surrexerunt Viri; at Perceptio de genere humano quale esset, signi-

ficatur in sensu interno per quod prospexerunt ad facies Sodomae, et Abraham vadens cum illis; et quod in illa perceptione non vellet manere, significatur per quod vaderet cum illis ad dimittendum illos; quomodo se haec habent, melius videri potest a Contentis quae praemissa sunt, tum ab explicatione sequentium.

2219. Prospexerunt ad facies Sodomae, quod significet statum humani generis, constat a significatione prospicere ad facies, et hic ad facies Sodomae: per facies significantur omnia interiora hominis, tam mala quam bona, ex causa quia illa elucent ex facie, ut in Parte Prima, n: 358. ostensum; hic itaque facies, quia praedicantur de Sodoma, significant interiora mala, quae sunt amoris sui, quae mala in genere per Sodomam intelliguntur, ut a mox sequentibus patebit. Quod omnium pessima mala ex amore sui originem trahant, est quia amor sui est destructivus Societatis humanae, ut ostensum supra n: 2045, et destructivus Societatis coelestis, n: 2057; et quia perversitas generis humani inde cognoscitur, hic per facies Sodomae significatur status generis humani: ostensum praeterea est in Parte Prima variis in locis, qualis amor sui est, quod nempe prorsus contrarius sit ordini, in quem creatus est homo; homini prae bestiis rationale datum est, ob finem ut quisque alteri bene velit et bene faciat, sic in particulari ut in communi; hic est ordo in quem creatus est homo; proinde est amor in Deum, et amor erga proximum, quae vita foret hominis, per quam distingueretur a brutis animalibus; hic etiam est ordo coeli, in quo foret cum vivit in mundo, et sic in Regno Domini; ac in idem transiret, cum exuit corpus, quod ei inserviit super terra, et ibi in statum continue perfectiorem coelestem assurgeret: sed amor sui est primarium, imo unicum quod destruit haec, non ita amor mundi, nam hic quidem spiritualibus fidei, sed amor sui coelestibus amoris e diametro oppositus est; qui enim se amat, omnes alios non amat, sed quoscunque, qui illum non colunt, destruere conatur, nec alicui bene vult et bene facit, nisi qui in illo est, aut captari [13] potest, ut in illo sit, sicut quoddam ejus cupiditatibus et phantasiis quasi inoculatum; inde patet, quod ex amore sui scaturiant omnia odia, omnes vindictae et crudelitates, tum omnes infames simulationes et doli, ita

omnia nefanda contra ordinem societatis humanae, et contra ordinem societatis coelestis: quin imo tam nefandus est amor sui, ut cum vincula ei relaxantur, hoc est, cum ei datur copia exspatiandi, etiam apud eos, qui infimae sortis sunt, ruat ita, ut non solum dominari velit super proximos et vicinos, sed etiam super universum, imo super ipsum Supremum Divinum, quod quidem ignorat homo, quia in vinculis non ita sibi notis tenetur, sed quantum haec vincula, ut dictum, remittuntur, tantum ruit; quod a multa experientia in altera vita mihi scire datum est: quia in amore sui illa latent, etiam illi qui in amore sui sunt, et non donati vinculis conscientiae, prae omnibus aliis odio habent Dominum, ita omnia vera fidei, nam haec sunt ipsae leges ordinis in Regno Domini, haec tales respuunt ita ut abominentur, quod etiam se manifestat coram in altera vita; hic amor etiam est caput serpentis, quod Semen mulieris, hoc est, Dominus proculcat, de quo videatur in Parte Prima, n: 257. Sed amor sui non est semper ille, qui in externa forma apparet sicut fastus et superbia, quandoque enim ii possunt charitate habere proximum; quibusdam enim tale externum connascitur, et a quibusdam in aetate puerili adsciscitur, sed postea subjugatur, remanente usque externo; sed sunt illi, qui alios prae se contemnunt, ac prae se nihili faciunt, nec commune bonum quicquam curant, nisi sit pro illis, et ii quasi sint illud; imprimis qui omnes illos, qui sibi non favent et serviunt, odio habent, illos persequuntur, et quantum possunt, deprivant possessionibus, honore, fama, imo vita; qui talia spirant animo, illi sciant quod in amore sui sint prae aliis.

2220. Quod Sodoma sit omne malum ex amore sui, constat ex significatione Sodomae in Verbo; tametsi in Capite sequente appareat sicut per Sodomam significetur malum pessimi adulterii, usque tamen per eam in sensu interno, nihil aliud quam malum ex amore sui significatur; in Verbo etiam abominationes ex Amore sui scaturientes, per adulteria diversi generis repraesentantur. Quod Sodoma significet in genere omne malum ex amore sui, et Amora omne falsum inde, in Parte Prima n: 1212. 1663. 1682. 1689, ostensum est; et porro constare potest ex his locis in Verbo; apud Jeremiam, „ Gladius „ super Chaldaeos, et super habitatores Babelis, juxta eversio-

„nem Dei, *Sodomam* et *Amoram*, et vicinas ejus, dictum Je-„hovae, non habitabit ibi vir, et non commorabitur in ea filius „hominis," L: 35. 40; agitur ibi de illis, qui significantur per Chaldaeos, qui sunt in quorum cultu falsum prophanum, ut prius n: 1368, ostensum; tum de illis qui per Babelem, qui sunt in quorum cultu est malum prophanum, n: 1182. 1326; illorum damnatio describitur per eversionem Sodomae, hoc est, mali in genere, et per eversionem Amorae, hoc est, falsi in genere, quia etiam in illorum cultu est malum amoris sui, et falsum inde: apud Amos, „Subverti vos juxta eversionem Dei, „*Sodomam* et *Amoram*, et facti sicut torris erutus ex incendio," IV: 11; ubi de Samaria, per quam significatur perversa Ecclesia spiritualis, quae quoad mala in genere contra bona charitatis vocatur Sodoma, et quoad falsa in genere contra vera fidei vocatur Amora; et quoad utrumque, hic ut prius, eversio Dei: apud Zephaniam, „Moab sicut *Sodoma* erit, et filii Am-„monis sicut *Amora*, locus derelictus urticae, et fovea salis, „et desolatio usque in aeternum: hoc illis propter *superbiam* „eorum, quod opprobrio affecerunt, et dilatarunt super popu-„lum Jehovae Zebaoth," II: 9. 10; ubi Sodoma pro malo ex amore sui, et Amora pro falso inde, de quibus hic praedicatur desolatio, sicut prius eversio; superbia est amor sui; opprobrio afficere populum Jehovae Zebaoth est malum inferre veris, et dilatare super populum est falsum: apud Ezechielem, „Soror „tua major Samaria, ipsa et filiae ejus, habitans ad sinistram „tuam; et soror tua minor prae te, habitans a dextra tua, *So-„doma* et filiae ejus: non fecit *Sodoma* soror tua, ipsa et filiae „ejus, quemadmodum fecisti tu et filiae tuae: *ecce haec fuit „iniquitas Sodomae sororis tuae, Superbia, Saturitas panis, „et Securitas otii, fuit illi et filiabus ejus, et manum miseri „et egeni non confirmavit; et elatae factae sunt, et fecerunt „abominationem coram Me,*" [14] XVI: 46. 48. 50: agitur ibi de abominationibus Hierosolymae, et describitur per Samariam et Sodomam, per Samariam quoad falsa loco Amorae, et per Sodomam quoad mala; et dicitur quid in specie per *Sodomam* significatur; nam ait, *haec fuit iniquitas Sodomae*, nempe quod amor sui, qui significatur ibi per *superbiam;* qui quod aversati bona charitatis, significatur per *saturitatem panis;* et quod

in illis acquieverint, significatur per *securitatem otii;* et quod illis non misericordia, describitur per quod non *confirmaverint manum miseri et egeni;* et quod omnes cupiditates inde sint amore sui imbutae, per quod *elatae factae filiae;* cupiditates sunt *filiae;* inde constat manifeste quid Sodoma, ita quod non sit secundum sensum historicum in Capite sequente, sed quod per illum ibi significentur in sensu interno talia, quae hic apud Prophetam describuntur, nempe quae sunt amoris sui; sed Sodoma mitius hic describitur, quia de abominationibus Hierosolymae agitur, quod hujus fuerint majores quam Sodomae; ut patet quoque a Domini verbis apud Matthaeum, „Amen dico „vobis, tolerabilius erit terrae *Sodomae* et *Amorae*, in die „judicii, quam urbi illi," X: 15. Marc: VI: 11. Luc: X: 12: apud Johannem, „Corpora eorum super platea urbis magnae, „quae vocatur *spiritualiter Sodoma et Aegyptus,*" Apoc: XI. 8; ibi quod per Sodomam non intelligatur Sodoma, nec per Aegyptum Aegyptus, constat, nam dicitur quod vocetur spiritualiter Sodoma et Aegyptus; Sodoma pro omni malo ex amore sui, et Aegyptus loco Amorae pro omni falso inde.

2221. Quod Abraham vadens cum illis, significet quod Dominus adhuc cum illis in perceptione maneret, sed de genere humano, constare potest ex serie rerum in sensu interno, nam vadere cum tribus Viris, hoc est, cum Jehovah, est in perceptione adhuc esse.

2222. Quod ad dimittendum illos, significet quod vellet discedere ab illa, constat absque explicatione; causa quoque patet, nempe quod perceptio ex Divino, et inde cogitatio de genere humano, quod tale esset, horrorem incuteret; amor enim Domini fuit erga universum genus humanum tantus, ut omnes per unitionem Essentiae Humanae cum Divina, et Divinae cum Humana, salvare in aeternum vellet; quare cum perciperet tale esse, a perceptione et cogitatione inde voluit discedere, quod significatur per quod vellet dimittere illos.

2223. Vers: 17. *Et Jehovah dixit, num celans Ego ab Abrahamo, quod Ego faciens.* Et Jehovah dixit, significat perceptionem: num celans Ego ab Abrahamo, quod Ego faciens, significat quod nihil celari debuit coram Domino.

2224. Jehovah dixit, quod significet perceptionem, con-

stat a significatione dicere, quod sit percipere, de qua prius n: 1898. 1919. 2080; hic quia Jehovah dixit, est quod Dominus perceperit ex Divino.

2225. Quod num celans Ego ab Abrahamo quod Ego faciens, significet quod nihil celari debuit coram Domino, constat a repraesentatione Abrahami, quod sit Dominus in illo statu, de qua aliquoties supra in hoc Capite; quod caetera significent, non celari debere, patet; sensus literae hic similis est cum sensu interno, ut alibi passim, imprimis ubi agitur de essentialibus fidei, quae quia necessaria sunt ad salutem, ita dicuntur in litera, qualia sunt in sensu interno, sicut hoc apud Mosen, „Jehovah Deus noster Jehovah unus; et amabis Jehovam Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis; et erunt verba illa super corde tuo,“ Deut: VI: [4.] 5. 6; praeter similia alia.

2226. Vers: 18. *Et Abraham essendo erit in gentem magnam et numerosam; et benedicentur in illo omnes gentes terrae.* Abraham essendo erit in gentem magnam et numerosam, significat quod a Domino erit omne bonum et omne verum inde: et benedicentur in illo omnes gentes terrae, significat quod ab Ipso omnes, qui in charitate sunt, salvabuntur.

2227. Quod Abraham essendo [15] erit in gentem magnam et numerosam, significet quod a Domino erit omne bonum, et omne verum inde, constat a repraesentatione Abrahami, quod sit Dominus, de qua saepius supra; tum a significatione gentis, quod sit bonum, de qua n: 1159. 1258. 1259. 1260. 1416. 1849, hic gentis magnae et numerosae, qua significatur bonum et verum inde; quod magnum praedicetur de bono, et numerosum de vero, ex locis aliis in Verbo constare potest, sed illa nunc adducere, supersedendum: Verum inde, seu verum ex bono, in sensu genuino, est bonum spirituale: sunt duo bona inter se distincta, nempe bonum coeleste, et bonum spirituale; bonum coeleste est amoris in Dominum, bonum spirituale est amoris erga proximum; ex illo bono seu coelesti est hoc seu spirituale, nam nemo amare potest Dominum, nisi etiam amet proximum; in amore in Dominum est amor erga proximum; nam amor in Dominum est a Domino, ita ab Ipso Amore erga universum genus humanum; in amore in Dominum esse,

est idem ac esse in Domino, et qui in Domino, non potest aliter quam esse in amore Ipsius, qui est erga genus humanum, ita erga proximum; ita est ille in utroque bono, nempe in coelesti et spirituali, illud est ipsissimum bonum, hoc autem verum ejus seu verum inde, quod verum est bonum spirituale, ut dictum; illud est quod significatur per magnum, hoc autem per numerosum.

2228. Quod benedicentur in illo omnes gentes terrae, significet quod ab Ipso omnes, qui in charitate sunt, salvabuntur, constat a significatione Benedici, quod sit donari omnibus bonis, quae sunt a coelesti origine, de qua n: 981. 1096. 1420. 1422: qui donantur bonis a coelesti origine, hoc est, bonis coelestibus et bonis spiritualibus, de quibus mox supra, n: 2177, [16] illi quoque donantur salute aeterna, hoc est, salvantur: per omnes gentes terrae, intelliguntur in sensu interno, illi qui in bonis amoris et charitatis sunt, ut constat a significatione gentis, quod sit bonum, n: 1159. 1258. 1259. 1260. 1416. 1849: quod per omnes gentes terrae, non significentur omnes in universo terrarum orbe, constare potest cuivis, quia permulti inter illos sunt, qui non salvantur, sed modo illi, qui in charitate sunt, hoc est, qui charitatis vitam adepti sunt. Ne quemquam lateat, quomodo se habet cum salvatione hominum post decessum, paucis dicendum; sunt plures qui dicunt, quod salvetur homo per fidem, aut, ut ajunt, si modo fidem habeat, sed inter illos plurima pars est, qui non sciunt quid fides, putant aliqui quod sit mera cogitatio, aliqui quod sit agnitio alicujus credendi, alii quod sit tota doctrina fidei quae credenda, alii aliter, ita in sola cognitione, quid sit fides, errant; consequenter in eo, quid sit, quo salvetur homo: sed usque non est mera cogitatio, nec est agnitio credendi, nec cognitio omnium quae sunt doctrinae fidei: ex illis nemo salvari potest, nam non altius radicem possunt agere, quam in cogitationem; cogitatio non aliquem salvat, sed est vita, quam sibi in mundo comparavit per cognitiones fidei; haec vita manet, at omnis cogitatio, quae non convenit vitae ejus perit, usque adeo ut fiat nulla; Consociationes coelestes sunt secundum vitas, et nusquam secundum cogitationes quae non sunt vitae, cogitationes quae non sunt vitae, sunt simulatoriae, quae prorsus rejiciuntur: in genere duplex est

vita, una infernalis, altera coelestis; vita infernalis contrahitur ex omnibus illis finibus, cogitationibus et operibus, quae fluunt ex amore sui, consequenter ex odio contra proximum; vita coelestis ex omnibus illis finibus, cogitationibus, et operibus, quae sunt amoris erga proximum; haec vita est, quam spectant omnia quae, fides, vocantur, et comparatur per omnia fidei: inde constare potest, quid fides, nempe quod sit charitas, nam ad illam ducunt omnia quae doctrinae fidei vocantur, in illa sunt omnia illa, et ex illa derivantur omnia illa: anima post vitam corporis est, qualis ejus amor.

2229. Vers: 19. *Quia novi illum, propterea quod praecipiet filiis suis, et domui suae post se, et custodient viam Jehovae ad faciendum Justitiam et Judicium, propterea ut adducat Jehovah super Abrahamum, illud quod loquutus est super illum.* Quia novi illum, significat verum esse: propterea quod praecipiet filiis suis, et domui suae post se, et custodient viam Jehovae ad faciendum justitiam et judicium, significat quod ab Ipso omnis doctrina charitatis et fidei: filii sunt qui in veris; domus qui in bonis: via est doctrina; justitia est de bono; judicium de vero: propterea ut adducat Jehovah super Abrahamum illud quod loquutus est super illum, significat quod ideo Humana Essentia adjuncta erit Divinae.

2230. Quia novi illum, quod significet verum esse, constare potest a significatione nosse, cognoscere aliquem est proprie scire, quod talis sit, similiter applicate ad rem, seu ad aliud aliquod, est scire quod tale sit, quare nosse se refert ad illud quod praedicatur, et significat illud quod secundum seriem rerum intelligitur, quod ita sit, vel quod verum sit.

2231. Propterea quod praecipiet filiis suis, et domui suae post se, et custodient viam Jehovae, ad faciendum justitiam et judicium, quod significet quod ab Ipso omnis doctrina charitatis et fidei, constare potest a significatione filii, domus, viae, justitiae, et judicii, quae in summam seu in unum sensum redacta significant omnem doctrinam charitatis et fidei, per filios enim significantur omnes qui sunt in veris, per domum omnes qui in bonis, per viam doctrina qua instruuntur, quae doctrina de bono significatur per justitiam, et de vero per judicium; doctrina de bono est doctrina charitatis, et doctrina de vero est

doctrina fidei: in genere est modo una Doctrina, nempe doctrina charitatis, nam Charitatem, ut dictum n: 2228, spectant omnia fidei; inter Charitatem et Fidem non alia intercedit differentia, quam quae est inter velle bonum et cogitare bonum, qui vult bonum is quoque cogitat bonum, ita quae est inter voluntatem et intellectum; qui reflectunt, sciunt quod aliud sit voluntas et aliud intellectus, in orbe erudito hoc etiam notum est, et apparet manifeste apud eos, qui volunt male et tamen ex cogitatione loquuntur bene; ex quibus cuivis patet, quod aliud sit voluntas et aliud intellectus, et sic quod Mens humana sit in binas partes distincta, quae non unum faciunt; homo tamen ita creatus est, quod illae binae partes unam mentem constituerent, nec alia distinctio esset, quam ut comparative dicatur, qualis est inter flammam et lucem inde, amor in Dominum et charitas erga proximum foret sicut flamma, et omnis perceptio et cogitatio foret sicut lux inde, ita quod amor et charitas foret omne perceptionis et cogitationis, hoc est, in omnibus et singulis ejus; perceptio aut cogitatio de qualitate amoris et charitatis est quod vocatur fides: sed quia genus humanum coepit malum velle, odio habere proximum, et exercere vindictas et crudelitates, usque adeo, ut illa pars mentis, quae voluntas dicitur, prorsus deperdita sit, coeperunt distinguere inter charitatem et fidem, et ad fidem referre omnia doctrinalia, quae religionis illorum fuerunt, et illa una voce appellare fidem; et tandem eo usque processerunt, ut dicerent, quod salvari possent per solam fidem, per quam intellexerunt doctrinalia sua, si modo illa crederent, utcunque viverent: ita separata est charitas a fide, quae tunc usque non aliud est, ut comparative dicatur, quam lux quaedam absque flamma, qualis solet esse lux solis tempore hyemis, quae frigida et gelida est in tantum ut vegetata telluris torpescant et emoriantur; cum tamen fides ex charitate est sicut lux tempore veris et aestatis, per quam omnia germinant et florent: hoc sciri potest etiam ex eo, quod amor et charitas sit flamma coelestis, et quod fides sit lux spiritualis inde; similiter etiam se sistunt percipienda et videnda in altera vita, nam ibi coeleste Domini se manifestat coram angelis per flammeum jubar sicut solis, et spirituale Domini per lucem inde, quibus etiam afficiuntur angeli et spiritus quoad interiora secun-

dum amoris et charitatis vitam apud eos; inde gaudia et felicitates cum illorum differentiis in altera vita: ex his constare potest, quomodo se habet cum hoc, quod dicitur, quod sola fides salvet.

2232. Quod filii sint, qui in veris, constat a significatione filii in Verbo, quod sit verum, de qua n: 489. 491. 533. 1147; per filios in sensu abstracto significantur vera, sed applicate ad hominem, sunt filii omnes qui in veris sunt.

2233. Quod domus sint qui in bonis, constat a significatione domus, quod sit bonum, de qua n: 710. 1708. 2048: per domum, seu natos domus, similiter in sensu abstracto significantur bona, sed applicate ad hominem, sunt omnes qui in bonis sunt.

2234. Quod via sit doctrina, constat a significatione viae; via praedicatur in Verbo de veris, quia vera ducunt ad bonum, et procedunt a bono, ut constare potest a locis allatis in Parte Prima, n: 627; et quia via praedicatur de illis, est via doctrina, quia doctrina in uno complexu omnia illa comprehendit quae ducunt ad bonum, hoc est, ad charitatem.

2235. Quod justitia sit de bono, et judicium de vero, constare potest a significatione Justitiae, et a significatione Judicii: pluries in Verbo Justitia et Judicium simul nominantur, sed quid in sensu interno significant, nondum notum est; in sensu proximo Justitia praedicatur de justo, et Judicium de recto; justum est cum aliquid judicatur ex bono, et hoc secundum conscientiam, rectum autem cum judicatur ex lege, et sic ex justo legis, ita quoque secundum conscientiam, quia lex illi pro norma est; in sensu autem interno est Justitia quod ex bono, et Judicium quod ex vero; bonum est omne quod est amoris et charitatis, verum est omne quod est fidei inde; verum ducit essentiam suam a bono, et vocatur verum ex bono, sicut fides ex amore, ita quoque judicium a justitia. Quod Justitia et Judicium illa significent, constat ex his locis in Verbo; apud Jeremiam, „Sic dixit Jehovah, facite *Judicium* et *Justitiam;* et „eripite spoliatum e manu oppressoris. Vae aedificanti domum „suam in non *Justitia*, et hyperoa sua in non *Judicio.* Pater „tuus nonne comedit et bibit, et fecit *Judicium* et *Justitiam*, „tunc bonum illi," XXII: 3. 13. 15. judicium pro illis quae sunt

veri, et justitia quae sunt boni: apud Ezechielem, „Si impius „reversus fuerit a peccato suo, et fecerit *Judicium* et *Justitiam*, „omnia peccata ejus, quae peccavit, non memorabuntur ei, „*Judicium* et *Justitiam* fecit, vivendo vivet; in revertendo se „impio ab impietate sua, et fecerit *Judicium* et *Justitiam*, prop„ter illa is vivet," XXXIII: 14. 16. 19; similiter judicium pro vero, quod est fidei, et justitia pro bono quod est charitatis: apud Amos, „Fluat sicut aquae *Judicium*, et *Justitia* sicut „fluvius fortis," V: 24: similiter: apud Esaiam, „Sic dixit Je„hovah, custodite *Judicium*, et facite *Justitiam*, quia propin„qua salus mea ad veniendum, et *Justitia mea* ad revelandum „se," LVI: 1: apud Eundem, „Paci non erit finis, super throno „Davidis et super regno Ipsius, ad stabiliendum illud, et ad „fulciendum illud in *Judicio* et *Justitia*, a nunc et usque in ae„ternum," IX: 6; pro quod in veris fidei, et in bonis charitatis: apud Eundem, „Exaltatus Jehovah, quia inhabitat altum, „implevit Zionem *Judicio* et *Justitia*," XXXIII: 5: Judicium pro fide, Justitia pro amore, Zion pro Ecclesia; praecedit judicium, quia per fidem amor, at cum praecedit justitia est quod ex amore fides; sicut apud Hoscheam, „Desponsabo te Mihi in „aeternum, et desponsabo te Mihi in *Justitia* et *Judicio*, et in „Misericordia et in miserationibus; et desponsabo te Mihi in „*fide*, et cognosces Jehovam," II: 19. 20; ubi Justitia praecedit, sicut etiam Misericordia, quae sunt amoris, et sequitur Judicium, sicut etiam Miserationes, quae sunt fidei ex amore, utrumque vocatur Fides seu Fidelitas: apud Davidem, „Jeho„vah, in coelis est Misericordia tua, Veritas tua usque ad ae„theres; *Justitia* tua sicut montes Dei, *Judicia* tua abyssus „magna," Psalm: XXXVI: 6. 7: ibi et Misericordia et Justitia similiter sunt amoris, ac Veritas et Judicia sunt fidei: apud Eundem, „*Veritas* e terra germinet, et *Justitia* e coelo prospiciat; „etiam Jehovah dabit bonum, et terra nostra dabit proventum „suum," Psalm: LXXXV: 12. 13; ibi Veritas quae fidei, pro Judicio, et Justitia pro amore seu misericordia: apud Sachariam, „Adducam eos, et habitabunt in medio Hierosolymae, „et erunt Mihi in populum, et Ego ero iis in Deum in *Veritate* „et in *Justitia*," VIII: 8; inde etiam patet, quod judicium sit verum, et justitia bonum, quia loco judicii hic veritas: simili-

ter apud Davidem, « Qui ambulat integer, et operans *Justi-* « *tiam*, et loquens *Veritatem*, » Psalm: XV: 2: Fides quia est charitatis, seu verum quia est boni, inde vera boni passim vocantur Judicia Justitiae, et sic judicia paene simile significant ac praecepta, ut apud Esaiam, « Me die die quaerant, et scien- « tiam viarum mearum desiderent, quasi gens quae *Justitiam* « facit, et *Judicium* Dei sui non derelinquit, interrogent Me « *Judicia Justitiae*, appropinquationem Dei desiderent, » LVIII: 2: quod Praecepta, apud Davidem, « Septies in die laudavi Te « super *Judiciis Justitiae* tuae, omnia *Praecepta* tua *Justitia*, » Psalm: CXIX: 164. 172: de Domino imprimis dicitur quod faciat Judicium et Justitiam, cum hominem e novo creat, ut apud Jeremiam, « De hoc glorietur qui gloriatur, intelligere « et nosse Me, quod Ego Jehovah faciens Misericordiam, *Ju-* « *dicium* et *Justitiam* in terra, quia in illis beneplacet Mihi, » IX: 23, ibi Misericordia, quae est amoris, describitur per Judicium et Justitiam: apud Eundem, « Suscitabo Davidi germen « justum, et regnabit Rex, et intelligenter aget, et faciet *Ju-* « *dicium* et *Justitiam* in terra, » XXIII: 5. Cap: XXXIII: 15. hinc apud Johannem, « Si abivero, mittam Paracletum ad vos, « cumque venerit ille, arguet mundum de Peccato, de *Justitia*, « et de *Judicio*: de Peccato quod non credunt in Me; de *Ju-* « *stitia* quod ad Patrem meum abeo, et non amplius videbitis « Me; de *Judicio*, quod princeps hujus mundi judicatus est, » XVI: 7. 8. 9. 10. 11. Peccatum ibi pro omni infidelitate; quod arguet de Justitia, est de omni quod est contra bonum, cum tamen Dominus Humanum univit Divino, ut salvaret Mundum, quod est quod ad Patrem abeo et non videbitis Me amplius; de Judicio, est de omni quod est contra verum, cum tamen dejecta sunt mala in sua inferna, ut illa non possint amplius damnum inferre, quod est quod princeps mundi judicatus est: in genere quod arguet de Peccato, Justitia et Judicio, est quod de omni infidelitate contra bonum et verum, ita quod nulla charitas et fides, nam per Justitiam et Judicium intellecta fuit antiquis temporibus, quoad Dominum omnis Misericordia et Gratia, et quoad hominem omnis Charitas et Fides.

2236. Propterea ut adducat Jehovah super Abrahamum illud quod loquutus est super illum, quod significet quod ideo

Humana Essentia adjuncta erit Divinae, non ita constat ex significatione vocum, sed ex eo, quod omnia illa quae in Verbo dicta sunt, involvant adventum Domini, ut uniret Humanam Essentiam Divinae, per quam unitionem salvaret genus humanum; haec sunt quae significantur in sensu interno per quod adduceret super Abrahamum illud quod loquutus est super illum.

2237. Vers: 20. *Et dixit Jehovah, clamor Sodomae et Amorae, quod magnus factus sit, et peccatum eorum quod grave factum valde.* Dixit Jehovah, significat perceptionem: clamor Sodomae et Amorae quod magnus factus sit, et peccatum eorum quod grave factum valde, significat quod falsum et malum amoris sui usque ad consummationem creverit; clamor est falsum, peccatum est malum.

2238. Dixit Jehovah, quod significet perceptionem, constat a significatione dicere in sensu historico, quod sit percipere, de qua aliquoties prius: cum dicere Jehovah in historicis Verbi occurrit, significat perceptionem, quae non prorsus continua est cum priori, sed aliqua sequens, et quandoque nova; videatur etiam n: 2061.

2239. Quod clamor Sodomae et Amorae quod magnus factus sit, et peccatum eorum quod grave factum valde, significet quod falsum et malum amoris sui usque ad consummationem creverit, constat a significatione Sodomae, quod sit malum ex amore sui, et Amorae quod sit falsum inde, quod supra n: 2220, ostensum; tum a significatione clamoris quod sit falsum, et peccati quod sit malum, de quibus mox sequitur; ex quibus patet, quod magnus factus sit nempe clamor, et grave factum sit nempe peccatum, significet quod falsum et malum ad summum seu ad consummationem venerit: id melius patet a sequentibus, ubi dicitur, si inventi fuerint ibi decem, quod parceretur urbs, Vers: 32, per quae significatur, si aliquae reliquiae usque essent, hoc est, si aliquid boni et veri; cum enim non aliquid boni et veri amplius intus apud hominem, tunc vastitas et desolatio, proinde consummatio; de qua in Versu mox sequente.

2240. Quod clamor sit falsum, et peccatum sit malum, constare potest a significatione Clamoris in Verbo; quod Clamor falsum significet, nemini constare potest, nisi internum sensum Verbi sciat; aliquoties occurrit apud Prophetas, et ibi cum agitur

de vastatione et desolatione, dicitur quod ejulent et clament, et significat quod bona et vera vastata sint, estque ibi vox, per quam in sensu interno describitur falsum, ut apud Jeremiam, „*Vox Clamoris* pastorum, et *ejulatus* potentum gregis, quia „*vastans* Jehovah pascuum eorum,„ XXV: 36; ubi clamor pastorum est quod sint in falso, ex quo vastatio: apud Eundem, „Ecce aquae ascendentes a septentrione, et erunt in flumen in„undans, et inundabunt terram et plenitudinem ejus, urbem et „habitantes in ea, et *Clamabunt* homo et *ejulabit* omnis habi„tator terrae, super diem venientem ad *vastandum*,„ XLVII: 2. 4: ubi agitur de desolatione fidei, quae fit per falsa; flumen inundans est falsum, ut in Parte Prima ostensum n: 705. 790: apud Zephaniam, „*Vox Clamoris* a porta piscium, et *ejulatio* „a secundaria, et confractio magna a collibus, et erunt opes „eorum in direptionem, et domus eorum in *desolationem*,„ I: 10. 13; ubi etiam clamor praedicatur de falsis quae vastant: apud Esaiam: „Via Choronaim *Clamorem* confractionis excita„bunt, quia aquae Nimrim *desolationes* erunt, quoniam aruit „gramen, consummata est herba, olus non est,„ XV: 5. 6. Jer: XLVIII: 3: ibi desolatio fidei, et consummatio describitur per clamorem: apud Jeremiam, „Luxit Jehudah, et portae ejus „languescentes factae, atrati sunt in terram, et *Clamor Hiero„solymae* ascendit; et illustres eorum miserunt minores suos ad „aquas, venerunt ad foveas, non invenerunt aquas, reversi sunt „vasis eorum vacuis,„ XIV: 2. 3. ubi clamor Hierosolymae pro falsis, nam quod non invenerint aquas est quod non cognitiones veri, quae quod aquae sint, in Parte Prima, n: 28. 680. 739, ostensum est: apud Esaiam, „Exultabo in Hierosolyma, „et laetabor in populo meo, et non audietur in ea amplius vox „fletus, et *vox Clamoris*,„ LXV: 19, ubi quod non audietur vox fletus est quod non malum, et non vox clamoris est quod non falsum; pleraque haec ex sensu literae non intelligi possunt, nec quid sit clamor, sed ex sensu interno apud Eundem, „Ex„spectavit Jehovah judicium, sed ecce scabies, justitiam sed „ecce *Clamor*,„ V: 7: ubi etiam de vastatione boni et veri agitur; hic est reciprocationis species, ut passim quoque apud Prophetas, quae talis, quod loco veri inveniatur malum, quod est quod pro judicio scabies; et loco boni falsum, quod est quod

pro justitia clamor, nam quod judicium sit verum et justitia bonum, supra n: 2235 ostensum est; similis reciprocatio est, ubi de Sodoma et Amora agitur apud Mosen, „De vite *Sodomae* „vitis eorum, et de agris *Amorae* uvae eorum; uvae fellis, botri „amaritudinum illis," Deut: XXXII: 32; ubi similis loquutio, nam vitis praedicatur de veris et falsis, ac agri et uvae de bonis et malis, ita quod vitis Sodomae sit falsum ex malo, ac agri et uvae Amorae sint mala ex falsis, nam sunt duo genera falsi, de quibus in Parte Prima, n: 1212, ita etiam sunt duo genera mali; utrumque genus falsi et mali in hoc Versu per clamorem Sodomae et Amorae quod magnus factus, et peccatum eorum quod grave factum valde, significatur, quod inde constat, quia primo loco Clamor et secundo peccatum nominatur, et usque primo dicitur Sodoma quae est malum ex amore sui; et secundo Amora quae est falsum inde.

2241. Vers: 21. *Descendam quaeso, et videbo, num secundum clamorem ejus, qui venit ad Me, fecerint consummationem, et si non, cognoscam.* Descendam quaeso et videbo, significat visitationem: num secundum clamorem ejus, qui venit ad Me, fecerint consummationem, et si non, cognoscam, significat num malum ad summum pervenerit.

2242. Descendam quaeso, et videbo, quod significet visitationem, constare potest ex significatione descendere ad videndum, quod sit judicium, de qua in Parte Prima, n: 1311, proinde quod sit Visitatio; ultimum tempus Ecclesiae in communi, et ultimum tempus cujusvis in particulari, in Verbo vocatur Visitatio, ac praecedit Judicium, estque sic Visitatio non aliud quam exploratio qualis est, nempe qualis Ecclesia in communi, vel homo in particulari, quae exploratio exprimitur in sensu literae, per quod descendat Jehovah et videat; sensus literae qualis sit, inde constare potest, non enim descendit Jehovah, nam de Domino non praedicari potest descendere, quia semper in supremis est; nec videt Jehovah num ita sit, nam nec de Domino praedicari potest videre num ita sit, quia omnia et singula ab aeterno novit; sed usque ita dicitur, quia apud hominem apparet sicut ita fieret; homo enim est in inferioribus, et cum ibi aliquid existit, non cogitat, ne quidem scit, quomodo se superiora habent, ita nec quomodo influunt, non enim ultra quam

ad proxima cogitatio ejus vadit, inde non potest aliter percipere, quam quod sit aliquid tale quod simile est descendere et videre; et eo magis cum putat, quod nemo sciat quod cogitat; praeter quod non aliam ideam habeat quam quod sit ab alto, et cum a Deo quod sit ab altissimo, cum tamen non ab altissimo sed ab intimo; inde constare potest, qualis sit sensus literae, quod nempe sit secundum apparentias, qui si non foret secundum apparentias, Verbum nemo intelligeret et agnosceret, ita non reciperet; sed Angeli non ita in apparentiis sunt, sicut homo, quare Verbum cum quoad literam est pro homine, quoad sensum internum est pro Angelis, tum etiam pro illis hominibus, quibus, ex Divina Domini Misericordia, donatum est, cum vivunt in mundo, esse sicut angeli. Visitatio passim memoratur in Verbo, et per eam significatur vel Vastatio quae est Ecclesiae aut cujusvis, vel Liberatio, ita exploratio qualis est; pro *Vastatione*, apud Esaiam, „Quid facietis die *Visitationis*, e longinquo veniet, ad quem fugietis pro auxilio, et ubi relinquetis gloriam vestram,“ X: 3: apud Eundem, „Stellae coelorum et sidera eorum non lucebunt luce sua, obtenebrabitur sol in egressu suo, et luna non splendere faciet lucem suam, et *Visitabo* super orbem malum, et super impios iniquitatem eorum,“ XIII: 10. 11. quod per stellas et sidera quae non lucebunt, et solem qui obscurabitur, et lunam quae non splendere faciet lucem suam, significetur quod nullus amor et nulla charitas, videatur n: 2120, et quia id est vastatio, est dies visitationis: apud Jeremiam, „Cadent inter cadentes, et tempore *Visitationis* eorum impingent,“ VIII: 12. pro tempore cum vastati sunt, seu cum nulla charitas et fides: apud Ezechielem, „Appropinquarunt *Visitationes urbis*, et vir instrumentum perditionis ejus in manu ejus,“ IX: 1; ibi etiam de vastatione agitur, inde instrumentum perditionis viro: apud Hoscheam, „Venerunt *dies Visitationis*, venerunt dies retributionis,“ IX: 7: similiter: apud Micham, „Dies speculatorum tuorum, *Visitatio* tua venit, nunc erit perplexitas eorum,“ VII: 4; etiam pro vastata charitate: apud Mosen, „In die *Visitandi* Me, et *Visitabo* super eos peccatum eorum,“ Exod: XXXII: 34, ubi de populo in deserto, postquam fecerunt sibi vitulum aureum. Quod per Visitationem significetur *Liberatio*, patet a sequenti-

bus locis, Exod: III: 16. Cap: IV: 31. Jerem: XXVII: 22. Cap: XXIX: 10. Luc: I: 68. 78. Cap: XIX: 41. 42.

2243. Num secundum clamorem ejus, qui venit ad Me, fecerint consummationem, et si non, cognoscam, quod significet num malum ad summum pervenerit, constat ex significatione clamoris, quod sit falsum, de qua mox supra n: 2240; sunt duo genera falsi, ut ibi ad fin: dictum, nempe falsum quod ex malo, et falsum quod producit malum; falsum quod est ex malo, est omne quod cogitat homo dum in malo est, nempe quod favet malo, ut pro exemplo, cum in adulterio est, quod tunc cogitat de adulterio, quod licitum, quod decorum, quod jucundum vitae, quod procreatio sobolis inde promoveatur, et plura talia, illa sunt omnia falsa ex malo: falsum autem quod producit malum, est cum homo aliquod principium ex religioso suo capit, et inde credit quod sit bonum aut sanctum, cum tamen in se est malum, ut pro exemplo, qui ex religioso suo credit, quod aliquis homo possit salvare, et illum ideo colit et adorat, is ex falso illo facit malum; ita ex quovis alio religioso, quod in se est falsum; quia falsum est ex malo, et falsum producit malum, ideo hic clamor dicitur, ac ut commune quoddam significat id quod involvit, nempe malum, quod etiam patet ex eo, quod dicatur, num secundum clamorem *ejus*, qui venit ad Me, *fecerint* consummationem, ubi *ejus* clamor in singulari dicitur, et *fecerint* consummationem in plurali. Quid sit Consummatio, in Parte Prima n: 1857, ostensum est; praeterea quid Consummatio, comprehendi potest ab Ecclesiis; Antiquissima Ecclesia, quae Homo dicta, omnium coelestissima fuit, haec temporis tractu a bono amoris ita degeneravit, ut tandem nihil coeleste remanserit, et tunc fuit ejus Consummatio, quae describitur per statum eorum ante diluvium. Antiqua Ecclesia, quae post diluvium, et Noachus vocata est, et fuit minus coelestis, illa quoque temporis tractu a bono charitatis ita defecit, ut nihil charitatis remanserit, versa enim est partim in magiam, partim in idololatriam, partim in quoddam dogmaticum separatum a charitate, et tunc fuit ejus Consummatio. Successit alia Ecclesia, quae Hebraea vocata est, et adhuc minus coelestis et spiritualis fuit, in externis ritibus aliquem sanctum cultum ponens, haec temporis tractu varie deformata fuit, et cultus ille externus versus

est in idololatricum, et tunc fuit ejus Consummatio. Quarta Ecclesia dein restaurata fuit apud Jacobi posteros, quae nihil coeleste et spirituale habuit, sed modo repraesentativum ejus, quare illa Ecclesia erat Ecclesia repraesentativa coelestium et spiritualium, nam quid ritus repraesentabant et significabant, non sciebant; sed instituta fuit, ut usque aliquis nexus esset inter hominem et coelum, qualis est inter repraesentativa boni et veri et inter ipsum bonum et verum; haec Ecclesia in falsa et mala ita demum abivit ut omnis ritus factus sit idololatricus, et tunc fuit ejus consummatio; quare cum post Ecclesias ita successive decrescentes, in ultima prorsus disruptus esset nexus inter humanum genus et coelum, usque adeo, ut periisset humanum genus, quia nulla Ecclesia, per quam nexus et vinculum, videatur n: 468. 637. 931. 2054, tunc venit Dominus in mundum, et per unitionem Essentiae Divinae cum Humana in Se, conjunxit coelum cum terra, et simul tunc novam Ecclesiam quae dicta Ecclesia Christiana, instauravit, quae primitus in bono fidei fuit, ac inter se ut fratres in charitate vixerunt; sed haec temporis successu diversimode abscessit, et hodie talis facta, ut ne quidem sciant, quod fundamentale fidei sit amor in Dominum et charitas erga proximum, et tametsi ex doctrina dicant Dominum esse Salvatorem generis humani, eos resurrecturos post mortem, coelum et infernum esse, usque tamen pauci credunt; quia talis facta est haec Ecclesia, non procul est ejus consummatio. Ex his constare potest, quid Consummatio, nempe quod sit cum malum ad summum pervenit: similiter se habet in particulari, nempe apud unumquemvis hominem; sed quomodo se consummatio in particulari apud unumquemvis habeat, ex Divina Domini Misericordia, in sequentibus dicetur. In Verbo passim agitur de Consummatione, et describitur status, qui praecedit, per vastationem et desolationem, quam sequitur Visitatio.

2244. Vers: 22. *Et prospexerunt inde Viri, et iverunt versus Sodomam, et Abraham adhuc ille stans coram Jehovah.* Prospexerunt inde Viri, significat cogitationem Domini ex Divino: et iverunt versus Sodomam, significat de humano genere, quod in tanto malo: et Abraham adhuc ille stans coram Jehovah, significat cogitationem Domini ex humano quod adjunctum, modo ut supra dictum.

2245. Prospexerunt inde Viri, quod significet cogitationem Domini ex Divino, constat ex significatione prospicere, quod sit cogitare, videre enim in sensu interno, sicut in communi sermonis, est intelligere, est enim intellectus visus internus; ita prospicere est cogitare, quod est visus interni seu intellectus: tum ex significatione Virorum, quod sit Divinum: in hoc Capite passim Viri, passim pro Viris Jehovah nominatur, cum Viri, significatur Trinum, nempe Divinum Ipsum, Divinum Humanum, et Procedens; Cogitatio Domini ex hoc Divino significatur per quod prospexerunt inde Viri: cogitatio fuit ex Humano conjuncto cum Divino, de qua conjunctione in principio hujus Capitis actum, at Perceptio ex qua cogitatio fuit ex Divino, quare dicitur mox, in eodem hoc Versu, Jehovah, quod *stans ille coram Jehovah;* cumque Humanum conjunctum Divino etiam fuit una Procedens.

2246. Iverunt versus Sodomam, quod significet humanum genus quod in tanto malo, constat a significatione Sodomae, quod sit malum ex amore sui, de qua supra n: 2220, et prospicere ad facies Sodomae, quod sit ad statum generis humani, n: 2219: quod Sodoma significet statum humani generis quod in tanto malo, inde est, quia per Sodomam non intelligitur Sodoma, sed omnes illi in universo terrarum orbe, qui sunt in amore sui, et per descriptionem Sodomae repraesentatur status omnium qui in illo malo sunt, ut a sequentibus constare potest: quod amor sui sit omnium malorum fons, ita ipsum malum, constat ab iis quae de illo prius n: 2045. 2057. 2219, dicta et ostensa sunt; quare hic dicitur quod in tanto malo.

2247. Abraham adhuc ille stans coram Jehovah, quod significet cogitationem Domini ex Humano, quod adjunctum modo ut dictum, constat ex repraesentatione Abrahami in hoc Capite, quod sit Dominus quoad Humanum, et quod steterit coram Jehovah; inde sequitur absque explicatione, quod fuerit cogitatio ex Humano quod adjunctum, modo quo dictum in principio hujus Capitis, tum supra n: 2246. [17]

2248. Vers: 23. *Et accessit Abraham, et dixit, num etiam delebis justum cum impio.* Accessit Abraham, et dixit, significat cogitationem Domini ex Humano quae propius adjunxit se Divino: num etiam delebis justum cum impio, significat

dolorem Domini ex amore erga genus humanum, et intercessionem, quod usque bonum sit adjunctum, tametsi malum.

2249. Accessit Abraham et dixit, quod significet cogitationem Domini ex Humano quae propius adjunxit se Divino, sequitur ex illis quae praecedunt, ubi agitur de cogitatione Domini de genere humano, ita absque explicatione. Quod in hoc Capite in sensu interno tantum describatur status cogitationis et perceptionis Domini, et in principio tantum status conjunctionis Humani cum Divino Domini, quidem coram homine forte appariturum, sicut non foret tanti; sed usque maximi momenti est; nam coram Angelis, quibus sensus internus est Verbum, sistuntur haec ad vivum cum suis repraesentativis in pulcherrima forma, praeter innumerabilia, quae consequentia sunt, et similitudinem ducentia, de conjunctione Domini cum coelo, et receptione Divini Ipsius in eorum humano, ideae enim angelicae tales sunt, quod illa prae omni alio sapiant, ac ut amoenissima percipiant; inde etiam illustrantur et confirmantur magis et magis de unitione Humanae Domini Essentiae cum Divina, Angeli enim sunt qui homines fuerunt, et cum homines, non potuerunt aliter quam cogitare de Domino ut homine, et de Domino ut Deo, tum de Trino Divino, et sibi varias ideas, tametsi non sciverunt tunc quales, formare; arcana enim coelestia hoc secum habent, quae tametsi superant omnem captum, usque quisque de illis aliquam ideam sibi facit, nam nihil usquam memoria teneri potest, minus intrare in aliquid cogitationis, nisi per aliquam ideam utcunque formatam; et quia ideae non potuerunt aliter quam ex illis quae in mundo sunt, vel ex analogis eorum quae in mundo, formari, et tunc ex non intellectis fallaciae se insinuarunt, quae in altera vita cogitationis ideas tunc interiores abalienant a vero et bono fidei; ut talia discutiantur, tantum in hoc Capite, in sensu ejus interno, agitur de conjunctione Humani cum Divino Domini, deque Ipsius Perceptione et Cogitatione, et tunc, cum legitur Verbum, sistuntur illa ad perceptionem Angelorum ita, ut priores ideae ex alienis et inde nascentibus facile scrupulis formatae sensim dissipentur, et novae, quae luci veritatis, in qua Angeli, conformes sunt, insinuentur: haec magis apud angelos spirituales, quam coelestes; nam secundum purificationem idearum perficiuntur ad receptio-

nem coelestium; quod coelum non sit purum coram Domino, notum est; et quod continue perficiantur, verum est.

2250. Num etiam delebis justum cum impio, quod significet dolorem Domini ex amore erga genus humanum, et intercessionem, quod usque bonum sit adjunctum, tametsi malum, constare potest ex zelo amoris qui elucet, et magis in Vers: seq: 25, ubi dicitur, „ absit Tibi a faciendo secundum rem hanc, ad mori faciendum justum cum impio, et sit sic justus sicut impius, absit Tibi, num judex totius terrae non faciet judicium, " constat praeterea ex significatione Justi, quod sit bonum, de qua n: 612. 2235; et ex significatione Impii, quod sit oppositum justo, hoc est, oppositum bono, ita malum: patet etiam ex his verbis, tum a sequentibus hujus Capitis, quod sit Intercessio: Intercessio Domini pro humano genere, fuit tunc cum in mundo fuit, et quidem cum in statu humiliationis, tunc enim, ut prius dictum, loquutus est cum Jehovah sicut cum alio; at vero in statu Glorificationis, cum Essentia Humana Divinae unita facta, et illa quoque Jehovah, tunc non intercedit, sed miseretur, et ex Divino suo opem fert, et salvat; est ipsa Misericordia quae est Intercessio, nam illius essentia talis est.

2251. Vers: 24. *Forte sint quinquaginta justi in medio urbis, num etiam delebis, et non parces loco propter quinquaginta justos, qui in medio ejus.* Forte sint quinquaginta justi in medio urbis, significat quod vera possint esse plena bonis: num etiam delebis, et non parces loco propter quinquaginta justos qui in medio ejus, significat intercessionem ex amore, quod tunc non perirent.

2252. Quod forte sint quinquaginta justi in medio urbis, significet quod vera possint esse plena bonis, constat ex significatione Quinquaginta, quod sit plenum; ex significatione justi, quod sit bonum, de qua n: 612. 2235; ex medii, quod sit intus, n: 1074; et ex urbis quod sit verum, n: 402; ita quinquaginta justi in medio urbis, sunt in sensu interno, quod vera possint intus esse plena bonis: quod ille sensus in his verbis sit, nemo ex litera potest videre, nam historica sensus literalis prorsus aliunde, seu aliter cogitare, ferunt mentem, at usque quod haec verba ita percipiantur ab illis, qui in sensu interno sunt, pro certo scio; ipsi etiam numeri, ut hic quinquaginta, et in sequen-

tibus, quadraginta quinque, quadraginta, triginta, viginti et decem, ab illis, qui in sensu interno sunt, nusquam percipiuntur ut numeri, sed ut res aut status, ut n: 482. 487. [16] 575. 647. 648. 755. 813. 1963. 1988. 2075, ostensum est: Antiqui enim, Ecclesiae suae status etiam per numeros designabant, qui eorum computus qualis fuit, constare potest a significatione numerorum in locis citatis; numerorum significationem habuerunt ex repraesentativis, quae existunt in mundo spirituum, ubi cum aliquid apparet sicut numeratum, non significat aliquod determinatum per numeros, sed rem aut statum, ut constare potest ex illis quae allata sunt n: 2129 et 2130, tum n: 2089, de Duodecim, quod sint omnia fidei; similiter se habet cum numeris, qui nunc sequuntur; inde patet, quale est Verbum in sensu interno. Quod Quinquaginta significent *plenum*, est inde, quod sit numerus, qui sequitur post septem in septem, seu quadraginta novem, sic ut is sit Impletio eorum; quare in Ecclesia Repraesentativa septem sabbathorum festum erat die Quinquagesimo, et Jubilaeum anno Quinquagesimo; de septem Sabbathorum festo ita apud Mosen, „ Numerabitis vobis a crastino sabbathi, a die afferre vos manipulum motitationis, *septem sabbatha* integra erunt, usque ad a crastino Sabbathi Septimi, numerabitis *Quinquaginta dies*, et offeretis munus novum Jehovae," Lev: XXIII: 15: de Jubilaeo apud Eundem, „ Numerabis tibi septem Sabbatha annorum, septem annos septem vicibus, et erunt tibi dies septem sabbathorum annorum, *Novem et quadraginta* anni, et sanctificabitis *Annum Quinquagesimum*, et proclamabitis libertatem in terra omnibus habitatoribus ejus, Jubilaeus ille erit vobis," Levit: XXV: 8. 10: inde patet quod quinquagesimum sit plenum sabbathorum: praeterea, ubicunque nominantur Quinquaginta in Verbo, significant Plenum; ut quod recensiti Levitae a filio triginta annorum et supra, usque ad filium *Quinquaginta* annorum, Num: IV: 23. 35. 39. 43. 47. Cap: VIII: 25, [19] pro pleno seu ultimo statu obeundi tunc ministerii: quod „ vir concumbens cum puella virgine, daret patri puellae *Quinquaginta* argenti, et esset illi in uxorem, nec posset repudiare eam," Deut: XXII: 29; pro plena mulcta et plena restitutione: quod „ David Arafnae pro area, ubi altare Jehovae exstruxit, dederit *Quinquaginta* siclos argenti,"

II Sam: XXIV: 24; pro pleno pretio, et pleno empto: quod Absalom fecerit sibi currum et equos, et habuerit *Quinquaginta* viros currentes ante illum, II Sam: XV: 1: similiter Adonia currus et equites, et *Quinquaginta* viros currentes ante illum: I Reg: I: 5, pro plena excellentia et magnitudine; ab Antiquis enim habuerunt certos numeros repraesentativos et significativos, quos observabant, qui etiam in ritibus eorum mandati sunt, sed plerique nesciebant quid significarent; et sic quia *Quinquaginta* significant plenum, et is numerus etiam repraesentativus fuit, ut dictum, significatur per illum idem in parabola Domini de Oeconomo, qui dixit ad debitorem olei, „ quantum debes Domino meo, hic dixit, centum batos olei; tum dixit ei, sume syngrapham tuam, et sedens ocius scribe *Quinquaginta*, " Luc: XVI: 6, quinquaginta pro plena solutione; quia est numerus, quidem apparet, quod nihil praeter numerum involvat, cum tamen in sensu interno ubivis per illum numerum, plenum, sit intellectum: sicut etiam apud Haggaeum, „ Venit ad torcular ad hau- „ riendum *Quinquaginta* e torculari, fuit viginti, " II: 16, nempe quod pro pleno non fuerit multum; quinquaginta ibi apud Prophetam non dicta fuissent, nisi illa significavissent.

2253. Num etiam delebis, et non parces loco propter quinquaginta justos, qui in medio ejus, quod significet intercessionem ex amore, quod non perirent, constat ex significatione quinquaginta tum justi, ut et medii ejus seu urbis, de qua mox supra n: 2252, quae omnia involvunt intercessionem ex amore, et quod illi non perirent; quod intercessionem attinet, videatur supra n: 2250; quod ex amore etiam patet: apud Dominum, cum fuit in mundo, non fuit alia vita, quam vita amoris erga universum genus humanum, quod in aeternum salvare arderet; illa vita est ipsissima coelestis, per quam univit se Divino, et Divinum sibi; ipsum enim Esse seu Jehovah, non aliud est quam Misericordia, quae est amoris erga universum genus humanum; et vita illa fuit puri amoris, quae nusquam dabilis est apud aliquem hominem: qui nesciunt quid vita, et quod talis vita sit, qualis amor, id non capiunt: inde patet, quod quantum aliquis amat proximum, tantum a vita Domini habeat.

2254. Vers: 25. *Absit Tibi a faciendo secundum rem hanc, ad mori faciendum justum cum impio, et sit sic justus*

sicut impius; absit Tibi, num Judex totius terrae non faciet judicium. Absit Tibi a faciendo secundum rem hanc, significat horrorem Domini: ad mori faciendum justum cum impio, et sit sic justus sicut impius, significat quod bonum non mori possit, quia malum inde separari potest: absit Tibi, significat horroris gradum majorem: num Judex totius terrae non faciet judicium, significat quod Divinum bonum non possit secundum verum separatum a bono hoc facere.

2255. Absit Tibi a faciendo secundum rem hanc, quod significet horrorem Domini, constat absque explicatione.

2256. Quod ad mori faciendum justum cum impio, et sit sic justus sicut impius, significet quod bonum non mori possit, quia malum inde separari potest, constat ex significatione justi, quod sit bonum, ac impii quod sit malum, de qua supra n: 2250; inde ad mori faciendum justum cum impio, est bonum cum malo; haec, quia fieri non debent, tum quia id cogitare horrorem facit, removentur in sensu interno, et tunc sistuntur haec, quod bonum non mori possit, quia malum inde separari potest: quomodo haec se habent, paucis, si ullis, notum est; sciendum quod omne bonum, quodcunque cogitavit et fecit homo ab infantia usque ad ultimum vitae ejus, remaneat; similiter omne malum, adeo ut ne minimum ejus prorsus pereat; inscripta sunt ejus libro vitae, hoc est, ejus memoriae utrique, et ejus naturae, hoc est, ejus indoli et genio; ex illis vitam sibi formavit, ac ut ita dicatur, animam, quae talis post mortem; sed bona nusquam commiscentur ita cum malis, et mala cum bonis, quin separari possint; si enim commiscerentur, periret homo in aeternum; hoc providet Dominus; cum homo in alteram vitam venit, si in bonis amoris et charitatis vixit, tunc separat Dominus mala, et per bona apud eum elevat illum in coelum: si autem in malis vixit, nempe in contrariis amori et charitati, tunc separat Dominus bona ab illo, et mala eum ferunt in infernum; talis est sors cujusvis post mortem; sed est separatio, nusquam plenaria ablatio. Praeterea etiam, quia voluntas hominis, quae est altera pars vitae ejus, prorsus deperdita est, separat Dominus partem illam deperditam, a parte altera quae intellectualis ejus, et in hoc bonum charitatis, et per hoc novam voluntatem, apud illos qui regenerantur, implantat, hi sunt qui conscientiam ha-

bent; sic etiam Dominus in communi separat malum a bono: haec sunt arcana, quae in sensu interno intellecta sunt per quod bonum non possit mori, quia malum inde separari potest.

2257. Absit Tibi, quod significet horroris gradum majorem, nam iterum dicitur, ita hoc quoque nec eget explicatione.

2258. Quod num Judex totius terrae non faciet judicium, significet quod Divinum bonum non possit secundum verum separatum a bono hoc facere, constat a significatione Judicis totius terrae, tum a significatione judicii; Judex totius terrae in sensu interno significat ipsum bonum ex quo verum, quod etiam repraesentabatur per Sacerdotes qui simul Judices fuerunt, in Ecclesia repraesentativa, illi ut Sacerdotes repraesentabant Divinum bonum, ac ut Judices Divinum verum; at Judex totius terrae utrumque, et hoc ex significatione terrae, de qua in Parte Prima passim; sed haec confirmare nunc ex repraesentativis illius Ecclesiae, prolixum nimis foret: Judicium autem significat verum, ut supra n: 2235, ostensum; ex significatione horum, simul ac ex serie rerum in sensu interno, constare potest, quod num Judex totius terrae non faciet judicium, significet quod Divinum bonum non possit secundum verum separatum a bono hoc facere. Quomodo haec intelligenda, sciendum, quod duo sint, quae constituunt ordinem universi Coeli, et inde in Universo, nempe Bonum et Verum; Bonum est essentiale ordinis, cujus omnia sunt Misericordiae; Verum est secundarium ordinis, cujus omnia sunt veritates; Divinum bonum omnes judicat ad coelum; Divinum autem Verum omnes damnat ad infernum; quare nisi Misericordia Domini aeterna foret, quae est boni, omnes, quotcunque sunt, homines, damnati forent; id est quod significatur per quod Divinum bonum non possit secundum verum separatum a bono, hoc facere; videantur etiam quae de his in Parte Prima, n: 1728: quod tamen mali damnati sint ad infernum, hoc non est ex eo, quod Divinum bonum sit separatum a Divino vero, sed quia homo seipsum separat a Divino bono; Dominus enim nusquam aliquem in infernum demittit, sed homo semet, ut aliquoties prius dictum: tum quoque in eo Divinum bonum conjunctum est Divino vero, quod nisi separarentur mali a bonis, mali inferrent damnum bonis, et continue ordinem destruere conarentur; ita ne boni laedantur, est Misericordiae: se habet

hoc sicut in Regnis terrae, nisi mala punirentur, totum Regnum inficeretur malis, et sic periret, quare apud Reges et Judices plus misericordiae est punire mala, et eos e societate expellere, quam intempestiva clementia pro iisdem uti.

2259. Vers: 26. *Et dixit Jehovah, si invenero in Sodoma, quinquaginta justos in medio urbis, et parcam toti loco propter eos.* Dixit Jehovah, significat perceptionem: si invenero in Sodoma quinquaginta justos, significat, hic ut prius, si vera sint plena bonis: et parcam toti loco propter eos, significat quod salvabuntur.

2260. Dixit Jehovah, quod significet perceptionem, constat a significatione dicere Jehovah, in sensu historico, quod repraesentativum sit perceptionis Domini ex Divino; et quod sit quoddam sequens cogitationis inde, ac quoddam responsum; de dicere Jehovah, videatur quod supra n: 2238.

2261. Si invenero in Sodoma quinquaginta justos in medio urbis, quod significet si vera sint plena bonis, constat a significatione quinquaginta, quod sit plenum, et a significatione medii urbis, quod sit intus in vero, seu in vero, de qua supra, n: 2252, quae videantur, nam sunt eadem verba. Autumari potest, quod homo non possit non salvari, si vera sint plena bonis; sed sciendum, quod apud hominem paucissima vera sint, et si quae sunt, quod nullam vitam habeant, nisi in illis sint bona, et si in illis bona, quod salvetur, sed ex Misericordia; nam ut dictum, paucissima vera sunt apud hominem, et bona, quae in illis, secundum vera et vitam hominis, suam qualitatem habent. Vera in se spectata, non dant vitam, sed bona, sunt vera modo recipientia vitae, hoc est, boni; quare nusquam aliquis dicere potest, quod per vera, seu ut communis sermo est, per fidem solam, salvari possit, nisi in veris, quae sunt fidei, sit bonum; bonum, quod inerit, erit bonum charitatis, inde ipsa fides, in sensu interno, non aliud est quam charitas, ut supra n: 2231 ostensum; quod dicant, quod agnitio veri sit fides, quae salvat, sciendum quod apud eos, qui in contrariis charitati vivunt, nusquam dari queat agnitio, sed aliqua persuasio, cui adjuncta est vita amoris sui aut mundi, ita in agnitione illa non est vita fidei, quae est charitatis; omnium pessimi ex amore sui aut mundi, seu ex causa prae aliis eminendi intelligentia et sapientia, ut vocatur,

et sic aucupandi honores, famam, lucra, possunt arripere vera fidei, et illa multis confirmare, sed usque apud eos, vera illa sunt mortua: vita veri, ita fidei, unice est a Domino, qui est ipsa vita, vita Domini est Misericordia, quae est amoris erga universum genus humanum, ex vita Domini nusquam possunt habere illi, qui tametsi vera fidei profitentur, alios contemnunt prae se, et cum vita amoris sui et mundi eorum tangitur, odio habent proximum, et jucundum percipiunt in ejus opum, honoris, famae, et vitae, jactura: sed ita se habet cum veris fidei, quod per illa regeneretur homo, nam sunt ipsissima vasa recipientia boni; qualia itaque sunt vera, et qualia sunt bona in veris, et qualis conjunctio et inde facultas, ut illa perficiantur in altera vita, talis est status beatitudinis et felicitatis post mortem.

2262. Quod parcam toti loco propter eos, significet quod salvabuntur, sequitur ex serie, ut conclusum, ita absque explicatione: Locus significat statum, ut n: 1273. 1378, ostensum, ita hic pro urbe dicitur locus, ut significetur, quod, qui in tali statu sunt, salvarentur.

2263. Vers: 27. *Et respondit Abraham, et dixit, ecce quaeso suscepi ad loquendum ad Dominum meum, et ego pulvis et cinis.* Respondit Abraham, et dixit, significat cogitationem Domini ex humano: ecce quaeso suscepi ad loquendum ad Dominum meum, et ego pulvis et cinis, significat humiliationem humani quale esset respective.

2264. Respondit Abraham et dixit, quod significet cogitationem Domini ex humano, constat ex repraesentatione Abrahami in hoc Capite, quod sit Dominus quoad humanum, de qua aliquoties supra.

2265. Ecce quaeso suscepi ad loquendum ad Dominum meum, et ego pulvis et cinis, quod significet humiliationem humani, quale esset respective, [constat]: de statu Domini in humano, seu statu humiliationis Ipsius, et de statu Domini in Divino, seu glorificationis Ipsius, prius aliquoties actum est; tum quod in statu humiliationis loquutus cum Jehovah sicut cum alio, ut in statu glorificationis cum Se Ipso, videatur n: 1999: hic quia Abrahamus repraesentat Dominum in humano, ut dictum, in illo statu dicitur, quod humanum sit respective ad Divinum,

ut [20] pulvis et cinis, quare etiam status ille vocatur status Humiliationis; humiliatio est ex agnitione sui, quod respective talis sit. Per Humanum hic non intelligitur Humanum Divinum, sed humanum quod traxit a matre, quod prorsus expulit, et loco ejus induit Humanum Divinum; illud Humanum, nempe maternum, est, de quo hic praedicatur pulvis et cinis; videantur quae supra n: 2159, dicta sunt.

2266. Vers: 28. *Forte defuerint quinquaginta justis quinque, num disperdes in quinque totam urbem, et dixit, non perdam, si invenero ibi quadraginta quinque.* Forte defuerint quinquaginta justis quinque, significat si aliquid minus esset: num disperdes in quinque totam urbem, significat num pro parvo quod deest, peribit homo: et dixit, non perdam, si invenero ibi quadraginta quinque, significat quod non periret, si conjungi possint.

2267. Forte defuerint quinquaginta justis quinque, quod significet si aliquid minus esset, constat ex significatione quinque, quod sit parum, seu minus, de qua illius numeri significatione in Parte Prima n: 649; quid quinquaginta justi, supra n: 2252, ostensum est.

2268. Num disperdes in quinque totam urbem, quod significet num pro parvo quod deest, peribit homo, constat ex significatione quinque, quod sit parum, de qua mox supra; et ex significatione urbis, quod sit verum, de qua etiam prius: mens humana quoad vera in Verbo comparatur urbi, et appellatur quoque urbs; et quoad bona, quae in veris, comparatur habitatoribus ibi, et vocantur etiam habitatores; similiter enim se habent, si vera, quae in memoriis hominis, inque mentis ejus cogitationibus, sunt sine bonis, sunt sicut urbs sine incolis, ita vacua et inanis: imo etiam de Angelis praedicari potest, quod habitent quasi in veris hominis, et insinuent affectiones boni a Domino, cum homo in amore in Dominum, et in charitate erga proximum, vivit, nam ita delectantur habitare, hoc est, vivere apud tales homines: aliter apud eos, qui in veris aliquibus sunt, et in nullis bonis charitatis.

2269. Et dixit non perdam, si invenero ibi quadraginta quinque, quod significet, quod non periret si conjungi possint, constat ex significatione numeri quadraginta quinque, quod sit

conjunctio; ostensum prius est, quod numeri simplices significationem retineant, etiam cum multiplicantur, et sic majores numeri similem ac minores; ita quoque quadraginta quinque, qui numerus per multiplicationem compositus est ex quinque in novem, et quia compositus est ex quinque in novem, significat idem ac quinque et novem; quod quinque significent parum, n: 649 ostensum est, et quod novem conjunctionem seu conjunctum, n: 2075, ita hic si aliquantum bona sint conjuncta veris: quod Numeri in Verbo significent res aut status, constat ex illis, quae supra n: 2252, de Quinquaginta, dicta sunt, tunc ex illis quae de numeris prius n: 482. 487. 575. 647. 648. 755. 813. 1963. 1988, ostensa: quia quinque significant parum, et quadraginta quinque conjunctionem, ipsa expositio numerorum istorum in hoc Versu talis est; dicitur enim, *forte defuerint quinquaginta justis quinque*, quo significatur si aliquid minus esset; et dein, *num disperdes in quinque totam urbem*, quo significatur, num pro parvo quod deest, peribunt; quia enim quinque significant parum, non assumuntur dein quinque, sed dicitur, *non perdam si invenero ibi quadraginta quinque*, quo significatur quod non perirent, si conjungi possent; quod hic dicantur quadraginta quinque, et non, si desint quinque in quinquaginta, etiam causa est, quia quinque non solum significant parum, ut ostensum n: 649, sed etiam disjunctionem, ut quoque ostensum in Parte Prima, n: 1686, quare ne significaretur disjunctio, sed conjunctio, hic numerus, nempe quadraginta quinque, nominatur, nam quadraginta quinque est aliqua conjunctio, ut supra dictum; ita pulchre sequuntur singula in sua serie in sensu interno. Quod conjunctionem boni cum vero attinet, est arcanum, quod non ita describi potest, ut captu vulgari comprehendi queat; paucis modo dicendum; quo Verum magis genuinum est et purum, eo bonum quod a Domino, ei ut vasi recipienti melius inaptari potest; at quo verum minus genuinum et purum est, eo bonum a Domino minus inaptari potest, correspondebunt enim sibi mutuo, secundum correspondentiam fit conjunctio; bona nusquam possunt insinuari falsis, nec mala possunt veris, ut vasis recipientibus, nam sunt contrariae indolis et naturae, rejicit unum alterum ut suum inimicum; imo si conarentur se conjungere, exspueret

unum alterum, bonum nempe malum sicut venenum, et malum bonum sicut quoddam vomitale; talis inimicitia inter malum et bonum a Domino provisa est, ne unquam commiscerentur, nam si commiscerentur, periret homo: in dolosis et hypocritis non procul abest, quin conjuncta sint, sed usque a Domino praecavetur ne conjungantur; quae causa est, quod dolosi et hypocritae in altera vita prae omnibus aliis dira patiantur.

2270. Vers: 29. *Et addidit adhuc loqui ad Ipsum, et dixit, forte inventi fuerint ibi quadraginta, et dixit, non faciam propter quadraginta.* Addidit adhuc loqui ad Ipsum, significat cogitationem: et dixit, forte inventi fuerint ibi quadraginta, significat illos qui in tentationibus fuerint: et dixit, non faciam propter quadraginta, significat, quod salvabuntur.

2271. Addidit adhuc loqui ad Ipsum, quod significet cogitationem, constat a significatione loqui, in sensu interno; loqui seu loquutio non aliud est, quam illud, quod ex cogitatione fluit, et quia interna significantur per externa, sicut intelligere per videre, intellectus per oculum, obedientia per aurem, et sic porro, ita cogitare per loqui.

2272. Et dixit, forte inventi fuerint ibi quadraginta, quod significet qui in tentationibus fuerunt, constat a significatione numeri Quadraginta, quod sint tentationes, de qua in Parte Prima, n: 730. Quomodo haec in serie sequuntur, constare potest a tentationibus; Tentationes existunt ob finem, non solum ut confirmetur homo in veris, sed etiam ut vera bonis arctius conjungantur, pugnat enim tunc pro veris contra falsa; et quia tunc in interiori dolore est, et in cruciatu, jucunda vitae cupiditatum et inde voluptatum cessant, et tunc influunt bona a Domino, et tunc simul mala spectantur ut abominabilia, inde novae et prioribus contrariae cogitationes, ad quas postea flecti potest, et sic a malis ad bona, et haec conjungi veris; et quia per tentationes conjunctio boni cum vero fit, et in priori Versu dictum est, quod salvarentur ii, apud quos bona conjungi possunt veris, ideo hoc sequitur, et quidem ita, quod conjungi possint per tentationes; hic nexus rerum est illis, qui in sensu interno sunt.

2273. Quod dixit, non faciam propter quadraginta, significet quod salvabuntur, constat absque explicatione. De illis,

qui significantur per quadraginta quinque in Versu praecedente, dictum est, quod *non perdam* si invenero quadraginta quinque, et significatum, quod non perirent si bona veris conjungi possent; hic nunc sequitur de quadraginta, et dicitur, *non faciam* propter quadraginta, quo non significatur, quod salvarentur propter tentationes, nam quidam etiam tentationes subeunt, qui in iis succumbunt, ita non conjunguntur apud eos bona; imo nec propter tentationes salvatur homo, si aliquid meriti in iis ponit, nam si aliquid meriti in tentationibus ponit, est ex amore sui, quod se inde jactet, et credat se prae aliis meruisse coelum, et simul de praeeminentia sui prae aliis cogitat, contemnendo alios prae se, quae omnia amori mutuo et inde beatitudini coelesti contraria sunt; Tentationes, in quibus homo vincit, secum habent, quod omnes alios se digniores credat, et quod potius infernalis sit, quam coelestis, talia enim ei obveniunt in tentationibus; cum itaque post tentationes in contrarias illis cogitationes venit, indicium est, quod non vicerit, nam cogitationes quas habuit in tentationibus, sunt ad quas flecti possint cogitationes, quas habet post tentationes; et si hae ad illas non flecti possint, vel succubuit in tentatione, vel recurrit in similes, et quandoque in graviores, usque dum redactus sit ad illam sanitatem, quod credat se nihil meruisse: inde constat, quod per Quadraginta hic significentur illi, apud quos per tentationes bona conjuncta sint veris.

2274. Vers: 30. *Et dixit, ne quaeso succenseatur Domino meo, et loquar; forte inventi fuerint ibi triginta; et dixit, non faciam, si invenero ibi triginta.* Et dixit, ne quaeso succenseatur Domino meo, et loquar, significat anxietatem de genere humano: forte inventi fuerint ibi triginta, significat aliquid pugnae: et dixit, non faciam, si invenero ibi triginta, significat quod illi salvabuntur.

2275. Et dixit, ne quaeso succenseatur Domino meo, et loquar, quod significet anxietatem de statu generis humani, non ita ex verbis, sed ex affectione eorundem constare potest: sunt bina in sensu interno Verbi, nempe spirituale et coeleste; spirituale est, quod comprehendantur res abstracte a litera, quibus literalis sensus inservit pro objecto, sicut sunt illa quae videt oculus, cum inserviunt pro objectis cogitandi de sublimio-

ribus; coeleste est quod solum percipiatur affectio rerum, quae in sensu interno; in illo sunt angeli spirituales, in hoc autem Angeli coelestes; qui in hoc sunt, seu in affectione, percipiunt illico quid litera involvit, cum legitur ab homine, ex sola affectione, et ex ea formant sibi ideas coelestes, et hoc cum innumerabili varietate, et ineffabili modo secundum consensum succedentem coelestium amoris qui in affectione; inde constare potest, quid Verbum Domini in recessu habet: cum itaque haec leguntur, *ne quaeso succenseatur Domino meo, et loquar*, Angeli coelestes illico percipiunt anxietatem quandam, et quidem anxietatem amoris erga genus humanum, et simul tunc innumerabilia et ineffabilia de anxietate amoris, quae Domino, cum cogitavit de statu generis humani, illis insinuantur.

2276. Forte inventi fuerint triginta, quod significet aliquid pugnae, constat ex significatione Numeri Triginta: quod Triginta significent aliquid pugnae, ita parum pugnae, est inde, quia numerus ille per multiplicationem compositus est ex *Quinque*, quibus significatur aliquid parum, et ex *Sex*, quibus significatur labor seu pugna, ut in Parte Prima, n: 649. 737. 720. 900. 1709, ostensum est: inde etiam Numerus ille, ubicunque in Verbo legitur, significat aliquid parum respective, sicut apud Sachariam, „Dixi ad illos, si bonum in oculis vestris, date „mercedem, et si non, omittite, et appenderunt mercedem „meam, *Triginta argenteos;* et dixit Jehovah ad me, projice „illud ad figulum, magnificentiam pretii, qua aestimatus sum „ab apud eos; et sumsi *Triginta argenteos*, et projeci illud in „domum Jehovae ad figulum,“ XI: 12: 13; pro quod tam parum aestimaverunt Meritum Domini, ac Redemtionem et Salvationem ab Ipso; figulus pro reformatione et regeneratione: inde de iisdem Triginta argenteis apud Matthaeum, „Sumserunt *Triginta argenteos*, quem emerant a filiis Israëlis, et dederunt pro agro figuli, sicut praecepit mihi Dominus,“ XXVII: 10; ex quibus manifeste constat, quod Triginta ibi pro pretio aestimati parvo: aestimatio servi, qui pro vili habebatur, erat Triginta siclorum, ut constat apud Mosen, „Si servum ferierit „bos, aut ancillam, argentum Triginta siclorum dabit Domino „ejus, et bos lapidabitur,“ Exod: XXI: 32; quam vilis habebatur servus, constat ibi Vers: 20, 21; servus in sensu interno

pro labore: quod Levitae assumerentur ad obeundum ministerium, quod describitur per venientem ad exercendum militiam, et faciendum opus in tentorio, a filio *Triginta annorum* ad quinquaginta, Num: IV: 3. 23. 30. 35. 39. 43, erat quia per Triginta significabantur illi qui initiarentur, ita qui parum adhuc exercere militiam in spirituali sensu intellectam [21] possent; praeter alibi, ubi Triginta in Verbo nominantur; sicut quod offerrent super filium bovis mincham *tres decimas*, Num: XV: 9, quod erat qui sacrificium de bove repraesentabat bonum naturale, ut supra n: 2180, ostensum, et bonum naturale parum est respective ad bonum spirituale, quod repraesentabatur per sacrificium arietis, et adhuc minus respective ad bonum coeleste, quod repraesentabatur per sacrificium agni, circa quae alia ratio decimarum minchae fuit, ut constat ibi, Vers: 4: 5. 6: tum Num: XXVIII: 12. 13. 20. 21. 28. 29. Cap: XXIX: 3. 4. 9. 10. 14. 15; quae rationes decimarum, seu proportiones, nusquam mandatae fuissent, nisi involvissent arcana coelestia: Triginta pro parvo etiam apud Marcum, „Semen, quod cecidit in terram bonam, dedit fructum ascendentem, et crescentem, et tulit unum *Triginta*, et alterum *sexaginta*, et alterum *centum*," IV: 8, Triginta pro parvo proventu, et pro quod parum laboravit; numeri illi non designati fuissent, nisi involvissent illa, quae significant.

2277. Quod dixit, non faciam, si invenero ibi triginta, significat quod illi salvabuntur, constat ex serie rerum in sensu interno, absque explicatione.

2278. Vers: 31. *Et dixit, ecce quaeso suscepi ad loquendum ad Dominum meum, forte inventi fuerint ibi viginti, et dixit, non perdam propter viginti.* Dixit, ecce quaeso suscepi ad loquendum ad Dominum meum, significat, hic ut prius, Humani humiliationem coram Divino: forte inventi fuerint ibi viginti, significat si non aliquid pugnae, sed usque bonum: et dixit, non perdam propter viginti, significat quod salvabuntur.

2279. Dixit, ecce quaeso suscepi ad loquendum ad Dominum meum, quod significet humani humiliationem coram Divino, constat ex illis, quae supra n: 2265, dicta sunt, ubi eadem verba.

2280. Forte inventi fuerint ibi viginti, quod significet si

non aliquid pugnae, sed usque bonum, constat ex significatione viginti: sicut omnes numeri, qui in Verbo nominantur, significant res et status ut prius passim dictum et ostensum, videatur n: 2252; ita quoque Viginti, quae quid significant, constare potest a derivatione ejus, nempe a bis Decem: Decem in Verbo, sicut etiam Decimae, significant Reliquias, per quas significatur omne bonum et verum, quod Dominus apud hominem ab infantia usque ad ultimum ejus aetatis, insinuat, de quibus in Versu sequente; bis decem seu binae decimae, hoc est, viginti, simile significant, sed in superiori gradu, nempe bonum. Triplicis generis bona per Reliquias significantur, nempe Bona infantiae, Bona ignorantiae, et Bona intelligentiae; Bona infantiae sunt, quae insinuantur homini a prima ejus nativitate, usque ad aetatem, qua incipit instrui et aliquid scire; Bona ignorantiae sunt, quando instruitur, et aliquid scire incipit; Bona intelligentiae sunt, quando reflectere potest quid bonum et quid verum: Bonum infantiae est ab infantia hominis usque ad decimum annum aetatis ejus; Bonum ignorantiae ab hac aetate usque ad annum ejus vigesimum; ab hoc anno incipit homo rationalis fieri, et facultatem reflectendi super bonum et verum habere, et sibi bonum intelligentiae comparare: Bonum ignorantiae est, quod significatur per Viginti, quia illi, qui in bono ignorantiae sunt, non in aliquam tentationem veniunt, nemo enim tentatur priusquam reflectere potest, et percipere suo modo quid bonum et verum, de his qui bona acceperunt per tentationes, actum est in Versibus binis qui proxime praecedunt, de illis nunc in hoc Versu, qui non in tentationibus, et usque bonum habent: quia per Viginti significantur hi, qui hoc bonum, quod bonum ignorantiae vocatur, habent, inde est, quod omnes illi, qui exierunt Aegypto, recensiti sint a *filio viginti annorum* et supra, ac, ut dicitur, omnis exiens in exercitum, per quos intellecti illi, qui non amplius in bono ignorantiae essent, de quibus, Num: I: 20. 24. 26. 28. 30. 32. 34. 38. 40. 42. 45. Cap: XXVI: 4; et quod omnes illi, qui *supra viginti annos*, mortui sint in deserto, Num. [22] XXXII: 10. 11, quia illis imputari potuit malum, et repraesentabant eos, qui succumbunt in tentationibus: tum quod aestimatio facta sit masculi a filio quinque annorum, ad *filium viginti annorum*,

viginti sicli, Lev: XXVII: 5; et alia aestimatio a *filio Viginti annorum* ad sexaginta, quinquaginta sicli, ibid: Vers: 3: Cum bonis illis, nempe infantiae, ignorantiae et intelligentiae, ita se habet; Bonum intelligentiae est optimum, nam hoc est sapientiae; Bonum, quod praecedit, nempe ignorantiae, est quidem bonum, sed quia parum intelligentiae inest, non vocari potest bonum sapientiae; bonum autem infantiae est quidem in se bonum, sed usque est minus bonum quam priora, nam adhuc non adjunctum est ei aliquid verum intelligentiae, ita non factum aliquod bonum sapientiae, sed est modo planum ut fieri possit, cognitiones boni et veri faciunt, ut homo sicut homo sapiat: ipsa infantia, per quam significatur innocentia, non est infantiae, sed est sapientiae, ut melius constare potest ex illis, quae de infantibus in altera vita, ad finem hujus Capitis, dicentur: per Viginti in hoc Versu, non aliud bonum, ut dictum, significatur, quam bonum ignorantiae; quod bonum non solum praedicatur esse apud eos, qui sunt intra annum vigesimum, ut dictum, sed etiam apud omnes, qui in bono charitatis sunt, et simul in ignorantia veri, ut sunt illi intra Ecclesiam, qui in bono charitatis, nec sciunt quid verum fidei, ex quacunque causa, ut sunt perplurimi ex illis qui sancte de Deo, et bene de proximo cogitant; tum quoque sunt omnes extra Ecclesiam, qui Gentes appellantur, et similiter in bono charitatis vivunt; hi et illi, tametsi in veris fidei non sunt, usque, quia in bono, in facultate sunt recipiendi vera fidei, in altera vita, aeque ac infantes; intellectuale enim eorum nondum infectum est principiis falsi, nec voluntarium vita mali ita confirmatum quia ignorant quod falsum et malum; et charitatis vita secum habet, quod falsum et malum ignorantiae possit facile flecti ad verum et bonum; non ita apud eos, qui in contrariis vero se confirmarunt, et simul in contrariis bono vitam egerunt. Alioquin *binae decimae* in Verbo, bonum tam coeleste quam spirituale significant; bonum coeleste et inde spirituale per *duas decimas*, ex quibus unusquisque panis dispositionis et facierum, conficiebatur, Levit: XXIV: 5: et bonum spirituale per *duas decimas* minchae super sacrificium arietis, Num: XV: 6. Cap: XXVIII: 12. 20. 28. Cap: XXIX: 3. 9. 14; de quibus, ex Divina Domini Misericordia, alibi.

2281. Quod dixit, non perdam propter viginti, significet

quod salvabuntur, constat ex serie rerum in sensu interno, ita absque explicatione

2282. Vers: 32. *Et dixit, ne quaeso succenseatur Domino meo, et loquar tantum hac vice, forte inventi fuerint ibi decem, et dixit, non perdam propter decem.* Dixit, ne quaeso succenseatur Domino meo, et loquar tantum hac vice, significat anxietatem adhuc de statu generis humani: forte inventi fuerint decem, significat si reliquiae usque essent: et dixit, non perdam propter decem, significat quod salvabuntur.

2283. Dixit, ne quaeso succenseatur Domino meo, et loquar tantum hac vice, quod significet anxietatem adhuc de statu generis humani, constat ex affectione horum verborum, de qua supra n: 2275, ubi eadem verba.

2284. Forte inventi fuerint ibi decem, quod significet si reliquiae usque essent, constat a significatione numeri decem, quod sint reliquiae, de qua in Parte Prima, n: 576. 1738: quid autem Reliquiae sunt, in variis locis prius, ut n: 468. [23] 530. 560. 561. 660. 661. 1050. 1738. 1906, dictum et ostensum est, nempe quod sit omne bonum, et omne verum apud hominem, quod reconditum latet in ejus memoriis, et in ejus vita; notum est, quod nihil bonum, et nihil verum, nisi a Domino; tum quod bonum et verum continue a Domino apud hominem influat, sed quod recipiatur diversimode, et quidem hoc secundum vitam mali, et secundum principia falsi, in quibus se homo confirmavit, haec sunt quae bona et vera a Domino continue influentia vel exstinguunt, vel suffocant, vel pervertunt; ne itaque bona malis, et vera falsis commisceantur, si enim commiscerentur periret homo in aeternum, Dominus separat illa, et bona ac vera, quae accepit, recondit in interiore ejus homine, unde Dominus nusquam permittet ut prodeant, quamdiu in malo et falso est, sed tunc solum, cum in aliquo statu sancto est, vel in quadam anxietate, vel in morbis, et similibus; haec quae Dominus ita recondidit apud hominem, sunt quae vocantur reliquiae, quarum mentio plurima fit in Verbo, sed nondum alicui notum, quid [24] illa significent; homo secundum qualitatem et quantitatem reliquiarum, hoc est, boni et veri apud eum, fruitur beatitudine et felicitate in altera vita, nam, ut dictum, recondita sunt in interiore ejus homine, et

tunc patent, cum homo corporea et mundana reliquit: Dominus solus novit, quales et quantae hominis reliquiae sunt, homo nusquam hoc scire potest; nam hodie homo talis est, ut mentiri possit bonum, cum tamen intus nihil nisi malum est; tum quoque homo apparere potest sicut malus, cum tamen intus habeat bonum; quare nusquam homini licet judicare de altero, qualis ejus vita spiritualis est, solus enim Dominus, ut dictum, hoc novit; sed unicuique licet judicare de altero, qualis est quoad vitam moralem et civilem, hoc enim societatis interest: communissimum est, quod illi qui opinionem captarunt de aliquo vero fidei de aliis judicent, quod salvari nequeant, nisi similiter credant ac illi, quod tamen Dominus prohibuit, Matth: VII: 1. 2; cum tamen ex multa experientia mihi notum factum sit, quod ex omni religione salventur, modo per charitatis vitam reliquias boni et apparentis veri receperint; haec sunt, quae intellecta, per, si inventi fuerint decem quod non perderentur propter decem, quibus significatum, si reliquiae essent quod salvarentur. Charitatis vita est, bene cogitare de alio, et ei bene velle, et percipere apud se gaudium ex eo, quod alii etiam salventur; at charitatis vitam non habent, qui volunt quod nulli alii salventur, quam qui credunt sicut ii, et magis qui indignantur quod aliter sit: hoc constare potest solum ex eo, quod plures ex gentibus, quam ex Christianis, salventur; qui enim eorum bene cogitarunt de proximo, et ei bene voluerunt, melius, quam qui Christiani vocantur, vera fidei in altera vita recipiunt, et prae Christianis agnoscunt Dominum: Angelis enim nihil jucundius et felicius est, quam instruere illos, qui ex tellure in alteram vitam veniunt.

2285. Quod non perdam propter decem, significet quod salvabuntur, constat ex serie rerum in sensu interno, ita absque explicatione.

2286. Vers: 33. *Et ivit Jehovah, quando absolvit loqui ad Abrahamum; et Abraham reversus ad locum suum.* Ivit Jehovah, quando absolvit loqui ad Abrahamum, significat quod hic status perceptionis, in quo fuit Dominus, tunc absolverit talis esse: et Abraham reversus ad locum suum, significat quod Dominus in statum, in quo fuit antequam haec percepit, rediret.

2287. Quod ivit Jehovah, quando absolvit loqui ad Abrahamum, significet quod hic status perceptionis, in quo fuit Dominus, tunc absolverit talis esse, constat ex significatione loqui, et ex repraesentatione Abrahami; loqui in sensu interno significat cogitare, ut ostensum supra n: 2271, [25] hic autem percipere, quia praedicatur de Jehovah, quod absolverit loqui ad Abrahamum; cogitatio enim fuit ex perceptione, ut prius dictum, et perceptio ex interno Domini, quod fuit Jehovah: Abrahamus autem repraesentat in hoc Capite Dominum in statu humano, ut saepius supra dictum; inde constare potest quod per [26] ivit Jehovah, quando absolvit loqui ad Abrahamum, nihil aliud in sensu interno significetur, quam quod ille status perceptionis, in quo fuit Dominus, tunc absolverit esse. Causa, cur in hoc Capite tam multum in sensu interno agatur de Perceptione et Cogitatione Domini, videatur supra n: 2249.

2288. Quod Abraham reversus ad locum suum, significet quod Dominus in statum, in quo fuit antequam haec percepit, rediret, constat ex repraesentatione Abrahami in hoc Capite, quod sit Dominus in statu humano; et ex significatione Loci, quod sit status, de qua in Parte Prima, n: 1273. 1378; ita hic reverti ad locum suum, in sensu interno, est redire ad statum, in quo prius fuit. Quod bini status fuerint Domino, cum vixit in mundo, nempe status Humiliationis, et status Glorificationis, prius dictum et ostensum est; status Humiliationis Ipsius fuit cum in Humano quod traxit haereditario a matre; status Glorificationis cum in Divino, quod habuit a Jehovah Patre Ipsius; illum statum, nempe Humanum a matre prorsus exuit Dominus, et induit Humanum Divinum, cum transivit e mundo, et rediit ad Ipsum Divinum, in quo fuit ab aeterno, Joh: XVII: 5, una cum Humano Divino facto, ex quo utroque est Sanctum, quod universum Coelum implet; ita ex Divino Ipso, [et] Humano Divino per Sanctum procedens regit universum.

De Statu Infantum in altera vita.

2289. *Pro certo scire datum, quod omnes infantes qui moriuntur, in universo terrarum orbe, a Domino resuscitentur,*

et in coelum auferantur, et ibi apud Angelos, qui curam eorum habent, educentur, ac instruantur, tum sicut intelligentia et sapientia proficiunt, adolescant: exinde constare potest, quam immensum sit coelum Domini solum ex Infantibus; nam omnes illi instruuntur in veris fidei, et bonis amoris mutui, et fiunt angeli.

2290. *Qui nihil de statu vitae post mortem sciunt, opinari possunt, quod infantes, illico, dum in alteram vitam veniunt, in intelligentia et sapientia angelica sint; sed quod aliter se habeat, per multam experientiam instructus sum; qui non diu post nativitatem obeunt, sunt infantili mente paene sicut in terra, nec quicquam plus sciunt; modo enim secum habent facultatem sciendi, ex hac intelligendi, et ex hac sapiendi, quae facultas perfectior est, quia non in corpore sunt, sed sunt spiritus: quod tales sint, cum primum in coelum veniunt, non modo mihi dictum est, sed etiam ostensum; aliquibus enim vicibus, ex Divina Domini Misericordia, ad me Infantes in choris missi sunt, et concessum quoque praelegere illis Orationem Domini, et simul tunc datum percipere, quomodo Angeli, in quorum consortio fuerunt, in teneras et novitias illorum ideas, sensum rerum, quae in Oratione Domini, insinuarent, et illas, quantum recipere potuerunt, implere; et dein quomodo illis data copia cogitandi similia sicut ex se.*

2291. *Qualis illorum tener intellectus sit, etiam ostensum mihi, cum ego Orationem Domini orarem, et illi tunc in ideas cogitationis meae ex suo intellectuali influerent, quod tam tenerum fuit, ut vix illis aliquid praeter sensum verborum; sed usque quod ideae eorum in illa teneritudine essent apertiles usque ad Dominum, hoc est, usque a Domino; nam Dominus in Infantum ideas praeprimis ab intimis influit; nihil enim adhuc illorum ideas clausit, sicut apud adultos, nulla principia falsi ad intelligendum verum, nec vita mali ad recipiendum bonum, et sic ad sapiendum.*

2292. *Ex his constare potest, quod Infantes non illico post mortem in statum Angelicum veniant, sed quod per cognitiones boni et veri successive introducantur, et hoc secundum omnem ordinem coelestem; nam omnium minima eorum indolis ibi exquisitissime percipiuntur, et secundum omnia et sin-*

gula momenta eorum inclinationis aguntur ad recipiendum vera boni, et bona veri, et hoc sub continuo Domini auspicio.

2293. *Imprimis initiantur jugiter in id, quod non alium Patrem sciant, et dein agnoscant, quam solum Dominum, et quod ab Ipso vitam habeant; nam quod vitae sint, nempe vere humanae et angelicae, est ab intelligentia veri et sapientia boni, quam unice habent a Domino: inde est, quod non sciant aliter, quam quod nati sint in coelo.*

2294. *Pluries cum Infantes apud me fuerunt in choris, cum adhuc prorsus infantiles essent, auditi sunt sicut tenerum inordinatum, sic ut nondum sicut unum agerent, quemadmodum dein cum adultiores facti; et quod miratus, spiritus apud me non potuerunt se retinere, quin eos ducerent, nempe ad cogitandum et ad loquendum; innata est spiritibus talis cupido, sed observatum toties, quod infantes repugnarent, non volentes ita cogitare nec ita loqui; renuentiam et repugnantiam cum quadam specie indignationis, saepius appercepi, cumque illis datum esset aliquid copiae loquendi, dicebant modo* quod non ita sit; *instructus sum, quod talis sit Infantum tentatio in altera vita, ut adsuescant et inaugurentur non solum ad resistendum falso et malo, sed etiam ut non ab alio cogitent, loquantur et agant, ita non ab alio patiantur se duci, quam a solo Domino.*

2295. *Quando Infantes non in illo statu sunt, sed in interiore sphaera, nempe angelica, tunc nihil usquam infestari possunt a spiritibus, imo tametsi in medio eorum. Quandoque etiam Infantes, qui in altera vita sunt, a Domino mittuntur ad infantes in terra, tametsi infans in terra id prorsus nescit; his quam maxime delectantur.*

2296. *Quomodo omnia illis insinuantur per jucunda et amoena, quae genio eorum conveniunt, mihi etiam ostensum est; datum enim videre Infantes decoratissime amictos, circum pectus sertis florum ex amoenissimis et coelestibus coloribus splendescentium, et praeterea circum tenera eorum brachia: quondam etiam videre datum Infantes cum virginibus eorum educatricibus in horto paradisiaco, non ita ex arboribus, sed ex transtris quasi laureis, et sic porticibus, ornatissimo cum viis aditunm versus interiora; et ipsos Infantes*

similiter tunc amictos, et cum intrabant, floretum supra introitum laetissime exsplendescebat; inde quales illis delitiae, constare potest, tum quod per amoena et jucunda introducantur in bona innocentiae et charitatis, quae jucundis illis et amoenis jugiter a Domino insinuantur.

2297. *Praeterea Infantes, sicut perficiuntur, etiam circumdantur atmosphaeris secundum statum perfectionis eorum; quod atmosphaerae in altera vita dentur innumerabili varietate, et ineffabili pulchritudine, ab experientia videatur in Parte Prima, n:* 1621; *illis imprimis sistuntur atmosphaerae sicut ludentium Infantum in minimis inconspicuis, sed perceptibilibus modo intima idea formis, ex quibus ideam capiunt illam coelestem, quod omnia et singula circum eos vivant, et quod sint in vita Domini, quae intima eorum afficit felicitate.*

2298. *Ostensum mihi per modum communicationis in altera vita familiarem, quales Infantum ideae sunt, cum vident aliqua objecta, erant sicut omnia et singula viverent; sic ut in cogitationis suae ideis singulis haberent vitam: et perceptum, quod similes fere ideae sint infantibus in tellure, cum in suis lusoriis sunt, nam nondum iis reflexio qualis adultis, quid inanimatum.*

2299. *Instruuntur Infantes imprimis per repraesentativa geniis eorum adaequata, quae quam pulchra, et simul sapientia ab interiori plena sint, nusquam aliquis credere potest; ita illis insinuatur per gradus intelligentia, quae suam animam trahit a bono: unum solum Repraesentativum, quod videre datum, licet hic referre, ex quo concludi potest ad reliqua; repraesentabant Dominum e sepulchro ascendentem, et simul Humani Ipsius unitionem cum Divino, quod fiebat modo tam sapiente, ut excederet omnem sapientiam humanam, et simul modo innocente infantili; sistebant etiam ideam sepulchri, sed non simul ideam Domini nisi ita remote, ut vix perciperetur quod Dominus nisi quasi e longinquo, ex causa quia ideae sepulchri inest aliquid funeris, quod sic removebant: postea admittebant prudentissime in sepulchrum quoddam atmosphaericum apparens usque ut tenue aqueum, quo significabant, etiam per remotionem decentem, vitam spiritualem in*

baptismo: postea vidi repraesentari ab iis Domini descensum ad vinctos, et ascensum cum vinctis in coelum, et hoc incomparabili prudentia et pietate; et quod infantile erat, cum repraesentarent Dominum apud vinctos in inferiore terra, funiculos fere inconspicuos, molliusculos, et tenerrimos demittebant, quibus Dominum allevarent in ascensu; semper in sancto timore, ne quicquam in repraesentativo attingeret aliquid in quo non spirituale coeleste: praeter alia repraesentativa, in quibus sunt, et per quae in cognitiones veri, et affectiones boni, sicut per ludos infantum animis conformes, perducuntur.

2300. *Praeterea sunt Infantes diverso genio et diversa indole, et hoc ex haereditario, quod trahunt a parentibus, et per successionem ab avis et atavis; actuale enim parentum assuetudine confirmatum, induit naturam, et implantatur haereditario infantibus, inde illorum inclinationes diversae.*

2301. *In genere sunt Infantes genio vel coelesti vel spirituali; qui genio coelesti sunt, probe dignoscuntur ab illis qui genio spirituali; illi molliuscule cogitant, loquuntur et agunt, sic ut vix quidquam appareat nisi fluens quid ex amore boni in Dominum et erga infantes alios; hi autem non ita molliter, sed quoddam quasi allatum vibratile se manifestat in singulis illorum; tum etiam patet ab indignatione eorum; praeter alia; ita unusquisque infans ab alio quocunque diversae indolis est, et quisque secundum indolem educatur.*

2302. *Sunt certae et plures Societates Angelorum, quae curam habent Infantum, imprimis sunt ex sexu foeminino, quae in vita corporis eorum tenerrime amarunt infantes: Infantes, qui probiores aliis sunt, certo more offerunt Domino.*

2303. *Spiritus Angelici, qui superne antrorsum, mecum loquuti loquela angelica, non distincta in voces, dicentes quod status eorum esset status tranquillitatis pacis, et quod apud eos essent quoque infantes, et quod ab eorum consortio perciperent beatitudinem; erant quoque illi spiritus ex sexu foeminino. Loquuti porro de Infantibus in tellure, quod apud eos statim post nativitatem sint Angeli e coelo Innocen-*

tiae; succedente aetate angeli e coelo tranquillitatis pacis; postea qui e societatibus charitatis; et dein sicut innocentia et charitas apud infantes liberos decrescit, alii Angeli; et tandem cum adultiores fiunt, et intrant in vitam a charitate alienam, quod quidem Angeli adsint, sed remotius, et hoc secundum fines vitae, quos Angeli imprimis regunt, bonos jugiter insinuando, et malos avertendo; at quantum hoc possunt aut non possunt, propius aut remotius influunt.

2304. *Multi autumare possunt, quod Infantes maneant infantes in altera vita, et quod sint sicut infantes inter angelos; qui in ignorantia sunt quid Angelus, in opinione illa potuerint confirmari a simulachris hic et ibi in Templis, ac alibi, ubi Infantes ut Angeli exhibentur: sed res se prorsus aliter habet; intelligentia et sapientia facit angelum, quam quamdiu infantes nondum habent, sunt quidem apud Angelos, sed non sunt Angeli; cum vero intelligentes et sapientes facti sunt, tunc primum fiunt Angeli; imo, quod miratus, tunc non apparent sicut Infantes, sed sicut adulti; nam tunc non amplius infantili genio sunt, sed angelico adultiori; intelligentia et sapientia hoc secum habet, nam quod intellectus et judicium, et inde vita faciant, ut quisque appareat sibi et aliis sicut adultus, cuivis constare potest. Quod ita sit, non solum ab Angelis informatus sum, sed etiam cum quodam loquutus qui infans mortuus est, et dein usque ut adultus apparuit; idem quoque loquutus est cum fratre suo, qui in adulta aetate decessit, et hoc ex tanto amore fraterno mutuo, ut frater nequaquam potuisset resistere quin lachrymaret, dicens quod non aliud perceperit, quam quod ipse amor esset, qui loqueretur; praeter alia exempla, quae memorare non opus.*

2305. *Quidam sunt, qui autumant Innocentiam idem esse cum Infantia, ex causa quia Dominus de Infantibus dixit, quod talium sit coelum, et qui non fiunt sicut infantes, non possint intrare in Regnum coelorum; sed qui ita autumant, non sciunt internum sensum Verbi, et sic quid per Infantiam intelligitur; per infantiam intelligitur innocentia intelligentiae et sapientiae, quae talis est, ut agnoscant se a Domino solum vitam habere, et Dominum esse unicum eorum Patrem,*

nam quod homo sit homo, est ab intelligentia veri et sapientia boni, quam unice habent a Domino; ipsa Innocentia, quae vocatur in Verbo Infantia, nusquam est et habitat, quam in sapientia, usque adeo, ut quo sapientior quis est, eo sit innocentior; quare Dominus est Ipsa Innocentia, quia Ipsa Sapientia.

2306. *Quod infantum innocentiam attinet, illa, quia absque intelligentia et sapientia adhuc, est modo planum quoddam ad recipiendum genuinam Innocentiam, quam recipiunt secundum gradus prout sapientes fiunt. Repraesentatum est mihi, qualis est Innocentia infantum, per ligneum quoddam fere expers vitae, quod vivificatur, sicut per cognitiones veri et affectiones boni perficiuntur: et postea repraesentatum, qualis est genuina Innocentia, per pulcherrimum Infantem prorsus vivum, et nudum; ipsi enim Innocentes, qui sunt in intimo coelo, et sic proximi Domino, coram oculis aliorum Angelorum non apparent aliter ac Infantes, et quidem nudi, nam Innocentia repraesentatur per nuditatem quam non pudent, ut legitur de primo Homine et ejus uxore in Paradiso. Verbo, quo sapientiores Angeli, eo innocentiores, et quo innocentiores, eo plus apparent sibi sicut infantes; inde est, quod Innocentia in Verbo significetur per Infantiam: sed de Innocentiae statu, ex Divina Domini Misericordia, in sequentibus.*

2307. *Loquutus cum Angelis de Infantibus, num puri sint a malis, quia illis nullum actuale malum, sicut adultis; sed dictum mihi, quod illi aeque in malo sint, imo quod illi quoque nihil nisi malum sint, sed quod ii, sicut omnes Angeli, detineantur a malo, et teneantur in bono a Domino usque adeo, ut appareat iis sicut in bono ex se sint; quare etiam infantes, postquam adulti facti in coelo, ne in falsa opinione de se sint, quod bonum apud eos, sit ex iis, et non ex Domino, remittuntur quandoque in mala sua, quae haereditario acceperunt, et in illis relinquuntur, usque dum sciunt, agnoscunt, et credunt, quod ita se habeat: quidam etiam, qui infans mortuus, sed qui adolevit in coelo, in simili opinione fuit, quare in vitam malorum sibi innatam remissus, et tunc percipere mihi datum ex sphaera ejus, quod animum haberet*

imperandi aliis, et quod lasciva pro nihilo aestimaret, quae fuerunt mala ei haereditario ex parentibus; at postquam agnovit quod talis esset, tunc iterum receptus inter angelos, inter quos prius fuit.

2308. *Nusquam aliquis in altera vita luit poenam propter malum haereditarium, quia ejus non est, ita non in culpa quod talis sit; sed propter malum actuale, quod ipsius est, ita quoque quantum ex malo haereditario per actualem vitam sibi appropriavit, ut prius n:* 966, *dictum est: quod Infantes adulti facti remittantur in statum mali sui haereditarii, non est ideo ut poenam luant, sed ut sciant quod ex se non nisi malum sint, et quod ab inferno, quod apud eos, ex Misericordia Domini in coelum auferantur, et quod in coelo non sint ex merito sui, sed ex Domino; et sic ne ex bono, quod apud eos, se coram aliis jactent; nam hoc est contra bonum amoris mutui, sicut est contra verum fidei.*

2309. *Ex his, quae allata, constare potest, qualis est educatio Infantum in coelo, nempe quod per intelligentiam veri et sapientiam boni, introducantur in vitam angelicam, quae est amor in Dominum, et amor mutuus, in quibus est Innocentia: sed quam contraria sit Educatio Infantum in terra, apud plures, constare potuit ab unico hoc exemplo; eram in platea urbis magnae, et vidi puerulos inter se dimicantes, affluebat turba, quae hoc multa voluptate aspectabat, et instructus quod ipsi parentes excitent puerulos liberos ad tales pugnas; spiritus boni et angeli, qui illa per oculos meos videbant, illa ita aversabantur, ut horrorem perciperem, et maxime ex eo, quod parentes eos ad talia incitent; dicentes, quod sic in prima aetate exstinguant omnem amorem mutuum, et omnem innocentiam, quae Infantibus a Domino, et illos in odia et vindictas initient, consequenter quod liberos suos suo studio ex coelo excludant, ubi nihil nisi amor mutuus: caveant itaque a talibus parentes, qui infantibus suis bonum volunt.*

Ad finem Capitis praecedentis XVII Genes: *agitur de* ultimo Judicio, *ad finem hujus Capitis* XVIII Genes: *de* statu infantum in altera vita, *utrumque ab experientia illorum, quae visa et audita sunt in mundo spirituum et coelo angelorum.*

FINIS.



PARS SECUNDA.

LIBRI GENESEOS

CAPUT DECIMUM NONUM.

2310. De Sensu Interno Verbi pluries prius actum est; sed scio, quod pauci possint credere, quod talis sensus sit in singulis Verbi, non solum in Propheticis, sed etiam in Historicis: quod talis sensus sit in *Propheticis*, facilius credi potest, quia in illis non talis series est, et simul in illis sunt loquutiones peregrinae; inde quod aliquod arcanum involvant, quisque autumare potest: sed quod similiter in *Historicis*, non ita facile apparet, tam quia hactenus nemini in mentem venit, quam quia Historica talia sunt, ut animum detineant in se, et sic abstrahant mentem ad cogitandum quod altius quoddam ibi reconditum sit; tum quoque quia Historica vere talia sunt, qualiter relata: at usque nullus non concludere potest, quod interius etiam in illis coeleste et Divinum sit, quod non elucet, ex eo *Primo*, quod Verbum sit a Domino per coelum ad hominem demissum, et sic quod aliud sit in sua origine; qualis origo sit, et quod haec differat et distet a literali sensu ita, ut ne quidem videatur, proinde ab illis qui mere mundani sunt, non agnoscatur, multis in sequentibus ostendetur: *Secundo*, quod Verbum, quia Divinum, non solum scriptum sit pro homine, sed etiam pro Angelis apud hominem, ut inserviat, non modo usui Generi Humano, sed etiam usui Coelo; et quod sic Verbum sit Medium uniens Coeli et Terrae; unio est per Ecclesiam, et quidem per Verbum in Ecclesia, quod ideo tale est, et ab omni alio scripto

distinguitur. Quod in specie Historica attinet, nisi ea similiter Divina et Coelestia abstracte a litera continerent, nusquam agnosci potuissent ab aliquo, qui ultra cogitat, pro Verbo inspirato, et hoc quoad unamquamvis jotam; an quisquam diceret, quod memoraretur in Divino Verbo de re abominabili filiarum Lothi, de quibus ad finem hujus Capitis; de Jacobo, quod baculos decorticaverit et denudaverit ad album, et posuerit in aqualiculis, ut pareret grex diversicolores, punctatos et maculosos, praeter plura alia in Libris caeteris Mosis, in Josuae, Judicum, Samuelis, et Regum, quae nullius rei forent, et perinde si scirentur vel non scirentur, nisi Divinum arcanum altius involverent; nisi hoc, nihil differrent ab historicis aliis, quae quandoque ita scripta sunt, ut plus videantur posse afficere. Quia Orbis Eruditus ignorat, quod Divina et coelestia intus etiam in Historicis Verbi lateant, nisi foret ex sancta veneratione quae ab infantia illis pro Libris Verbi impressa est, etiam facile animo dicerent, quod Verbum non sit sanctum, nisi solum inde, cum tamen non inde est, sed quia sensus internus, et is coelestis et Divinus, inest, qui facit ut uniat Coelum cum Terra, hoc est, mentes angelicas cum humanis, et sic has cum Domino.

2311. Quod Verbum tale sit, et sic distinctum ab omni alio scripto, constare potest etiam ex eo, quod non solum omnia Nomina significent res, ut ostensum prius n: 1224. 1264. 1876. 1888, sed etiam omnes Voces sensum spiritualem habeant, ac ita quod aliud significent in Coelo, quam in terra, et hoc constantissime tam in Propheticis quam in Historicis; quae Nomina et quae Voces cum in sensum coelestem, secundum significationem eorum in toto Verbo constantem, exponuntur, prodit Sensus Internus, qui est Verbum Angelicum: duplex hic sensus Verbi se habet instar Corporis et Animae, Sensus literalis est instar corporis, et Sensus Internus instar animae; et sicut corpus per animam vivit, ita Sensus literalis per internum, per hunc vita Domini influit in illum, secundum affectionem illius qui legit: inde patet, quam sanctum sit Verbum, tametsi coram mundanis mentibus non ita apparet.

CAPUT XIX.

1. Et venerunt duo Angeli Sodomam in vespera, et Loth sedens in porta Sodomae, et vidit Loth, et surrexit obviam illis, et incurvavit se facies in terram.

2. Et dixit, ecce quaeso, Domini mei, declinate quaeso ad domum servi vestri, et pernoctate, et lavate pedes vestros, et mane surgatis, et eatis in viam vestram; et dixerunt, non, quia in platea pernoctabimus.

3. Et urgebat eos valde, et declinaverunt ad eum, et venerunt ad domum ejus, et fecit eis convivium, et azyma coxit, et comederunt.

4. Vix adhuc cubuerunt, et viri urbis, viri Sodomae, circumdederunt domum, a puero et usque ad senem, omnis populus ab extremo.

5. Et clamaverunt ad Loth, et dixerunt ei, ubi Viri qui venerunt ad te noctu, educ eos ad nos, et cognoscamus eos.

6. Et exivit ad eos Loth ad januam, et ostium clausit post se.

7. Et dixit, ne quaeso, fratres mei, malefaciatis.

8. Ecce, quaeso, mihi duae filiae, quae non cognoverunt virum, educam, quaeso, eas ad vos, et faciatis eis sicut bonum in oculis vestris; tantum Viris illis ne faciatis quicquam, quia propterea venerunt in umbram trabis meae.

9. Et dixerunt, accede ultra, et dixerunt, num unus venit ad peregrinandum, et judicabit judicando, nunc malefaciemus tibi prae illis, et urserunt in virum, in Loth valde, et accesserunt ad effringendum ostium.

10. Et emiserunt Viri manum suam, et introduxerunt Lothum ad se in domum, et ostium clauserunt.

11. Et viros, qui januae domus, percusserunt caecitatibus, a parvo et usque ad magnum, et laboraverunt ad inveniendum januam.

12. Et dixerunt Viri ad Lothum, adhuc quis tibi hic, generum, et filios tuos, et filias tuas, et omnem qui tibi in urbe, educ e loco.

13. Quia perdentes Nos locum hunc, quia magnus factus est clamor eorum coram Jehovah, et misit Nos Jehovah ad perdendum eum.

14. Et exivit Loth, et loquutus est ad generos suos accipientes filias suas, et dixit surgite, exite e loco isto, quia perdens Jehovah urbem; et fuit sicut ludens in oculis generorum ejus.

15. Sicuti aurora ascendit, et ad festinandum adigebant Angeli Lothum, dicendo, surge, accipe uxorem tuam, et duas filias tuas inventas, ne forte consumaris in iniquitate urbis.

16. Et moratus, et apprehenderunt Viri manum ejus, et manum uxoris ejus, et manum duarum filiarum ejus, in clementia Jehovae super eum, et eduxerunt eum, et statuerunt eum extra urbem.

17. Et fuit, cum educerent ii illos foras, et dixit, eripe te super anima tua, ne respicias post te, et ne consistas in omni planitie, in montem eripe te, ne forte consumaris.

18. Et dixit Loth ad eos, ne quaeso, Domini mei.

19. Ecce, quaeso, invenit servus tuus gratiam in oculis tuis, et magnam fecisti misericordiam tuam, quam fecisti mecum, ad vivificandum animam meam, et ego non potero eripere me in montem, ne forte adhaereat mihi malum, et moriar.

20. Ecce, quaeso, urbs haec propinqua ad fugiendum illuc, et ea parva, eripiam me quaeso illuc, annon parva ea, et vivat anima mea.

21. Et dixit ad eum, ecce acceptavi faciem tuam etiam quoad verbum hoc, quod non evertam urbem, de qua loquutus.

22. Festina, eripe te illuc, quia non possum facere quicquam usque venire te illuc; propterea vocavit nomen urbis Zoar.

23. Sol egressus super terram, et Loth venit Zoarem.

24. Et Jehovah pluere fecit super Sodomam et super Amoram sulphur et ignem a cum Jehovah e coelo.

25. Et evertit urbes illas, et omnem planitiem, et omnes habitatores urbium, et germen agri.

26. Et respexit uxor ejus post eum, et facta statua salis.

27. Et surrexit Abraham in matuta, ad locum quo steterat ibi coram Jehovah.

28. Et prospexit contra facies Sodomae et Amorae, et contra omnes facies terrae planitiei, et vidit, et ecce ascendit fumus terrae, sicut fumus fornacis.

29. Et fuit in perdendo Deus urbes planitiei, et recordatus

est DEUS Abrahami, et emisit Lothum e medio eversionis, in evertendo urbes, in quibus habitavit Loth.

30. Et ascendit Loth e Zoar, et habitavit in monte, et duae filiae ejus cum eo, quia timuit habitare in Zoar, et habitabat in spelunca is et duae filiae ejus.

31. Et dixit Primogenita ad minorem, pater noster senex, et vir nullus in terra, ad veniendum ad nos, secundum viam totius terrae.

32. Veni, propinemus patri nostro vinum, et cubemus cum eo, et vivificemus de patre nostro semen.

33. Et propinaverunt patri suo vinum in nocte illa, et venit primogenita, et cubuit cum patre suo, et non cognovit in cubare ejus et in surgere ejus.

34. Et fuit a crastino, et dixit primogenita ad minorem, ecce cubui heri cum patre meo, propinemus ei vinum etiam nocte hac, et veni, cuba cum eo, et vivificemus de patre nostro semen.

35. Et propinaverunt etiam in nocte illa patri eorum vinum, et surrexit minor, et cubuit cum eo, et non cognovit in cubare ejus, et in surgere ejus.

36. Et conceperunt binae filiae Lothi de patre suo.

37. Et peperit primogenita filium, et vocavit nomen ejus Moab, is pater Moabi usque ad diem hunc.

38. Et minor etiam illa peperit filium, et vocavit nomen ejus Benammi, is pater filiorum Ammonis usque ad diem hunc.

CONTENTA.

2312. IN hoc Capite, in Sensu Interno, per Loth describitur Status Ecclesiae Spiritualis, quae in bono charitatis est, sed in cultu externo, quomodo illa progressu temporis decrescit.

2313. *Primus Status* Ecclesiae illius, quod in bono charitatis sint, et Dominum agnoscant; et quod ab Ipso in bono confirmentur, Vers: 1. 2. 3. et salventur, Vers: 12. *Secundus Status*, quod apud eos mala incipiant agere contra bona, at quod detineantur potenter a malis, et teneantur in bonis, a Domino, Vers: 14. 15. 16. Imbecillitas eorum describitur, Vers: 17: quod salventur, Vers: 19. *Tertius Status*, quod

non amplius ex affectione boni, sed ex affectione veri, cogitent et agant, Vers: 18. 19. 20; et quod salventur, Vers: 23. *Quartus Status*, quod affectio veri pereat, quod est uxor Lothi facta statua salis, Vers: 26. *Quintus Status*, quod bonum impurum seu bonum falsi succedat, quod est Loth in spelunca montis, Vers: 30. *Sextus status*, quod etiam hoc bonum adhuc magis adulteretur et falsificetur, Vers: 31. 32. 33. Pariter verum, Vers: 34. 35. Quod inde concipiatur et nascatur quoddam instar Ecclesiae, cujus bonum ita vocatum est Moab, et cujus verum etiam ita vocatum est filius Ammonis, Vers. 36. 37. 38. [1]

2314. Porro in Sensu Interno per Habitatores Sodomae describitur Status eorum intra eandem Ecclesiam, qui contra bonum charitatis sunt; et quomodo malum et falsum apud eos progressu temporis accrescit, usque dum iis nihil nisi malum et falsum.

2315. *Primus Status* eorum, quod contra bonum charitatis sint, et contra Dominum, Vers: 4. 5. *Secundus Status*, quod tametsi informati de bono charitatis, et de affectionum ejus jucundis, quibus fruituri, usque obstinent se, et bonum rejiciant, Vers: 6. 7. 8. Quod etiam ipsum bonum charitatis destruere conentur; sed quod Dominus illud tutetur, Vers: 9. 10. *Tertius Status*, quod tandem tales fiant, ut ne quidem videre possint verum et bonum, minus quod verum ducat ad bonum, Vers: 11. Quod sic [2] occupati a malo et falso, ut non possint non perire, Vers: 13. *Quartus Status*, Interitus eorum, Vers: 24: Et quod ab iis separentur omnia bona et vera, Vers. 25. [3]

2316. Quod boni a malis separentur, et quod boni salventur, per Humanum Domini factum Divinum, Vers: 27. 28. 29.

SENSUS INTERNUS.

2317. Vers: 1. *Et venerunt duo Angeli Sodomam in vespera, et Loth sedens in porta Sodomae, et vidit Loth, et surrexit obviam illis, et incurvavit se facies in terram.* Venerunt duo Angeli Sodomam in vespera, significat visitationem, quae praecedit judicium; duo Angeli, significant Divinum Hu-

manum et Sanctum procedens Domini, cui judicium; Sodoma malos, imprimis qui intra Ecclesiam; Vespera est tempus visitationis: et Loth sedens in porta Sodomae, significat illos qui in bono charitatis, at in cultu externo, qui hic sunt Loth; qui inter malos, sed separati ab illis, quod est sedere in porta Sodomae: et vidit Loth, significat conscientiam eorum: et surrexit obviam illis, significat agnitionem, et charitatis affectum: et incurvavit se facies ad terram significat humiliationem.

2318. Venerunt duo Angeli Sodomam vespera, quod significet visitationem quae praecedit judicium, constare potest ab illis quae a tribus Viris seu Jehovah dicta sunt in Capite praecedente; tum ab illis quae in hoc Capite sequuntur; ut et a significatione vesperae: in Capite praecedente dixit Jehovah, „Descendam et videbo, num secundum clamorem, qui venit ad Me, fecerint habitatores Sodomae et Amorae consummationem, et si non, cognoscam," Vers: 20. 21; per quae verba quod significetur Visitatio, quae praecedit judicium, ibi ostensum est: in hoc Capite describitur ipse Visitationis actus, dein Judicium, ut a sequentibus patet: quod Vespera significet tempus visitationis, videbitur infra: quid Visitatio, et quod Visitatio praecedat Judicium, videatur n: 2242. In Capite praec: actum est de statu perverso Generis humani, et de dolore ac intercessione Domini pro illis qui in malo, sed usque in aliquo bono et vero; quare nunc sequitur de salvatione eorum, qui in aliquo bono et vero sunt, hi sunt qui in hoc capite repraesentantur per Lothum; tum simul de interitu eorum qui prorsus in malo et falso sunt, hi sunt qui hic significantur per Sodomam et Amoram.

2319. Duo Angeli, quod significent Divinum Humanum et Sanctum procedens Domini, Cui judicium, constat tam a significatione Angelorum in Verbo, quam ex eo quod hic duo Angeli dicantur: quod Angeli in Verbo significent quoddam essentiale Divinum apud Dominum, sed quid, ex serie, constare posse, prius n: 1925, ostensum est; quod hic significent Divinum Humanum et Sanctum procedens Domini, ex eo patet, quia per tres Viros, qui fuerunt apud Abrahamum, intellectum est Divinum Ipsum, Humanum Divinum et Sanctum procedens Domini, n: 2149. 2156. 2288; inde, et ex eo quod Jehovah di-

cantur, Vers: 24, tum ex significatione Angelorum, n: 1925, liquet, quod per duos Angelos hic intelligatur Divinum Humanum et Sanctum procedens Domini.

2320. Cur hic modo bini Angeli essent, cum apud Abrahamum tres Viri, est arcanum quod paucis non potest exponi; constare potest aliquatenus ex eo, quod in hoc Capite agatur de Judicio, nempe de Salvatione Fidelium, et Damnatione Infidelium; et ex Verbo constat, quod Divino Humano et Sancto procedenti Domini, sit judicium; quod Divino Humano, apud Johannem, „Non Pater judicat quemquam, sed judicium omne dedit Filio," V: 22, per Filium intelligitur Divinum Humanum, videatur n: 2159: quod Sancto procedenti a Domini Divino Humano judicium, etiam apud Johannem, „Si abivero, mittam „Paracletum ad vos; cumque venerit Ille, arguet mundum de „peccato, et de justitia, et de judicio," XVI: 8: et quod Sanctum procedat a Domino, apud Eundem, „Non loquetur ex se, „sed de Meo accipiet, et annuntiabit," XVI: 13. 15; et hoc cum Humanum Divinum factum, hoc est, cum Dominus glorificatus est, apud Eundem, „Nondum erat Spiritus Sanctus, quia Jesus nondum glorificatus est," VII: 29.

2321. Quod judicium sit Divino Humano et Sancto procedenti Domini, ita se habet; quod salvari non potuerit Genus humanum amplius, nisi Dominus venerit in mundum, et univerit Essentiam Divinam Essentiae Humanae; nam absque Humano Domini Divino facto non ad hominem magis pertingere potuit salus, n: 1990. [4] 2016. 2034. 2035: ipsum Sanctum procedens a Divino Humano Domini, est quod separat malos a bonis, mali enim timent et horrent adeo Sanctum Domini, ut non approximare possint ad illud, sed inde longe fugiunt, quisque secundum prophanum apud illos, in sua inferna.

2322. Quod Sodoma significet malos, inprimis qui intra Ecclesiam, constat a significatione Sodomae, quod sit malum amoris sui, de qua n: 2220. 2246, proinde quod sint illi, qui in isto malo sunt Qui Verbum ex solo sensu literae capiunt, putare possunt, quod per Sodomam intelligatur foeditas, quae contra naturae ordinem est, sed in sensu interno per Sodomam significatur malum amoris sui, ex hoc malo omnia mala cujuscunque generis scaturiunt; et quae inde scaturiunt, vocantur

in verbo adulteria, et describuntur per illa, quod constabit ab illis locis Verbi, quae ad finem hujus Capitis adducentur.

2323. Quod Vespera sit tempus visitationis, constat a significatione Vesperae: Status Ecclesiae in Verbo comparantur et temporibus Anni, et temporibus Diei; temporibus Anni, nempe ejus aestati, autumno, hyemi, et veri; temporibus Diei, nempe ejus meridiei, vesperae, nocti et mane; similiter enim se habent: status Ecclesiae, qui Vespera dicitur, est cum nulla amplius charitas, proinde cum nulla fides incipit esse, ita cum Ecclesia desinit esse; haec Vespera est quam sequitur nox, videatur n: 22; et est quoque cum Charitas elucet, proinde cum fides, ita cum Ecclesia nova, exoritur, haec Vespera est diluculum ante mane, videatur n: 883; ita Vespera significat utrumque: providetur enim a Domino, cum Ecclesia desinit esse, quod nova exoriatur, et hoc eodem tempore, nam absque Ecclesia alicubi in orbe, non subsistere potest Genus humanum, quia nulla foret ejus conjunctio cum Coelo, ut n: 468. 637. 931. 2054, ostensum est. In hoc Capite agitur de utroque statu Ecclesiae, nempe de ortu novae Ecclesiae, quae repraesentatur per Lothum, ac de interitu veteris, quae significatur per Sodomam et Amoram, ut constare potest a Contentis; inde est, quod hic dicatur, quod duo Angeli venerint Sodomam in Vespera; et quod memoretur, quid factum in Vespera, a Vers: 1 ad 3, quid in Nocte a Vers: 4 ad 14, quid Mane seu surgente Aurora a Vers: 15 ad 22, et quid postquam Sol egressus a Vers: 23 ad 26. Quia Vespera illos status Ecclesiae significat, etiam significat Visitationem quae praecedit judicium, nam cum imminet judicium, hoc est, salvatio fidelium, et damnatio infidelium, tunc praecedit Visitatio seu exploratio quales sunt, hoc est, num aliqua charitas et fides; haec Visitatio fit in Vespera, quare etiam ipsa Visitatio vocatur Vespera, ut apud Zephaniam, „Vae habitatoribus tractus maris, genti Kerethim, verbum Je„hovae contra vos, Canaan, terra Philistaeorum, et perdere „faciam te, usque ut nullus habitator; reliquiae domus Jehudae „pascent in domibus Askelonis, in *Vespera* cubabunt, quia „*Visitabit* eos Jehovah Deus eorum, et reducet captivitatem „eorum," II: 6. 7.

2324. Et Loth sedens in porta Sodomae, quod significet

illos qui in bono charitatis sunt, at in cultu externo, qui hic sunt Loth, qui inter malos, sed separati ab illis, quod est sedere in porta Sodomae, constare potest a repraesentatione Lothi, et a significatione portae, tum Sodomae: a repraesentatione Lothi, Loth, quando fuit cum Abrahamo, repraesentavit Sensuale Domini, ita Ipsius Externum, ut in Parte Prima, n: 1428. 1434. 1547, ostensum; nunc cum separatus est ab Abrahamo, non amplius retinet repraesentationem Domini, sed repraesentationem eorum, qui apud Dominum sunt, nempe Externum hominem Ecclesiae, qui sunt illi qui in bono charitatis sunt, at in cultu externo; imo Loth in hoc Capite non solum repraesentat Externum hominem Ecclesiae, seu quod idem, Ecclesiam Externam, qualis est in principio, sed etiam qualis est in progressu, tum quoque in fine, finis illius Ecclesiae est, qui significatur per Moabum et Filium Ammonis, ut a sequentium serie, ex Divina Domini Misericordia, constabit; in Verbo commune est, quod unus repraesentet plures status qui succedunt, qui describuntur per vitae ejus successivos actus. A significatione Portae, porta est per quam intratur in urbem, et per quam exitur ab urbe, proinde sedere in porta significat hic quidem esse apud malos, sed usque separatum esse ab illis; sicut solent homines Ecclesiae, qui in bono charitatis sunt, ii tametsi cum malis sunt, usque sunt ab illis separati, non quoad societatem civilem, sed quoad vitam spiritualem. Quod Sodoma significet malum in genere, seu quod idem, malos, imprimis intra Ecclesiam, supra n: 2322, dictum.

2325. Et vidit Loth, quod significet conscientiam, nempe eorum qui in bono charitatis sunt, at in cultu externo, constare potest a significatione Videre; videre in Verbo significat intelligere, videatur n: 897. 1584. 1806. 1807. 2150; in sensu autem interno significat fidem habere, de qua ejus significatione, ex Divina Domini Misericordia, ad Vers: 32, Cap: XXIX Genes: dicetur: quod hic Conscientiam, inde est, quia qui fidem, etiam conscientiam habent, illa ab hac inseparabilis est, et quidem ita inseparabilis, ut sive dicas fidem, sive conscientiam, perinde sit: per fidem intelligitur fides, per quam charitas, et quae ex charitate, ita ipsa charitas, nam fides absque charitate nulla fides est; et sicut fides non dabilis est absque charitate, ita nec conscientia.

2326. Et surrexit obviam illis, quod significet agnitionem, ut et charitatis affectum, constare potest ex eo, quod Loth, cum venerunt, agnoverit illico quod Angeli essent; non autem viri Sodomae, de quibus ita, „Clamaverunt ad Loth, et dixerunt, ubi Viri, qui venerunt ad te noctu, adduc eos ad nos, ut cognoscamus eos," Vers: 5: in sensu interno significant haec, quod, qui in bono charitatis sunt intra Ecclesiam, agnoscant Divinum Humanum et Sanctum procedens Domini, per duos Angelos intellectum, non autem illi qui non in bono charitatis. Quod etiam eadem verba involvant charitatis affectum, constat, etiam inde quod Loth, per quem repraesentantur illi qui in bono charitatis sunt, imo significatur ipsum bonum charitatis, invitaverit illos in domum suam.

2327. Incurvavit se facies in terram, quod significet humiliationem, constare potest absque explicatione. Quod olim, imprimis in Ecclesiis repraesentativis, incurvaverunt se usque adeo, ut demiserint faciem in terram, causa fuit, quia facies significabat interiora hominis, n: 358. 1999, et quod in terram, quia terrae pulvis significabat prophanum et damnatum, n: 278, proinde sic repraesentabant, quod ex se prophani et damnati essent, ideo prosternebant se faciem premendo in terram, imo se in pulvere et cinere volutando, tum quoque pulverem aut cinerem super caput spargendo, ut constare potest ex Thren: II: 10. Ezech: XXVII: 30. Mich: I: 10. Jos: VII: 6. Apoc: XVIII: 19, et alibi. Per haec repraesentabant statum verae humiliationis, qui nusquam dari potest, nisi agnoscant, quod ex se prophani et damnati sint, et sic quod non spectare possint ex se ad Dominum, ubi nihil nisi Divinum et Sanctum; quare quantum homo in agnitione sui est, tantum potest in vera humiliatione esse, et tantum in adoratione cum est in cultu, nam in omni cultu erit humiliatio, quae si inde separatur, nihil adorationis est, ita nihil cultus. Quod status humiliationis sit essentialis ipsius cultus, inde est, quia quantum cor humiliatur, tantum amor sui, et omne malum inde, cessat, et quantum hoc cessat, tantum influit bonum et verum, hoc est, charitas et fides, a Domino; nam quod obstat, quin recipiantur, est principaliter amor sui, in hoc enim est contemtus aliorum prae se, est odium et vindicta si non colatur,

estque immisericordia et crudelitas, ita omnium pessima mala, in quae nusquam inferri potest bonum et verum, sunt enim opposita.

2328. Vers: 2. *Et dixit, ecce quaeso, Domini mei, declinate quaeso ad domum servi vestri, et pernoctate; et lavate pedes vestros; et mane surgatis, et eatis in viam vestram: et dixerunt, non, quia in platea pernoctabimus.* Et dixit, ecce quaeso Domini mei, significat interiorem agnitionem et confessionem Divini Humani et Sancti procedentis Domini: declinate quaeso ad domum servi vestri et pernoctate, significat invitationem ut apud se mansionem habeat; ad domum servi, est in bono charitatis: et lavate pedes vestros, significat applicationem ad ejus naturale: et mane surgatis et eatis in viam vestram, significat confirmationem sic in bono et vero: et dixerunt, non, significat dubitationem, quae solet esse tentationis: quia in platea pernoctabimus, significat quod ex vero quasi vellet judicare.

2329. Dixit, ecce quaeso Domini mei, quod significet interiorem agnitionem et confessionem Divini Humani et Sancti procedentis Domini, constat ex agnitione et humiliatione, de qua mox prius, hic confessio immediate sequitur, nam confessio est quod dicat, „ecce quaeso Domini mei:" confessio interior est cordis, et existit in humiliatione, et simul in affectione boni; confessio autem exterior est oris, et existere potest in ficta humiliatione, et in ficta affectione boni, quae est nulla, ut apud eos, qui confitentur Dominum sui honoris, seu potius sui cultus, ac sui lucri, causa, ii quod confitentur ore, negant corde. Quod dicatur in plurali, Domini mei, est ex eadem causa, ex qua in praecedente Capite dicuntur Tres Viri, quia sicut ibi Tres significant Ipsum Divinum, Humanum Divinum, et Sanctum procedens, ita hic Duo significant Divinum Humanum, et Sanctum procedens Domini, ut supra dictum est; illa quod unum sint, unicuique intra Ecclesiam notum est, et quia unum sunt, etiam in sequentibus nominantur in singulari, ut Vers: 17, „Fuit cum educerent ii illos, et *dixit*, eripe te super anima tua:" Vers: 19, „Ecce quaeso, invenit servus *tuus* gratiam in oculis *tuis*, et magnam *fecisti* misericordiam *tuam*, quam *fecisti* mecum:" Vers: 21, „Et *dixit* ad eum, ecce *acceptavi*

faciem tuam etiam quoad verbum hoc, quod non *evertam* urbem:" Vers: 22, "Quia non *possum* facere quicquam, usque venire te illuc." Quod Divinum Ipsum, Divinum Humanum et Sanctum procedens sit Jehovah, constat ex Capite praecedente, ubi Tres Viri passim dicuntur Jehovah, nempe ibi Vers: 13, "Dixit *Jehovah* ad Abrahamum:" Vers: 14, "Num mirabile erit pro *Jehovah* quicquam:" Vers: 22, "Abraham adhuc stans coram *Jehovah:*" Vers: 33, "Ivit *Jehovah*, quando absolvit loqui ad Abrahamum:" Consequenter est Divinum Humanum et Sanctum procedens Jehovah, ut quoque nominatur in hoc Capite, Vers: 24, "Et *Jehovah* pluere fecit super Sodo- "mam et Amoram sulphur et ignem a cum *Jehovah* e coelo;" de quorum sensu interno videbitur in sequentibus; quod Dominus sit ipse Jehovah, qui toties nominatur in Historicis et Propheticis Veteris Testamenti, videatur n: 1736. Qui vere homines Ecclesiae sunt, hoc est, qui in amore in Dominum et in charitate erga proximum sunt, Trinum norunt et agnoscunt, sed usque coram Domino se humiliant, et Ipsum solum adorant, ex causa quia sciunt, quod nullus accessus sit ad ipsum Divinum, quod Pater dicitur, quam per Filium, et quod omne Sanctum, quod Spiritus Sancti est, ab Ipso procedat; in qua idea cum sunt, non alium adorant, quam per quem, et a quo, omnia, ita Unum, nec diffundunt ideas in Tres, ut multi alii intra Ecclesiam solent; quod constare potest a pluribus in altera vita, etiam ab Eruditis, qui prae aliis fidei arcana se possedisse in vita corporis putarunt; ii in altera vita explorati, quam ideam habuerint de Deo uno, num Tres Increati, num Tres Infiniti, num Tres Aeterni, num Tres Omnipotentes, et num Tres Domini, et apperceptum manifeste, quod ideam Trium habuerint, nam idearum datur ibi communicatio; cum tamen ex fide symbolica, ubi apertis verbis dicitur, sit, quod non Tres Increati, non Tres Infiniti, non Tres Aeterni, non Tres Omnipotentes, non Tres Domini, sed Unus, sicut etiam est; ita fassi, quod ore quidem dixerint, Unum esse Deum, sed usque cogitaverint, et quidam crediderint Tres, quos separare idea, non conjungere, possent; causa inde est, quia arcana quaecunque, imo arcanissima, secum habent ideam, nam absque idea nihil cogitari potest, ne quidem aliquid memoria teneri: inde in altera vita,

sicut in clara die, patet, qualem unusquisque sibi cogitationem, et inde fidem, de Uno Deo formavit. Imo Judaei in altera vita, cum audiunt Dominum esse Jehovam, et non esse nisi Unum Deum, nihil possunt dicere; at cum percipiunt, Christianorum ideas partitas esse in Tres, dicunt se colere Unum Deum, sed illos Tres; ac eo magis, cum Tres in idea separatos non possint alii conjungere, quam qui in fide charitatis sunt, nam horum mentem Dominus applicat Sibi.

2330. Declinate quaeso ad domum servi vestri, et pernoctate, quod significet invitationem, ut apud se mansionem habeat, constat absque explicatione.

2331. Ad domum servi, quod sit in bono charitatis, constat a significatione Domus, quod sit bonum coeleste, quod solius est amoris et charitatis, de qua n: 2048. 2233. [5]

2332. Lavate pedes vestros, quod significet applicationem ad ejus naturale, constat ab illis, quae in Capite praec: n: 2162, dicta sunt, ubi eadem verba. Olim cum viderunt Angelum Jehovae, crediderunt se morituros, Ex: XIX: 12. 21. 24. Cap: XX: 16. [19.] Judic: VI: 22. 23. Cap: XIII: 22. 23; ex causa, quia Sanctum Divinum influens in prophanum, quod apud hominem, talis efficaciae est, ut sit sicut ignis edens et consumens; quapropter Dominus coram homine, cui se sistit videndum, etiam coram Angelis, miraculose moderatur et temperat Sanctum ab Ipso procedens, ut sustinere possint, seu quod idem, applicat ad eorum naturale: hoc nunc est, quod in sensu interno significatur per haec quae dixit Loth ad Angelos, „Lavate pedes vestros:" inde qualis sensus internus est, patet, nam quod haec significatio sit, a sensu literae non videri potest.

2333. Et mane surgatis et eatis in viam vestram, quod significet sic confirmationem in bono et vero, constare potest a significatione mane surgere, tum a significatione ire in viam; Mane in Verbo significat Regnum Domini, et quicquid est Regni Domini, ita principaliter bonum amoris et charitatis, quod ex Verbo confirmabitur ad Vers: 15: Via autem significat Verum, videatur n: 627; inde sequitur, quod postquam fuerint in domo ejus et ibi pernoctaverint, quo significatum quod mansionem in bono charitatis apud eum haberent, mane surgerent et irent in

viam suam, quo significatur ita confirmatum esse in bono et vero. Ex his, sicut ex reliquis, patet, quam remotus est sensus internus a sensu literae, et inde quam inconspicuus, imprimis in Historicis Verbi, et quod non pateat nisi singulae voces secundum constantem earum in Verbo significationem explicentur; quare cum in sensu literae tenentur ideae, sensus internus non aliter apparet quam obscurum et tenebrosum quid; at, vicissim cum in sensu interno tenentur ideae, apparet similiter sensus literae obscurus, imo ab Angelis sicut nihil, nam Angeli non amplius sunt in mundanis et corporeis, quales sunt hominis, sed in spiritualibus et coelestibus, in quas mirabiliter mutantur voces sensus literae, cum ab homine, qui legit Verbum, ad sphaeram, in qua sunt Angeli, hoc est, ad Coelum, ascendit, et hoc ex correspondentia Spiritualium cum mundanis, et coelestium cum corporeis, quae correspondentia constantissima est, sed qualis, nondum detectum, modo nunc in explicatione vocum, nominum et numerorum, quoad sensum internum, in Verbo: ut sciatur, qualis illa correspondentia est, seu quod idem, quomodo ideae mundanae et corporeae transeunt in correspondentes ideas spirituales et coelestes, cum illae elevantur ad coelum, sit pro exemplo *Mane*, et *Via;* cum legitur Mane, ut hic, mane surgere, tunc Angeli non ideam alicujus Mane diei capiunt, sed ideam Mane in sensu spirituali, ita similem ac apud Samuelem, „Petra Israëlis, Ille sicut lux *Mane*, cum oritur sol, *Mane* non nubes," 2 Sam: XXIII: 4: et apud Danielem, „Sanctus dixit ad me, usque ad vesperam, cum fit *Mane*, bis mille trecenta," VIII: 14. 26: [6] ita pro Mane percipiunt Dominum, aut Regnum Ipsius, aut coelestia amoris et charitatis, et quidem illa cum varietate secundum seriem rerum in Verbo quod legitur. Similiter ubi legitur Via, ut hic ire in viam vestram, non habere possunt aliquam ideam Viae, sed spiritualem aut coelestem aliam, nempe similem ac apud Johannem, quod Dominus dixit, „Ego sum *Via* et *Veritas*," XIV: 6; et quae apud Davidem, „*Vias tuas* Jehovah notas fac mihi, duc *Viam* meam in veritate," Psalm: XXV: 4. 5: et apud Esaiam, „*Viam intelligentiarum* nosse fecit ipsi," Cap: XL: 14: [7] ita pro Via percipiunt verum, et hoc tam in Historicis quam Propheticis Verbi; Historica enim non amplius curant Angeli, quia ideis eorum prorsus non adae-

quata sunt, quare loco eorum talia quae sunt Domini et Ipsius Regni percipiunt, quae etiam in pulchro ordine et concinna serie in sensu interno consequuntur; propterea, ut quoque pro Angelis sit Verbum, omnia Historica ibi sunt repraesentativa, et singula verba significativa talium, quod peculiare habet Verbum prae omni alio scripto.

2334. Et dixerunt, non, quod significet dubitationem quae solet esse tentationis, constare potest a negatione, et quod usque iverint in domum ejus; in omni tentatione est dubitativum de praesentia et misericordia Domini, deque salvatione, et similibus; sunt enim in anxietate interiore, usque ad desperationem, in qua ut plurimum tenentur, ob causam, ut confirmentur tandem in eo, quod omnia sint Misericordiae Domini, quod per Ipsum solum salventur, et quod apud se nihil nisi malum sit, de quibus per pugnas, in quibus vincunt, confirmantur: manent post tentationem inde plures status veri et boni, ad quos flecti dein possunt a Domino cogitationes, quae alioquin ruerent in vesana, et contra verum et bonum traherent mentem. Quia hic per Lothum agitur de primo statu Ecclesiae, quae in bono charitatis est, at in cultu externo, et antequam homo in hunc statum venit, reformandus est, quod fit etiam per quandam speciem tentationis, sed qui in cultu externo, ii modo levem tentationem subeunt, ideo haec dicta sunt, quae involvunt tentationis quoddam, nempe quod Angeli primum dicerent, quod pernoctarent in platea, et quod Loth urgeret illos, et sic quod declinaverint ad illum, et venerint in domum ejus.

2335. Quia in platea pernoctabimus, quod significet quod ex vero quasi vellet judicare, constare potest a significatione Plateae, et a significatione pernoctare: Platea in Verbo passim nominatur, et in sensu interno simile significat ac Via, nempe verum, nam platea est via in urbe, ut a locis mox sequentibus constabit: quod pernoctare hic sit judicare, constare potest a significatione Noctis: ostensum est supra, n. 2323, quod Vespera significet statum Ecclesiae ante ultimum, cum nulla fides incipit esse, tum quoque visitationem quae praecedit judicium, inde patet, quod nox quae succedit, sit status ultimus, quando nulla fides, tum quod sit judicium; inde liquet, quod in platea pernoctare in sensu interno sit ex vero judicare. Quod Judicium

attinet, est illud duplex, nempe ex bono, et ex vero; fideles judicantur ex bono, at infideles ex vero; quod fideles ex bono constat manifeste apud Matthaeum Cap: XXV, a Vers: 34 ad 40; et quod infideles ex vero, ibi a Vers: 41 ad 46; judicari ex bono, est salvari, quia illud receperunt; at judicari ex vero, est damnari, quia bonum rejecerunt; bonum est Domini, hoc qui agnoscunt vita et fide, sunt Domini, quare salvantur; at qui non agnoscunt vita proinde non fide, illi non possunt esse Domini, ita nec salvari; judicantur ideo secundum vitae suae acta et secundum cogitationes et fines, et cum secundum haec, non possunt non damnari, nam verum est, quod homo ex se non nisi malum faciat, cogitet et intendat, et ex se ruat ad infernum, quantum non inde detinetur a Domino. Sed ita se habet judicium ex vero, Dominus nusquam aliquem judicat quam ex bono, omnes enim, quotcunque sunt, in coelum attollere vult, imo si posset usque ad Semet, est enim Dominus ipsa Misericordia, ac ipsum Bonum; ipsa Misericordia et ipsum Bonum, nusquam potest aliquem damnare, sed est homo, quia rejicit bonum, qui se damnat; sicut homo in vita corporis fugerat bonum, ita in altera vita fugit, proinde coelum et Dominum; Dominus enim non nisi quam in bono potest esse, in vero quoque est, sed non in vero separato a bono; quod Dominus non aliquem damnet, seu judicet ad infernum, Ipse dicit apud Johannem, „*Non* misit Deus Filium suum in mundum, ut *judicet* „mundum, sed ut salvetur mundus per Ipsum: hoc est *Judicium*, „quod Lux venit in mundum, sed dilexerunt homines magis „tenebras quam lucem, erant enim opera eorum mala,“ III: 17. 19: et apud Eundem, „Si quis mea audiverit verba, non „tamen crediderit, *Ego non judico* illum; non enim veni ut „*judicem* mundum, sed ut salvem mundum,“ XII: 47; praeterea videantur quae de his prius, n: 223. 245. 592. 696. 1093. 1683. 1874. 2258. Ubi de Judicio supra n: 2320. 2321, actum, ostensum est, quod Humano Divino et Sancto procedenti Domini sit omne judicium, secundum Domini verba apud Johannem, „Non Pater *judicat* quemquam, sed *judicium* omne dedit Filio,“ V: 22, et tamen nunc dicitur, quod Dominus non judicet damnando aliquem, inde patet, quale Verbum est in litera, quod nisi intelligeretur ex alio sensu, nempe ex interno,

non comprehenderetur, ex sensu interno solo patet, quomodo se habet cum judicio.

2836. Quod Platea significet verum, constare potest a pluribus locis in Verbo, ut apud Johannem, ubi de Nova Hierosolyma, „Duodecim portae, duodecim margaritae, unaquae- „vis porta erat margarita una, et *Platea civitatis* aurum purum „sicut vitrum pellucidum," Apoc: XXI: 21. Nova Hierosolyma est Regnum Domini, quod quia describitur quoad bonum et verum, describitur per muros, portas, plateas; per has, nempe per Plateas, intelliguntur omnia veri quae ducunt ad bonum, seu omnia fidei, quae ducunt ad amorem et charitatem, et quia vera tunc fiunt boni, ita pellucentia a bono, dicitur platea aurum quasi vitrum pellucidum: apud Eundem, „*E medio* „*plateae* ejus et fluvii, hic illic arbor vitae faciens fructus duo- „decim," Apoc: XXII: 2. Ubi etiam de Nova Hierosolyma seu Regno Domini; medium plateae est verum fidei, per quod bonum, et quod dein a bono; fructus duodecim sunt qui vocantur fructus fidei, nam duodecim significant omnia fidei, ut ostensum n: 577. 2089. 2129. 2130. Apud Danielem, „Scito „et percipito, ab exitu Verbi, ad restituendum et ad aedifican- „dum Hierosolymam, usque ad Messiam Ducem, septimanae „septem, et septimanae sexaginta [8] et duae, et restituetur et „aedificabitur *Platea* et Fossa," IX: 25; ubi de adventu Domini; quod restituetur platea et fossa, est quod tunc verum et bonum; quod Hierosolyma tunc non restituta sit et aedificata, notum est, et quod non restituenda et aedificanda denuo, quisque etiam nosse potest, si non detineat ideas in Regno mundano, sed in Regno coelesti per Hierosolymam in sensu interno intellecto. Apud Lucam, „Paterfamilias dixit servo suo, abi ocius „in *Plateas* et *Vicos* urbis, et pauperes, mancos, claudos, et „caecos, introduc illuc," XIV: 21; qui manent in sensu literae, non aliud inde capiunt, quam quod servus iret ubivis, et quod hoc significetur per plateas et vicos; quodque adduceret quoscunque, et quod hoc significetur per pauperes, mancos, claudos et caecos, sed singula verba involvunt arcana, sunt enim Domini; quod iret in plateas et vicos, significat quod quaereret ubicunque aliquod verum genuinum, seu verum quod lucet ex bono, seu per quod pellucet bonum; quod introduceret paupe-

res, mancos, claudos et caecos, significat quod tales, qui in Antiqua Ecclesia ita vocati sunt, et tales fuerunt quoad fidem, sed in vita boni, qui sic informarentur de Regno Domini, ita Gentes quae nondum instructae. Quia Plateae significabant vera, inde ritus repraesentativus apud Judaeos, docere in plateis, ut patet apud Matthaeum, Cap: VI: 2. 5: et apud Lucam, Cap: XIII: 26. 27. Apud Prophetas, Plateae, ubicunque nominantur, in sensu interno significant vel vera, vel contraria veris, ut apud Esaiam, „Rejectum est retro judicium, et justitia „e longinquo stetit, nam impegit in *Platea Veritas*, et *Recti*„*tudo* non potest advenire," LIX: 14: apud Eundem, „Filii „tui defecerunt, et jacuerunt in capite *omnium platearum*," LI: 20: apud Jeremiam, „Ascendit mors, in fenestras, venit „in palatia nostra, ad exscindendum parvulum e *Platea*, juve„nes e *Vicis*," IX: 20: apud Ezechielem, „Nebuchadnezar per „ungulas equorum suorum conculcabit omnes *Plateas* tuas," XXVI: 11; ubi de Tyro, per quam cognitiones veri significantur, n: 1201, ungulae equorum sunt scientifica pervertentia verum: apud Nahum, „In *plateis* insaniunt currus, discurrunt „in vicis," II: 5; currus pro doctrina veri, qui insanire in plateis dicitur, quando falsum loco veri: apud Sachariam, „Adhuc „habitabunt senes mares, et senes mulieres in *Plateis* Hiero„solymae, et *Plateae civitatis* implebuntur pueris et puellis, „ludentibus in *Plateis*," VIII: 4. 5, de affectionibus veri, et inde laetitiis et gaudiis: praeter alibi, ut Esai: XXIV: 11. Jerem: V: 1. Cap: VII: 34. Cap: XLIX: 26. Thren: II: 11. 19. Cap: IV: 8. 14. Zeph: III: 6.

2337. Vers: 3. *Et urgebat eos valde, et declinaverunt ad eum, et venerunt ad domum ejus, et fecit eis convivium, et azyma coxit, et comederunt.* Urgebat eos valde, significat statum tentationis cum vincit: et declinaverunt ad eum, significat mansionem: et venerunt ad domum ejus, significat confirmationem in bono: et fecit eis convivium, significat cohabitationem: et azyma coxit, significat purificationem: et comederunt, significat adpropriationem.

2338. Urgebat eos valde, quod significet statum tentationis cum vincit, non constare potest nisi illis qui in tentationibus fuerunt: Tentationes secum habent, ut dictum, dubitationem

de praesentia et misericordia Domini, tum de salvatione; spiritus mali, qui tunc apud hominem et inducunt tentationem, negativum fortiter inspirant, sed spiritus boni et angeli a Domino dubitativum hoc omni modo discutiunt, et in spe continuo tenent, ac demum affirmativum confirmant; inde homo, qui in tentatione, haeret inter negativum et affirmativum; qui succumbit, in dubitativo manet, et in negativum cadit: at qui vincit, in dubitativo quidem est, sed usque qui spe patitur se erigi, in affirmativo perstat: quia in pugna illa, homo urgere videtur Dominum, imprimis per preces, ut adsit, misereatur, opem ferat, a damnatione liberet, hic, ubi de tentatione illorum, qui fiunt homines Ecclesiae, agitur, describitur illa, per quod Angeli dixerint primum, non, et quod pernoctarent in platea, at quod Loth urgeret eos valde, et sic quod declinaverint ad eum, et venerint in domum ejus.

2339. Et declinaverunt ad eum, quod significet mansionem, constat a significatione eorundem verborum supra n: 2330, ita absque ulteriore explicatione.

2340. Et venerunt ad domum ejus, quod significet confirmationem in bono, constat ex significatione domus, quod sit coeleste bonum, de qua prius, n: 2233. [5] 2331; et inde, tum a serie rerum in sensu interno, quod sit confirmari in bono.

2341. Et fecit eis convivium, quod significet cohabitationem, constat a significatione Convivii: in Verbo memorantur passim Convivia, et ibi in sensu interno significant cohabitationem, ut apud Jeremiam, „Verbum Jehovae ad illum; *domum* „*convivii* non intrabis, ad sedendum cum illis, ad comedendum „et ad bibendum," XVI: 8, ubi ad Prophetam dicuntur plura, per quae repraesentaret, quod bonum cum malo, et verum cum falso, nullam communicationem haberet, et inter alia, quod non intraret in domum Convivii, quo significabatur, quod bonum et verum non cohabitarent cum malo et falso: apud Esaiam, „Faciet Jehovah Zebaoth omnibus populis in monte hoc *Con*-„*vivium* pinguium, *Convivium* vinorum suavium, pinguium „medullatorum, vinorum defecatorum," XXV: 6: ibi Mons pro amore in Dominum, n: 795. 1430, in quo qui sunt, cohabitant cum Domino in bono et vero, quod significatur per Convivium; pinguia et medullata sunt bona, n: 353, vina suavia

et defecata sunt vera inde, n: 1071. Convivia ex sanctificatis, cum sacrificabant, in Ecclesia Judaica, nec aliud repraesentabant, quam cohabitationem Domini cum homine, in sanctis amoris significatis per sacrificia, n: 2187; similiter dein per Sacram Coenam, quae in Primitiva Ecclesia Convivium dicebatur. In Cap: seq: XXI, Gen: memoratur, quod Abrahamus fecerit convivium magnum die, quo ablactatus est Isacus, Vers: 8. [9] per illud repraesentabatur, et inde significabatur cohabitatio et prima conjunctio Divini Domini cum Humano Rationali Ipsius. Idem etiam aliis in locis per Convivia in sensu interno significatur; quod etiam concludi potest inde, quod Convivia sint inter plures, qui in amore et charitate simul sunt, seque animis conjungunt, et mutuo laetitias, quae sunt affectus amoris et charitatis, consociant.

2342. Et azyma coxit, quod significet purificationem, constat a significatione azymi seu infermentati: Panis in Verbo significat in genere omnem cibum coelestem et spiritualem, ita in genere omnia coelestia et spiritualia, videatur n: 276. 680. 1798. 2165. 2177; quae ut essent absque impuris, repraesentabatur per Panem azymum; fermentum enim significat malum et falsum, ex quibus impura et prophana redduntur coelestia et spiritualia; ob hanc repraesentationem mandatum est illis, qui ab Ecclesia Repraesentativa erant, quod in Sacrificiis non offerrent alium panem, seu mincham, quam infermentatam seu azymam, ut constat apud Mosen, „Omnis *Mincha*, quam adferetis Jehovae, non conficietur *fermentata*,“ Lev: II: 11: apud Eundem, „Non sacrificabis super *fermentato* sanguinem Sacrificii mei,“ Exod: XXIII: 18. Cap: XXXIV: 25. Ac ideo quoque mandatum, quod diebus septem Paschatis, non ederent alium Panem quam infermentatum seu azymum, de quo ita apud Mosen, „Septem diebus *Azyma comedetis*, etiam in die primo cessare facietis *Fermentum* e domibus vestris, quia quisque *comedens Fermentatum*, exscindetur anima ea ex Israële, a die primo usque ad septimum. In primo, in die quarto decimo mensis in vespera, *comedetis Azyma*, usque ad diem primum et vigesimum mensis in vespera: septem diebus *Fermentum* non invenietur in domibus vestris, quia quisquis *comedens Fermentatum*, et exscindetur anima ea e coetu Israë-

„lis, in peregrino et indigena terrae," Exod: XII: 15. 18. 19. 20: praeter alibi, ut Exod: XIII: 6. 7. Cap: XXIII: 15. Cap: XXXIV: 18. Deut: XVI: 3. 4. inde Pascha est dictum Festum Azymorum, Levit: XXIII: 6. Num: XXVIII: 16. 17. Matth: XXVI: 17. Luc: XXII: 1. 7. Quod Pascha repraesentaret Glorificationem Domini, et sic conjunctionem Divini cum humano genere, alibi, ex Divina Domini Misericordia, ostendetur; et quia conjunctio Domini cum humano genere fit per amorem et charitatem, ac inde fidem, coelestia et spiritualia illa repraesentabantur per panem azymum, quem diebus Paschatis comederent, quae ideo ne contaminarentur ullo prophano, tam severe interdictum fuit fermentatum, ut qui illud comederent, exscinderentur; qui enim coelestia et spiritualia prophanant, non possunt non perire: quisque videre potest, quod absque hoc arcano, nusquam hoc ceremoniale, cum tam severa injuncta poena, latum esset: omnia, quae in Ecclesia illa, mandata fuerunt, arcanum repraesentabant, imo ipsa *Coctio;* sicut singula illa, quae fecerunt filii Israëlis, cum exirent Aegypto, nempe, „Quod comederent nocte illa, carnem assam igne, et *Azyma super amaroribus,* non comederent crudum, *nec coctum aquis;* caput „super crura; quod non relinquerent de eo usque ad mane, re„siduum igne comburerent," Exod: XII: 8. 9. 10: singula haec repraesentabant, nempe quod Nocte comederent, quod carnem assam igne, azyma super amaroribus, caput super crura, non crudum, non coctum aquis, quod non relinquerent ad mane, et quod residuum igne comburerent; sed arcana illa nusquam patent, nisi detecta per sensum internum; inde quod omnia Divina sint, solum constare potest. Similiter rituale cum Naziraeo, „Quod Sacerdos acciperet armum *Coctum* de ariete, et *placentam azymam* unam e canistro, et *laganum azymum* unum, „et daret super volas Naziraei, postquam totonderit naziraea„tum ejus," Num: VI: 19; qui nescit quod Naziraeus repraesentaret ipsum coelestem hominem, nescit quoque quod omnia et singula illa involvant coelestia, ita arcana, quae non apparent in litera, nempe armus coctus de ariete, placenta azyma, laganum azymum, tonsio capillorum; inde constare potest, qualem opinionem possunt capere de Verbo illi, qui non credunt sensum internum dari, nam absque interno sunt singula nullius momen-

ti; at remoto ceremoniali seu rituali, fit ibi omne Divinum et Sanctum; ita quoque se habet cum reliquis, ac ita cum Azymo, quod sit sanctum amoris, seu sanctum sanctorum, ut quoque vocatur apud Mosen, „*Azyma* residua, ab Aharone et filiis ejus „comedentur in loco sanctitatis, quia *sanctum sanctorum illa,*" Lev: VI: 9. 10. Panis azymus itaque, est amor purus, et coctio azymi, purificatio.

2343. Et comederunt, quod significet appropriationem, constat a significatione Comedere, quod sit communicari et conjungi, ita appropriari, de qua prius n: 2187. Ex dictis nunc et explicatis constare potest, quomodo illa, quae in Versu praeced: et in hoc continentur, se in sensu interno habent et cohaerent, ex eo, quod per Angelos significetur Divinum Humanum et Sanctum procedens Domini; per declinare ad eum, mansionem habere; per venire ad domum ejus, confirmari in bono; per facere convivium, cohabitare; per azyma coquere, purificari; et per comedere, appropriari; inde qualis sit series rerum in sensu interno, patet, tametsi nihil prorsus ejus apparet in sensu historico; talis est ordo et series in omnibus et singulis Verbi, sed ipsa series non potest elucescere, qualis est, in explicatione singularum vocum, inde enim ut discreta apparent, et dissipatur continuum sensus, sed cum omnia simul spectantur una idea, aut percipiuntur uno intuitu cogitationis, sicut fit apud illos qui in sensu interno sunt, et simul in luce coelesti a Domino; apud hos sistitur in illis verbis videndus integer processus reformationis ac regenerationis eorum, qui fiunt homines Ecclesiae hic per Lothum repraesentati; nempe quod primum percipiant aliquid tentationis, sed cum persistunt et vincunt, quod Dominus mansionem apud eos habeat, et confirmet eos in bono, introducat eos ad Se in Regnum suum, et cum iis cohabitet, ac ibi eos purificet et perficiat, et simul appropriet iis bona et felicia, et hoc per Divinum Humanum et Sanctum procedens Ipsius. Quod a solo Domino omnis regeneratio seu nova vita, proinde salus, notum quidem est in Ecclesia, sed a paucis creditur; quod non credatur, est causa, quia non in bono charitatis sunt, qui non in hoc sunt, illis tam impossibile est hoc credere, quam est camelo intrare per foramen acus, nam bonum charitatis est ipsa humus seminum fidei; verum et bonum con-

cordant, sed verum et malum nusquam, sunt contrariae indolis, et aversatur unum alterum; quare quantum homo est in bono, tantum potest esse in vero, seu quantum in charitate, tantum in fide, cumprimis in hoc principali fidei, quod a Domino omnis salus: quod hoc principale fidei sit, constat a pluribus in Verbo; ut apud Johannem, „Adeo dilexit Deus mundum, ut *Filium* „*suum unigenitum* dederit, ut omnis qui *credit in Ipsum*, non „pereat, sed habeat vitam aeternam," III: 16: apud Eundem, „Qui *credit in Filium*, habet vitam aeternam, qui vero non „credit Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super illo," III: 36: apud Eundem, „Hoc opus Dei, ut *credatis in Ipsum*, „quem misit Pater," VI: 29: apud Eundem, „Haec est volun-„tas Ipsius, qui misit Me, ut omnis qui *videt Filium*, et *credit* „*in Ipsum*, habeat vitam aeternam, et resuscitem illum in ex-„tremo die," VI: 40: apud Eundem, „Nisi *credideritis quod* „*Ego sim*, moriemini in peccatis vestris," VIII: 24: apud Eundem, „Ego sum resurrectio et vita, *qui credit in Me*, etsi moria-„tur, vivet; omnis vero, qui vivit, et *credit in Me*, non morie-„tur in aeternum," XI: 25. 26. Quod nemo credere possit in Dominum, nisi in bono sit, hoc est, quod nullus possit habere fidem, nisi sit in charitate, constat etiam apud Johannem, „Quot-„quot receperunt, dedit illis potestatem, ut filii Dei essent, *cre-„dentibus in Nomen Ipsius*, qui non ex sanguinibus, neque e „voluntate carnis, neque e voluntate viri, sed ex Deo nati sunt," I: 12. 13: et apud Eundem, „Ego sum vitis, vos palmites, qui „manet in Me, et Ego in illo, hic fert fructum multum, quia „sine Me non potestis facere quicquam; nisi quis manserit in Me, „ejectus est foras, sicut palmes et arefactus: quemadmodum „*amavit* Me Pater, ita Ego *amavi vos*, manete in *amore meo*; „hoc est mandatum meum, ut *ametis vos invicem*, sicut *amavi* „*vos*," XV: 5. 6. 9. 12: ex his constare potest, quod amor in Dominum, et charitas erga proximum, sit vita fidei: qui autem in malo sunt, hoc est, in vita mali, quod nusquam credere possint, quod a Domino omnis salus, constare mihi potuit ab illis, qui e Christiano orbe in alteram vitam venerunt, etiam ex illis, qui in vita corporis, secundum doctrinale fidei, ore fassi, imo docuerunt, quod absque Domino nulla salus, et tamen vitam mali egerunt, illi, cum modo nominatus est Dominus, illico op-

pleverunt sphaeram meris scandalis; nam quod solum cogitant in altera vita, appercipitur, et diffundit a se sphaeram, in qua se manifestat quali fide sunt, videatur n: 1394: apud eosdem cum modo nominatus amor seu charitas, perceptum ab illis sicut tenebricosum quoddam, et simul grumosum, ex amore quodam spurco, quod talis naturae erat, ut extingueret, suffocaret et perverteret omne perceptivum amoris in Dominum, et charitatis erga proximum; talis est fides hodie, quam dicunt salvare absque bonis charitatis: iidem quoque interrogati, quam fidem habuerint, cum non illam, quam in vita corporis fassi, dixerunt, (nam celare quod cogitat in altera vita nemo potest:) quod crediderint in Deum Creatorem universi, sed explorati num ita esset, et compertum, quod non in aliquem Deum crediderint, sed cogitaverint omnia naturae esse, ac vana quaecunque de vita aeterna dicta sunt; talis fides est omnium illorum intra Ecclesiam qui non credunt in Dominum sed dicunt se credere in Deum Creatorem universi; aliunde enim non influere potest verum, quam a Domino, nec potest verum inseminari quam in bono quod a Domino. Quod Humanum Divinum et Sanctum procedens Domini, sit, per quod et ex quo vita et salus, scitur manifeste a verbis Sacrae Coenae, „Hoc est Corpus meum, Hic est Sanguis meus," quod est Divinum Humanum Domini, et quod inde sit omne Sanctum, constat: sive dicas Divinum Humanum, sive Corpus, sive Carnem, sive Panem, sive Divinum Amorem, idem est; Divinum enim Humanum Domini, est purus Amor, et Sanctum est solius amoris, at Sanctum fidei est inde.

2344. Vers: 4. *Vix adhuc cubuerunt, et viri urbis, viri Sodomae, circumdederunt domum, a puero et usque ad senem, omnis populus ab extremo.* Vix adhuc cubuerunt, significat tempus primum visitationis: viri urbis, significant illos qui in falsis: viri Sodomae, significant illos qui in malis: circumdederunt domum, significat quod contra bonum charitatis: a puero et usque ad senem, significat falsa et mala recentia et confirmata: omnis populus ab extremo, significat omnia et singula eorum.

2345. Vix adhuc cubuerunt, quod significet tempus primum visitationis, constat ab illis quae de Vespera et Nocte supra

n: 2323. 2335, [10] dicta sunt, quod nempe per illas in Verbo significetur Visitatio et Judicium; hic quidem non nominatur vespera aut nox, sed dicitur vix dum cubuerunt, ac ita significatur tempus procedentis vesperae ad noctem, seu inchoantis noctis, proinde tempus primum visitationis super malis, ut quoque a sequentibus patet; nam inquisitio de malis intra Ecclesiam per Sodomam intellectis hic inchoat.

2346. Viri urbis, quod significet illos qui in falsis, et viri Sodomae illos qui in malis, constat a significatione Urbis et Sodomae; quod Urbs significet vera, tum falsa seu contraria veris, prius n: 402, et quod Sodoma omnis generis mala, n: 2220. 2246, ostensum est: quia fuerunt tam falsa quam mala, de quibus inquisitum seu visitatum, dicitur, viri urbis viri Sodomae, si non utrumque intellectum, modo dictum fuisset, viri Sodomae.

2347. Quod circumdederunt domum, significet quod contra bonum charitatis, constat a significatione Domus, quod sit bonum coeleste, quod non aliud est quam bonum amoris et charitatis, de qua n: 2048. 2233: [5] tum a significatione circumdare, quod sit contra illud esse, seu hostili animo illud aggredi et impugnare.

2348. A puero et usque ad senem, quod significet falsa et mala recentia et confirmata, constare potest a significatione Pueri et Senis cum praedicantur de falsis et malis, quod nempe pueri sint, quae nondum adoleverunt, ita recentia, senes quae ad multam aetatem pervenerunt, ita confirmata; alibi etiam puer et senex in simili sensu in Verbo occurrunt, ut apud Sachariam, „ Adhuc habitabunt [11] *senes mares*, et *senes mulieres* „ in plateis Hierosolymae, et plateae civitatis implebuntur *pueris* „ et *puellis* ludentibus in plateis, » VIII: 4. 5: ubi Hierosolyma pro Regno Domini et Ecclesia, n: 402. 2117; plateae pro veris ibi, n: 2336, ita senes mares pro confirmatis veris, senes mulieres pro confirmatis bonis; pueri ludentes in plateis, pro recentibus veris, et puellae pro recentibus bonis, ac eorum affectionibus, et inde laetitiis; inde patet, quomodo coelestia et spiritualia mutantur in historica, dum in mundana, quae sunt sensus literae, delabuntur, in quo sensu vix aliter apparet, quam quod intelligendi sint senes, pueri, mulieres, puellae: apud Jeremiam, „ Effunde super *parvulum* in platea Hierosolymae, et

„super coetum juvenum pariter, quia etiam vir cum muliere „capientur, *senex* cum *pleno dierum*," VI: 11; ibi platea Hierosolymae pro falsis quae regnant in Ecclesia, n: 2336, quorum recentia et adulta vocantur parvulus et juvenes, vetusta et confirmata vocantur senex et plenus dierum: apud Eundem, „Dispergam in te equum et equitem ejus, et dispergam in te „currum et vectum in eo, et dispergam in te virum et mulierem, „et dispergam in te *senem* et *puerum*," LI: 21. 22, ibi similiter senex et puer pro vero confirmato et recenti: apud Eundem, „Ascendit mors in fenestras, venit in palatia nostra, ad exscindendum *parvulum* in platea, *juvenes* e vicis," IX: 20; ubi parvulus pro veris, quae primum nascuntur, quae exscinduntur, cum mors venit in fenestras et palatia, hoc est, in intellectualia et voluntaria, quod fenestrae sint intellectualia, videatur n: 655. 658; quod palatia seu domus voluntaria, n: 710.

2349. Omnis populus ab extremo, quod significet omnia et singula eorum, constat ab illis quae praecedunt, quod per pueros et senes significentur falsa et mala tam recentia quam confirmata, inde nunc populus ab extremo omnia et singula eorum; populus in genere etiam significat falsa, videatur n: 1259. 1260. Hic nunc describitur primus status eorum intra Ecclesiam, qui contra bonum charitatis sunt, et consequenter contra Dominum, nam unum involvit alterum, nemo enim conjungi potest Domino, nisi per amorem et charitatem, amor est ipsa conjunctio spiritualis, ut constare potest ab essentia amoris, et qui Ipsi non conjungi potest, Ipsum nec potest agnoscere; quod qui non in bono sunt, nec possint Dominum agnoscere, hoc est, fidem in Ipsum habere, constat apud Johannem, „Lux venit in „mundum, sed dilexerunt homines tenebras magis quam Lucem, „*erant* enim *opera eorum mala;* qui *mala facit*, odit Lucem, „et non venit ad Lucem, ne coarguantur *opera ejus;* qui autem „facit veritatem, venit ad Lucem, ut manifestentur *opera ejus*, „quoniam in Deo facta sunt," III: 19. 20. 21: ex quibus patet, quod qui contra bonum charitatis sunt, contra Dominum sint, seu quod idem, qui in malo sunt, quod odio habeant lucem, nec veniant ad lucem; quod Lux sit fides in Dominum, et Ipse Dominus, patet apud Johannem, Cap: I: 9. 10. Cap: XII: 35. 36. 46. Similiter alibi apud Eundem, „Non potest mundus odisse

„ vos, Me autem odit, quia Ego testor de illo, quod *opera ejus* „ *mala* sint," VII: 7: manifestius adhuc apud Matthaeum, „ Di„ cet iis, qui e sinistris, discedite a Me, maledicti; nam esurivi „ et non dedistis Mihi quod ederem; sitivi, et non potastis Me; „ Peregrinus eram, et non collegistis Me; Nudus, et non cir„ cuminduistis Me; Aegrotus, et in custodia, et non visitastis „ Me; amen dico vobis, in quantum non fecistis uni ex istis mi„ nimis, neque Mihi fecistis," XXV: 41. 42. 43. 45: inde patet, quomodo contra Dominum sunt, qui contra bonum charitatis; tum quod unusquisque judicetur secundum bonum quod est charitatis, non secundum verum quod est fidei, dum hoc separatum est a bono; ut quoque alibi apud Matthaeum, „ Venturus Filius „ hominis in gloria Patris sui cum angelis suis, et tunc reddet „ unicuique *juxta facta ejus,*" XVI: 27; facta pro bonis quae procedunt a charitate, quae charitatis sunt, etiam fructus fidei vocantur.

2350. Vers: 5. *Et clamaverunt ad Loth, et dixerunt ei, ubi Viri, qui venerunt ad te noctu, educ eos ad nos, et cognoscamus eos.* Clamaverunt ad Loth, et dixerunt ei, significat falsum ex malo irascens contra bonum: ubi Viri qui venerunt ad te, significat negationem Divini Humani et Sancti procedentis Domini: noctu, significat ultimum tempus quando amplius non agnoscuntur: educ eos ad nos, et cognoscamus eos, significat quod ostendere vellent quod sit falsum agnoscere quod sint.

2351. Clamaverunt ad Loth, et dixerunt ei, quod significet falsum ex malo irascens contra bonum, constare potest ex significatione clamare, tum Lothi, et sic ab affectu; quod vox Clamare, praedicetur de falso, n: 2240, ostensum est, quod Loth repraesentet homines Ecclesiae qui in bono, ita ipsum bonum, n: 2324; inde, et ex affectu irae qui in his verbis, constat, quod sit falsum ex malo irascens contra bonum. Quod plura genera falsi sint, in genere autem duo, nempe falsum quod producitur ex malo, et quod producit malum, videatur n: 1188. 1212. 1295. 1679. 2243: falsum ex malo, quod intra Ecclesiam, imprimis est falsum quod favet malis vitae, ut est illud, quod bonum, hoc est, charitas, non faciat hominem Ecclesiae, sed verum, hoc est, fides; et quod salvetur homo, utcunque per omnem vitae suae cursum in malis vixerit, modo

in statu sopitionis corporeorum, ut solet fieri brevi ante mortem, aliquid fidei cum apparente affectione, enuntiaverit; hoc falsum est, quod imprimis irascitur contra bonum, et significatur per quod clamaverint ad Loth. Causa irae est omne id quod destruere conatur jucundum alicujus amoris; ira vocatur quando malum impugnat bonum, Zelus autem quando bonum increpat malum.

2352. Ubi Viri qui venerunt ad te, quod significet negationem Divini Humani et Sancti procedentis Domini, constat ex significatione duorum Virorum, de qua supra n: 2320; tum etiam ex affectu, qui in hujus irae verbis latet; exque mox sequentibus, ubi dicitur, educ eos ad nos et cognoscamus eos: inde quod negatio involvatur, patet: Qui contra bonum charitatis sunt, quod sint contra Dominum, ac Ipsum negent corde, tametsi, amoris sui et mundi causa, profitentur ore, videatur supra n: 2343. 2349.

2353. Noctu, quod significet ultimum tempus quando amplius non agnoscuntur, constat a significatione Noctis, quod sit tempus tenebrarum, quando non amplius conspiciuntur illa quae lucis sunt: Angeli non venerunt noctu, sed vespera, sed quia sunt viri Sodomae, qui loquuti et clamaverunt, hoc est, qui in falso et malo sunt, non dicitur vespere sed noctu; Nox enim in Verbo significat tempus et statum, quando nulla amplius lux veri, sed mere falsum et malum, ita ultimum, quando judicium; in qua significatione legitur passim, ut apud Micham, „Contra Prophetas seducentes populum; *Nox* vobis ex visione, „et *obtenebrescit* vobis ex divinatione, et *occidit sol* super pro„phetis, et *nigrescit* super iis dies," III: 5. 6; prophetae hic pro iis qui docent falsa; nox, obtenebratio, occasus solis, nigrescens dies, pro falsis et malis: apud Johannem, „Si quis „ambulat in die, non offendit, si quis autem ambulat in *Nocte*, „offendit, quia lux non est in illo," XI: 9. 10; ubi nox pro falso ex malo; lux pro vero ex bono; sicut enim omnis lux veri est ex bono, ita omnis nox falsi est ex malo: apud Eundem, „Me oportet operari opera Ipsius, qui misit Me, quousque dies „est, venit *Nox* quando nemo potest operari," IX: 4; dies pro tempore et statu, quando bonum et verum, nox autem quando malum et falsum: apud Lucam, „Dico vobis, *ea Nocte*

„erunt duo super lecto uno, unus acceptabitur, alter deseretur," XVII: 34, ibi nox pro ultimo tempore, quando non amplius verum fidei. Quia in Aegypto, cum exibant inde filii Israëlis, repraesentabatur vastatio boni et veri intra Ecclesiam, et quod amplius nihil nisi falsum et malum regnaret, mandatum erat, ut *media nocte* exirent, Exod: XI: 4; et factum, quod *media nocte* omnia primogenita Aegypti occisa sint, Exod: XII: 12. 29. 30: et quia illi, qui in bono et vero, repraesentati per Filios Israëlis, inter falsa et mala, sicut Loth Sodomae, custoditi sunt, nox illa, respective ad eos, *Nox custodiarum Jehovae* dicitur, ibid: Vers: 42.

2364. Quod educ eos ad nos, et cognoscamus eos, significet quod ostendere vellent, quod sit falsum agnoscere quod sint, nempe Divinum Humanum et Sanctum procedens Domini, constat a significatione duorum Angelorum, de qua supra n: 2320; tum etiam ab affectu irae, in quo haec dicta sunt, in quo quod dicitur est negativum. Hic primus status Ecclesiae vastatae, hoc est, cum nulla fides, quia nulla charitas, incipit esse, describitur, qui status est, ut dictum, quod, quia contra bonum charitatis sunt, etiam in nulla fide sint, imprimis in nulla agnitione Divini Humani et Sancti procedentis Domini; hoc corde negant omnes illi, qui in vita mali sunt, nempe omnes illi, qui alios prae se contemnunt, odio habent omnes qui se non colunt, qui in vindictis contra eosdem, imo in crudelitate, jucundum sentiunt, quique adulteria pro nihilo reputant; melius suo tempore fecerunt Pharisaei, qui negarunt aperte Divinum Domini, quam tales hodie, qui sui cultus et foedi lucri causa, Ipsum exterius sancte colunt, at interius prophanum illud recondunt; hi quales successive fiunt, describitur in sequentibus per viros Sodomae, et demum per eversionem ejus, Vers: 24. 25: se habet cum homine, ut prius aliquoties dictum, quod sint apud eum spiritus mali, et simul angeli; per spiritus malos communicat ille cum inferno, et per angelos cum coelo, n: 687. 697; quantum itaque vita ejus accedit ad malum, tantum influit infernum, quantum autem vita accedit ad bonum, tantum influit coelum, ita Dominus; inde constat, quod qui in vita mali, non possint agnoscere Dominum, sed quod innumera sibi fingant contra Ipsum, quia influant phantasiae inferni, quas

recipiunt; at qui in vita boni sunt, ii agnoscunt Dominum, quia influit coelum, in quo amor et charitas principale est, quia coelum est Domini, a quo omnia amoris et charitatis, videatur n: 537. 540. 547. 548. 551. 553. 685. 2130.

2355. Vers: 6. 7. *Et exivit ad eos Loth ad januam, et ostium clausit post se. Et dixit, ne quaeso, fratres mei, malefaciatis.* Exivit ad eos Loth ad januam, significat quod prudenter se applicaret: et ostium clausit post se, significat ne violarent bonum charitatis, et negarent Divinum Humanum et Sanctum procedens Domini: et dixit, significat exhortationem: ne quaeso fratres mei malefaciatis, significat ne violent illa; fratres dicit, quia ex bono, ex quo exhortatus.

2356. Quod exivit ad eos Loth ad januam, significet quod prudenter se applicaret, constat ab interiori sensu Januae, et exire ad januam; Janua in Verbo significat id quod introducit seu intromittit vel ad Verum, vel ad Bonum, vel ad Dominum; inde est, quod etiam Janua significet ipsum Verum, tum ipsum Bonum, ut et Ipsum Dominum, nam Verum ducit ad Bonum, et Bonum ad Dominum; talia repraesentabant Janua et Vela Tentorii, tum quoque Templi, videatur n: 2145. 2152. 2576; quod illa significatio sit Januae, patet a Domini verbis apud Johannem, „Qui non est ingrediens per *Januam* in caulam ovium, „sed ascendit aliunde, is est fur et latro; qui vero ingrediens „est per *Januam*, pastor est ovium, huic *Janitor* aperit. Ego „sum *Janua ovium*, per Me si quis introiverit, salvabitur" X: 1. 2. 3. 7. 9: ibi Janua pro Vero et Bono, ita pro Domino, qui est ipsum Verum, et Bonum. Inde patet, quid significatur per intromitti per januam in coelum, proinde quid per claves quibus aperitur. Hic autem per januam significatur aliquod bonum, genio eorum, qui obsiderunt domum, adaequatum, nam janua distinguitur hic ab ostio, et erat ante domum, quod patet ex eo, quod Loth exiverit, et quod ostium clauserit post se; et quod bonum illud esset beatum vitae, constat ab illis quae mox sequuntur, quo persuaderet illis, qui in falso et malo erant; nam tales non persuaderi se patiuntur per ipsissimum bonum, id enim rejiciunt; ex quibus patet, quod per exire ad januam, hic significetur, quod prudenter se applicaret.

2357. Et ostium clausit post se, quod significet ne viola-

rent bonum charitatis, et negarent Divinum Humanum et Sanctum procedens Domini, constat ab illis quae nunc dicta sunt: claudere ostium est ne intrent, hic ne in bonum significatum per domum, ac ita ad Divinum et Sanctum Domini. Involvunt haec etiam arcaniora, in quorum sensum et ideam veniunt Angeli, cum haec leguntur: nempe quod illi, qui in vita mali sunt, non ulterius admittantur quam ad cognitionem boni et Domini, non autem usque ad ipsissimam agnitionem et fidem; ex causa, quia quamdiu in malo sunt, non simul in bono esse possint, servire simul duobus Dominis nemo potest: qui semel agnoscit et credit, si redit ad vitam mali, prophanat bonum et sanctum, qui autem non agnoscit et credit, is nec prophanare potest; ideo ex Providentia Domini cavetur, ne [12] homo admittatur ulterius in ipsam agnitionem et fidem cordis, quam quantum dein teneri in illa potest: et hoc ob causam poenae prophanationis, quae in inferno gravissima est; haec causa est, quod tam paucis hodie concedatur ex corde credere, quod bonum amoris et charitatis sit coelum in homine, et quod omne Divinum sit in Domino, in vita enim mali sunt: hoc nunc est, quod interius significatur, per quod Loth clausit ostium post se; ostium enim erat interior janua, per quam in ipsam domum, ubi Angeli, intrabatur, hoc est, in bonum in quo Dominus.

2358. Et dixit, quod significet exhortationem, constat ex illis, quae nunc sequuntur, ita absque ulteriore explicatione.

2359. Ne quaeso fratres mei malefaciatis, quod significet ne violarent illa, nempe bonum charitatis ac Divinum Humanum et Sanctum procedens Domini, constat a significatione malefacere, quod sit violare. Ex his, quod agatur de illis qui intra Ecclesiam, et quod ii sint, qui per viros Sodomae intelliguntur, patet, nam violare illa nemo potest, nisi qui Verbum habet. Quod haec sanctissima sint, constare potest ex eo, quod nemo admitti queat in Regnum Domini, hoc est, in Coelum, nisi sit in bono amoris et charitatis, et nemo in bono amoris et charitatis esse potest, nisi agnoscat Domini Divinum et Sanctum, ab Ipso Solo illud influit, et quidem in ipsum bonum quod ab Ipso; Divinum non potest influere nisi in Divinum, nec communicari homini nisi per Divinum Humanum et inde Sanctum Domini; inde intelligi potest, quid sit, quod Domi-

nus sit omne in omnibus sui Regni; tum quod nihil boni, quod apud hominem, sit hominis, sed Domini.

2360. Quod fratres dicat, quia ex bono, ex quo exhortatus, constat a significatione fratris; frater significat idem in Verbo ac Proximus, ex causa, quia quisque amare debet proximum sicut seipsum, ita fratres dicti ex amore, seu quod idem ex bono; haec nominatio et salutatio proximi venit inde, quod Dominus in Coelo omnium Pater sit, et quod omnes amet ut filios; et sic quod amor sit conjunctio spiritualis; refert inde universum coelum sicut unam generationem ex amore et charitate, n: 685. 917: ideo omnes filii Israëlis, quia Regnum Domini coeleste, hoc est, amoris et charitatis, repraesentabant, inter se Fratres dicti sunt, tum quoque Socii, sed hoc, seu socii, non ex bono amoris, sed ex vero fidei; ut apud Esaiam, „Vir *socium suum* adjuvant, et *Fratri suo* dicit, confirma te," XLI: 6: apud Jeremiam, „Sic dicetis vir ad *socium suum*, et „vir ad *Fratrem suum*, quid respondit Jehovah, et quid loquu„tus est Jehovah," XXIII: 35: apud Davidem, „Propter *Fra„tres meos* et *Socios meos* loquar, age pacem in te," Psalm: CXXII: 8: apud Mosen, „Non urgebit *Socium suum* et *Fratrem „suum*, quia proclamata intermissio Jehovae," Deut: XV: 2. 3. apud Esaiam, „Confundam Aegyptum cum Aegypto, et pugna„bunt vir contra *Fratrem suum*, et vir contra *socium suum*," XIX: 2: apud Jeremiam, „Vir a *socio suo* cavete, et super il„lo *Fratre* ne fidatis, omnis namque *Frater* supplantando sup„plantabit, et omnis *socius* calumniabitur," IX: 3. [13] Quod omnes ab Ecclesia illa, dicti sunt uno nomine fratres, apud Esaiam, „Adducent omnes *Fratres vestros* de omnibus genti„bus munus Jehovae, super equis, et super curru, et super rhe„dis cameratis, et super mulis, et super dromadibus, ad montem „sanctitatis meae, Hierosolymam," LXVI: 20; qui non sciunt praeter sensum literae, ut Judaei, non alios significari credunt, quam Jacobi posteros, tum quod illi super equis, et super curru, et super rhedis cameratis, super mulis, reducentur ab illis, quos Gentes vocant, ad Hierosolymam, sed per fratres intelliguntur omnes qui in bono; et per equos, currus, rhedas, illa quae sunt veri et boni, et per Hierosolymam Regnum Domini: apud Mosen, „Cum fuerit inter te egenus de uno *Fratrum tuorum*,

„ in una portarum tuarum, non obfirmabis cor tuum, et non „ claudes manum tuam e *Fratre tuo* egeno," Deut: XV: 7. 11: apud Eundem, „ E medio *Fratrum tuorum* pones super te Re- „ gem, non poteris dare supra te virum alienigenam, qui non „ *Frater* tuus ille; et non efferet se cor ejus prae *Fratribus* „ *suis*," Deut: XVII: 15. 20: apud Eundem, „ Prophetam e „ medio tui, de *Fratribus tuis*, sicut me, suscitabit tibi Jeho- „ vah Deus tuus, Huic obedietis," Deut: XVIII: 15. 18. Exinde patet, quod Judaei et Israëlitae se omnes dixerint fratres, foederatos autem socios; at quia illi nihil praeter historica et mundana Verbi sapiebant, inde fratres se dixisse credebant, quia omnes filii unius patris seu Abrahami essent; at in Verbo non dicti sunt fratres inde, sed a bono quod repraesentabant; Abrahamus etiam in sensu interno non aliud est, quam ipse amor, hoc est, Dominus, n: 1893. 1965. 1989. 2011, Cujus filii, et sic fratres, sunt qui in bono, imo omnes, qui Proximus dicuntur, ut Dominus docet apud Matthaeum, „ Unus est vester „ Magister, Christus, omnes vos *Fratres estis*," XXIII: 8: apud Eundem, „ Quisquis irascitur *Fratri suo* temere, obnoxius erit „ judicio; quicunque dixerit *Fratri suo* raka, obnoxius erit syn- „ edrio. Si obtuleris munus super altari, et apud hoc recorda- „ tus fueris, quod *Frater tuus* habeat aliquid contra te, relin- „ que ibi munus coram altari, et abi prius reconciliare *Fratri*," V: 22. 23. 24: apud Eundem, „ Cur cernis festucam, qui in ocu- „ lo[14] *Fratris tui*; quomodo dices *Fratri tuo*, sine festucam „ ejiciam ex oculo tuo," VII: 2. 3. 4: apud Eundem, „ Si pec- „ caverit in te *Frater tuus*, abi et argue eum inter te et ipsum „ solum: si te audiverit, lucratus es *Fratrem tuum*," XVIII: 15: apud Eundem, „ Accedens Petrus ad Ipsum, dixit, Domi- „ ne, quoties peccabit in me *Frater meus*, et remittere debeo," XVIII: 21: apud Eundem, „ Sic et Pater meus coelestis faciet „ vobis, si non remiseritis suo quisque *Fratri* ex cordibus delicta „ eorum," XVIII: 35: ex his liquet, quod omnes in universo dicantur fratres, qui proximus, et hoc inde, quia quisque amare debet proximum ut seipsum, ita ex amore seu bono: et quia Dominus est ipsum Bonum, et omnes spectat ex bono, et est ipse Proximus in supremo sensu, Ipse quoque illos vocat fratres, ut apud Johannem, „ Dixit Jesus ad Mariam, abi ad *Fra-*

„*tres meos*," XX: 17: et apud Matthaeum, „Respondens Rex „dicet illis, amen dico vobis, in quantum fecistis uni ex his „*Fratribus meis* minimis, Mihi fecistis," XXV: 40: Inde nunc constat, quod Frater sit vox amoris.

2361. Vers: 8. *Ecce quaeso mihi duae filiae, quae non cognoverunt virum, educam quaeso eas ad vos, et faciatis eis sicut bonum in oculis vestris; tantum viris illis ne faciatis quicquam, quia propterea venerunt in umbram trabis meae.* Ecce quaeso mihi duae filiae quae non cognoverunt virum, significat affectiones boni et veri: educam quaeso eas ad vos, significat beatitudinem ex illis: et faciatis eis sicut bonum in oculis vestris, significat fruitionem quantum perciperent ex bono: tantum Viris illis ne faciatis quicquam, significat quod non Divinum Humanum et Sanctum procedens Domini violarent: quia propterea venerunt in umbram trabis meae, significat quod in bono charitatis sint; umbra trabis, est in ejus communi obscuro.

2362. Ecce mihi duae filiae quae non cognoverunt virum, quod significet affectiones boni et veri, constat a significatione filiarum, quod sint affectiones, de qua n: 489. 490. 491; quod non cognoverint virum, significat quod non falsum contaminaverit illas, vir enim significat rationale verum, tum quoque in opposito sensu falsum, n: 265. 749. 1007: sunt binae affectiones, nempe boni et veri, videatur n: 1997; illa seu affectio boni constituit Ecclesiam coelestem, et vocatur in Verbo Filia Sionis, ut et Filia Virgo Sionis; haec autem seu affectio veri constituit Ecclesiam spiritualem, et vocatur in Verbo Filia Hierosolymae; ut apud Esaiam, „Sprevit te, subsannavit te *Filia Virgo Sionis*, post te caput movit Filia Hierosolymae," XXXVII: 22: 2 Reg: XIX: 21: apud Jeremiam, „Quid assimilabo tibi o *Filia Hierosolymae;* quid aequabo tibi, et consolabor te, *Virgo Filia Sionis*," Thren: II: 13: apud Micham, „Tu o turris gregis, clive *Filiae Sionis*, usque ad te „veniet, et veniet dominium prius, regnum *Filiae Hierosolymae*," IV: 8; apud Zephaniam, „Jubila *Filia Sionis*, clangite Israël, laetare et exulta in toto corde *Filia Hierosolymae*," III: 14: apud Sachariam, „Exulta valde *Filia Sionis*, clange „*Filia Hierosolymae*, ecce Rex tuus veniet tibi," IX: 9. [15]

Matth: XXI: 5. Joh: XII: 15: quod Ecclesia coelestis, seu Regnum coeleste Domini, ex affectione boni, hoc est, ex amore in Ipsum Dominum, dicatur Filia Sionis, videatur adhuc, Esai: X: 32: Cap: XVI: 1: Cap: LII: 2: Cap: LXII: 11: Jer: IV: 31: Cap: VI: 2. 23: Thren: I: 6: Cap: II: 1. 4. 8. 10. Mich: IV: 10. 13. Sachar: II: 14. Psalm: IX: 15: et quod Ecclesia spiritualis, seu Regnum spirituale Domini, ex affectione veri, et sic ex charitate erga proximum, dicatur Filia Hierosolymae, Thren: II: 15. De utraque illa Ecclesia, qualis una, et qualis altera, pluries in Parte Prima actum est. Ecclesia Coelestis ex eo quod ex amore in Dominum sit in amore erga proximum assimilatur imprimis Filiae innuptae seu virgini, imo etiam vocatur virgo, ut apud Johannem, „Hi sunt qui cum mulieribus „non polluti sunt, *Virgines* enim sunt: hi sunt qui sequuntur „Agnum, quo vadit; immaculati enim sunt coram throno Dei," Apoc: XIV: 4. 5: ut quoque repraesentaretur hoc in Ecclesia Judaica, injunctum fuit sacerdotibus, ut non viduas, sed virgines in uxores acciperent, Levit: XXI: 13. 14. 15. Ezech: XLIV: 22. Ex his, quae in hoc Versu sunt, constare potest, quam purum sit Verbum in sensu interno, tametsi aliter in litera apparet; dum enim haec leguntur, „Ecce quaeso mihi „duae filiae, quae non cognoverunt virum, educam quaeso eas „ad vos, et faciatis eis sicut bonum in oculis vestris, tantum „Viris illis ne faciatis quicquam," non aliud quam quoddam impurum subit ideas, imprimis in illorum, qui in vita mali sunt; sed usque quam casta haec sint in sensu interno, patet ab explicatione, nempe quod significent affectiones boni et veri, ac beatitudinem quam perciperent ex fruitione earum, illi, qui Divinum et Sanctum Domini non violant.

2363. Educam quaeso eas ad vos, quod significet beatitudinem ex illis, nempe ex affectionibus boni et veri, constat a sensu eorum verborum, cum praedicantur de affectionibus, quae per filias hic intelliguntur. Quod ipsam rem attinet, nempe quod beatitudo et felicitas solum sit in affectione boni et veri, alte ignorant omnes qui in malo et ejus jucundo sunt, beatitudo in affectione boni et veri illis apparet vel sicut quoddam nullum, vel sicut quoddam triste, quibusdam ut quoddam dolorificum, imo ut mortiferum; genii et spiritus infernales tales sunt, pu-

tant hi et credunt, si illis auferretur jucundum amoris sui et mundi, consequenter malorum inde, quod nihil vitae iis superesse possit; at cum iis ostenditur, quod tunc ipsa vita cum beato et felici incipiat, triste quoddam ex jactura sui jucundi sentiunt, et cum adducuntur inter eos qui in tali vita sunt, dolor et cruciatus eos occupat; praeter quod tunc quoque sentire incipiant in se cadaverosum quoddam, ac dirum infernale, quare vocant coelum, in quo illud beatum et felix, suum infernum, et quantum se a facie Domini removere et abscondere possint, aufugiunt: quod tamen usque omne beatum et felix consistat in affectione boni quod est amoris et charitatis, ac veri quod fidei, quantum hoc ducit ad illud, constare potest ex eo, quod coelum, hoc est, vita angelica in eo consistat, tum quod ab intimis afficiat, quia per intima influit a Domino, videatur n: 540. 541. 545; tunc etiam sapientia et intelligentia intrat et opplet ipsius mentis adyta, et incendit bonum coelesti flamma, et verum coelesti luce, et hoc cum perceptione beati et felicis, de qua non nisi quam ineffabile praedicari potest; qui in hoc statu sunt, ii percipiunt, quam nulla, et quam tristis, et quam lamentabilis vita sit illorum, qui in malis amoris sui et mundi sunt. Sed ut sciat homo, qualis haec vita sit respective, nempe vita amoris sui et mundi, seu quod idem, vita fastus, avaritiae, invidiae, odii, vindictae, immisericordiae, adulterii, qui aliqua ingenii dote pollet, characterem alicujus illorum sibi faciat, aut si possit, coram se, secundum ideas, quas ab experientia, scientia et ratione de illis capere possit, depingat, tunc videbit, quantum instat describendo vel depingendo, quam horrenda sint, et quod sint formae diabolicae, in quibus nihil humanum; ejuscemodi formae fiunt omnes illi post mortem, qui jucundum vitae in talibus percipiunt, ac eo horribiliores, quo plus jucundi: vicissim autem si characterem sibi faciat amoris et charitatis, aut quoque per formam sibi illum exprimat, videbit, quantum instat describendo aut delineando, quod forma sit angelica, plena beatis et pulchris, in qua coeleste et Divinum; an quisquam credere possit, quod binae illae formae simul esse possint; et quod exui diabolica illa forma, et transcribi in formam charitatis queat, et hoc per fidem, cui contraria est vita; post mortem enim manet unumquemvis vita, seu

quod idem, affectio, secundum hanc est tunc omnis cogitatio, proinde fides, quae se sic manifestat, qualis corde fuerat.

2364. Et faciatis eis sicut bonum in oculis vestris, quod significet fruitionem quantum ex bono, etiam constare potest ex sensu verborum, tum a serie, cum ea praedicantur de affectionibus, quae per filias significantur. Quod prudenter se applicuerit, significatum est per quod exivit ad eos Loth. ad januam, n: 2356, ipsa prudentia ex his dictis et reliquis in hoc Versu patet, nempe quod fruerentur beatitudine affectionum boni et veri, quantum ex bono, quod significatur per quod facerent eis sicut bonum in oculis eorum; frui quantum ex bono, hic est, quantum scirent quod sit bonum, ultra nemo obligatur; flectuntur enim omnes a Domino ad bonum vitae per bonum fidei eorum, ita aliter gentes quam Christiani, aliter simplices quam docti, aliter infantes quam adulti; qui malo imbuerunt vitam, ii flectuntur per quod abstineant a malo, ac intendant bonum, et hoc faciant secundum captum eorum; intentio seu finis tunc apud eos spectatur, et tametsi actus non sint boni in se, usque a fine trahunt aliquid boni ac inde vitae, quod facit beatum eorum.

2365. Quod tantum Viris illis ne faciatis quicquam, significet quod non Divinum Humanum et Sanctum procedens Domini violarent, constat ex significatione virorum et angelorum, de qua supra.

2366. Quia propterea venerunt in umbram trabis meae, quod significet quod in bono charitatis sint, constat ex significatione domus, quod sit bonum, n: 710. 2233. 2234, quae hic vocatur umbra trabis, ex causa, de qua mox.

2367. Quod umbra trabis sit in communi obscuro, ita se habet, perceptio boni et veri, non est nisi in obscuro apud hominem, etiam regeneratum, magis apud eum qui in externo cultu est, qui per Lothum hic repraesentatur; affectiones sicut perceptiones, quando in corporeis est homo, hoc est, cum in corpore vivit, sunt communissimae, proinde obscurissimae, utcunque homo putat, quod non ita sit, sunt myriades myriadum in unaquavis ejus affectiuncula, etiam in unaquavis ejus perceptionis idea, quae sicut una ei apparet, quod ex Divina Domini Misericordia, ostendendum venit, ubi de affectionibus

et ideis agetur; homo pauca ex iis quae insunt, per reflexionem, quandoque potest explorare ac describere, sed innumerabilia, imo indefinita latent, quae nusquam ad ejus cognitionem veniunt, nec venire possunt, quamdiu in corpore vivit, sed patent postquam corporea et mundana exstincta sunt; quod satis constare potest ex eo, quod homo, qui in bono amoris et charitatis fuit, cum in alteram vitam transit, a vita obscura in clariorem, sicut a quadam nocte in diem, veniat, et quantum in coelum Domini, tantum in clariorem, usque ad lucem, in qua sunt Angeli, quorum lux intelligentiae et sapientiae ineffabilis est, ipsum lumen, in quo est homo respective, est sicut tenebricosum: inde hic dicitur, quod venerint in umbram trabis suae, quo significatur, quod in suo communi obscuro sint; hoc est, quod parum sciat de Divino et Sancto Domini, sed usque quod agnoscat et fidem habeat, quod sit, et quod illud in bono charitatis sit, hoc est, apud eos qui in illo bono sunt.

2368. Vers: 9. *Et dixerunt, accede ultra, et dixerunt, num unus venit ad peregrinandum, et judicabit judicando; nunc malefaciemus tibi prae illis; et urserunt in virum, in Loth valde; et accesserunt ad effringendum ostium.* Et dixerunt, significat responsum ex ira: accede ultra, significat minas irae eorum: et dixerunt num unus venit ad peregrinandum, significat qui alia doctrina et alia vita: et judicabit judicando, significat num illi docebunt nos: nunc malefaciemus tibi prae illis, significat quod bonum charitatis magis rejicerent quam Divinum Humanum et Sanctum procedens Domini: et urserunt in virum, significat quod vim inferre vellent vero: in Loth valde, significat quod maxime bono charitatis: et accesserunt ad effringendum ostium, significat quod venirent usque ad conatum destruendi utrumque.

2369. Et dixerunt, quod significet responsum ex ira, constare potest ab illis quae praecedunt et quae sequuntur, ita absque explicatione.

2370. Accede ultra, quod significet minas irae, nempe contra bonum charitatis, constat a significatione Lothi, quod sit bonum charitatis, ad quem et de quo haec dicta sunt; quae quod minae irae sint, ab ipsis verbis patet; et a sequentibus,

quod etiam involvant, quod prorsus illud rejicerent, si plura de eo loqueretur, et suaderet, quod est, accede ultra.

2371. Et dixerunt, num unus venit ad peregrinandum, quod significet qui alia doctrina, et alia vita, sunt, constat a significatione peregrinari, quod sit instrui et vivere, ita doctrina et vita, de qua n: 1463. 2025. Hic, status Ecclesiae describitur, qualis est circa ultima tempora, quando nulla amplius fides quia nulla charitas, quod nempe bonum charitatis, quia secessit prorsus e vita, etiam rejiciatur ex doctrina. Hic non de illis agitur, qui bonum charitatis falsificant, in sui favorem explicando, et propter se, ut maximi sint, et propter mundi bona ut omnia possideant, ac dispensationes mercedum sibi arrogant, et sic bonum charitatis variis artibus et illusoriis modis conspurcant: sed de illis, qui nihil de bonis charitatis seu de bonis operibus, sed solum de fide ab illis separata, audire volunt, et hoc ex ratiocinatione, quod non nisi quam malum sit in homine, et quod bonum quod ab ipso etiam in se malum sit, in quo sic nihil salutis; et quod mereri coelum per aliquod bonum nemo possit, ita non per illud salvari, sed solum per fidem qua agnoscant meritum Domini; haec doctrina est, quae ultimis temporibus, quando exspirare incipit Ecclesia, viget, et ardenter docetur, et faventer arripitur; sed concludere inde, quod aliquis vitam habere possit malam, et fidem bonam, falsum est; tum quoque quia non nisi malum in homine, non dari queat bonum a Domino, in quo quia Dominus est, coelum est, et quia coelum, est beatum et felix: demum quia nemo per aliquod bonum mereri queat, quod non detur bonum coeleste a Domino, in quo spectatur meritum ut quoddam enorme; in tali bono sunt omnes angeli, in tali omnes regenerati, et in tali qui jucundum, imo beatum in ipso bono, seu in ejus affectione, percipiunt; de hoc bono, seu de hac charitate ita Dominus apud Matthaeum, „Audivistis, quod dictum sit, amabis proximum tuum, et odio „habebis inimicum tuum: Ego dico vobis, benefacite odio vos „habentibus, et orate pro laedentibus et persequentibus vos, ut „sitis filii Patris vestri qui in coelis: nam si amaveritis amantes „vos, quod praemium habetis; et si salutatis fratres vestros tantum, quid abundantius facitis, nonne etiam publicani sic faciunt," V: [43. 44.] 45. 46. 47. 48; similiter apud Lucam

cum his adjectis, „ Benefacite atque mutuo date nihil inde sperantes, tunc erit merces vestra multa, et eritis filii Altissimi, " VI: 27 ad 36: ubi describitur bonum quod a Domino, et quod sit absque omni fine retributionis, quare qui in illo, vocantur filii Patris qui in coelis, ac filii Altissimi; et quia in illo est Dominus, etiam est merces, apud Lucam, „ Quando feceris prandium aut „ coenam, ne voca amicos tuos, neque fratres tuos, neque cog„ natos tuos, neque vicinos divites, ne forte illi te vicissim vo„ cent, fiatque tibi retributio: sed quando feceris convivium, voca „ pauperes, mancos, caecos, tunc beatus eris, quia non habent „ ad retribuendum, retribuetur tibi in resurrectione mortuo„ rum, " XIV: 12. 13. 14: prandium, coena, convivium, est bonum charitatis, in quo cohabitatio Domini cum homine, n: 2341, quare per illud describitur, et manifeste patet, quod retributio sit in ipso bono, quia in illo Dominus, nam dicitur, retribuetur in resurrectione mortuorum. Qui bonum ex se, quia Dominus ita mandavit, facere student, ii sunt qui tandem accipiunt hoc bonum, et qui dein instructi agnoscunt fide, quod omne bonum sit a Domino, n: 1712. 1937. 1947, et tunc aversantur ita meritum sui, ut cum modo cogitant de merito, contristentur, et percipiant beatum et felix apud eos in tantum diminui; aliter qui id non faciunt, sed agunt vitam mali, docendo et profitendo, quod in fide separata sit salus, ii nec sciunt quod tale bonum dabile sit; et quod mirum, iidem in altera vita, quod a multa experientia scire datum, ex bonis quibuscunque, quorum reminiscuntur, mereri volunt coelum, quia tunc primum sciunt, quod in fide separata a charitate non sit salus; sed tunc sunt illi, de quibus Dominus apud Matthaeum, „ Dicent Mihi in illa die, Domine, Domine, nonne per Nomen „ tuum prophetavimus, et per Nomen tuum daemonia ejecimus, „ et in Nomine tuo virtutes multas fecimus, sed tunc confitebor „ illis, non novi vos, discedite a Me, *operantes iniquitatem*, " VII: 22. 23: apud eosdem etiam apparet, quod nihil prorsus attenderint ad omnia illa, quae Ipse Dominus de bono amoris et charitatis toties docuit, sed quod illa fuerint sicut nubes quae praetervolant, aut sicut visa in nocte, ut quae apud Matthaeum, III: 8. 9. Cap: V: 7 ad 48. Cap: VI: 1 ad 20. Cap: VII: 16 ad 20: 24 ad 27. Cap: IX: 13, Cap: XII: 33. Cap: XIII: 8. 23.

Cap: XVIII: 21. 22. 23. ad f. Cap: XIX: 19. Cap: XXII: 34 ad 39. Cap: XXIV: 12. 13. Cap: XXV: 34 ad f. Marc: IV: 18. 19. 20. Cap: XI: 13. 14. 20. Cap: XII: 28 ad 35. Luc: III: 8. 9. [16] Cap: VI: 27 ad 39. 43 ad f. Cap: VII: 47. Cap: VIII: 8. 14. 15. Cap: X: 25 ad 28. Cap: XII: 58. 59. Cap: XIII: 6 ad 10. Joh: III: 19. 21. Cap: V: 42. Cap: XIII: 34. 35. Cap: XIV: 14. 15. 20. 21. 23. Cap: XV: 1 ad 8. 9 ad 19. Cap: XXI: 15. 16. 17. Haec nunc et similia sunt, quae significata sunt per quod viri Sodomae, hoc est, illi qui in malo, n: 2220. 2246. 2322, dixerint ad Lothum, Num unus venit ad peregrinandum, et judicabit judicando, hoc est, qui alia doctrina et alia vita, num illi docebunt nos.

2372. Et judicabit judicando, quod significet num illi docebunt nos, constat a significatione judicare, quod sit docere; quod Justitia praedicetur de exercitio boni, Judicium autem de instructione veri, n: 2235, ostensum est, inde est, quod Judicare in sensu interno sit instruere seu docere: docere verum est idem ac docere quid bonum, quia omne verum spectat bonum.

2373. Quod nunc malefaciemus tibi prae illis, significet quod bonum charitatis magis rejicerent, quam Divinum Humanum et Sanctum procedens Domini, constare potest a significatione Lothi, quod sit bonum charitatis, Loth enim repraesentat eos, qui in bono charitatis sunt, n: 2324. 2351. 2371: et a significatione Virorum seu Angelorum, quod sit Dominus quoad Divinum Humanum et Sanctum procedens, de qua supra; inde patet, quod malefacere tibi prae illis, sit ille sensus. Quod illi qui in malo sunt intra Ecclesiam, rejiciant magis charitatem, quam negent Dominum, causa est, quod sic concupiscentiis suis favere possint per religiosum quoddam, ac habere cultum externum interno nullo, hoc est, cultum oris non cordis, quem cultum quo magis Divinum et Sanctum faciunt, eo magis in dignitate sunt et in lucro; praeter plures alias causas, quae latent, sed usque patent: cum tamen ita se res habet, quod qui rejicit unum, nempe doctrina et simul vita, etiam rejiciat alterum, si non ausit ore, usque facit corde; quod etiam exprimitur in sensu literae, per quod accesserint ad effringendum ostium, quo significatur, quod venerint usque ad conatum destruendi utrumque; sed quid conatum inhibet, quin in actum erumpat, nec latet.

2374. Quod urserunt in virum, significet quod vim inferre vellent vero, constat a significatione viri, quod sit intellectuale et rationale apud hominem, et quia hoc, est verum, de qua n: 158. 1007. Vim inferre vero, est pervertere illa quae sunt fidei, quae pervertuntur cum separantur a charitate, et cum negatur quod [17] ducant ad bonum vitae.

2375. Quod in Loth valde, significet quod maxime bono charitatis, constat a significatione Lothi, quod sit bonum charitatis, de qua supra n: 2324. 2351. 2371. 2373: ex ipsis his verbis, quod urserint in virum, in Loth valde, constare potest, quod aliud quid significetur per virum, et aliud per Loth valde, alioquin unum satis fuisset.

2376. Quod accesserunt ad effringendum ostium, significet quod venirent usque ad conatum destruendi utrumque, constat ex significatione accedere, quod sit conari; et a significatione ostii, quod sit id quod introducit ad bonum et ad Dominum, tum quod sit ipsum bonum, et Ipse Dominus, de qua n: 2356. 2357. haec quomodo se habent, videatur supra n: 2373.

2377. Vers: 10. *Et emiserunt Viri manum suam, et introduxerunt Lothum ad se in domum, et ostium clauserunt.* Emiserunt Viri manum suam, significat Domini potentem opem: et introduxerunt Lothum ad Se in domum, significat quod Dominus tutetur eos qui in bono charitatis sunt: et ostium clauserunt, significat quod etiam omnem aditum ad eos praecludat.

2378. Emiserunt Viri manum, quod significet Domini potentem opem, constat a significatione Virorum, quod sit Dominus, de qua supra; et a significatione manus, quod sit potentia, de qua n: 878.

2379. Quod introduxerunt Lothum ad se in domum, significet quod Dominus tutetur eos qui in bono charitatis sunt, constat a repraesentatione Lothi, quod sint qui in bono charitatis sunt, de qua supra; et a significatione introducere ad se in domum, quod sit tutari; introduci in domum, est in bonum, et qui in bonum, introducuntur in coelum, et qui in coelum, est ad Dominum, inde tuti ab omni infestatione quoad animas: quod homo qui in bono, quoad animam sit in societate cum Angelis, et sic cum vivit in corpore, usque in coelo, tametsi

id tunc non novit, nec potest angelicum gaudium percipere quia est in corporeis et in praeparatione, videatur n: 1277.

2380. Quod ostium clauserunt, significet quod etiam omnem aditum ad eos praecludat, constat a significatione Ostii, quod sit id quod introducit, n: 2356. 2367. 2376, ita aditus; inde est quod claudere ostium sit praecludere aditum: in altera vita praecluditur aditus, per quod separantur boni a malis, ut a sphaeris persuasionum falsi et cupiditatum mali, non infestari queant, nam penetrare exhalatio inferni ad coelum nequit; in vita corporis praecluditur aditus, quod principia et persuasiones falsi nihil efficere possint apud eos qui in bono, angeli qui apud eos, illico dum infunditur aliquod falsum mali aut malum falsi, sive in sermone ab homine malo, sive in cogitatione à spiritu seu genio malo, avertunt, et ad aliquod verum et bonum, in quo confirmati sunt, flectunt; et hoc utcunque infestarentur quoad corpus, quia hoc nihili aestimant respective ad animam. Homo, dum in corporeis adhuc est, in tam communi obscura idea et perceptione est, n: 2367, ut vix sciat, num in bono charitatis sit, vel non, etiam ex causa, quia non scit quid charitas, et quid proximus; sed sciendum, quinam sunt; omnes illi in bono charitatis sunt, qui Conscientiam habent, hoc est, qui a justo et aequo, bono et vero, nihil discedere volunt, propter ipsum justum et aequum, bonum et verum; hoc enim est ex conscientia; ac qui inde bene cogitant de proximo, et ei bene volunt, etiamsi foret inimico, et hoc absque omni retributione; hi sunt qui in bono charitatis sunt, sive extra Ecclesiam sive intra Ecclesiam sint; qui intra Ecclesiam, iidem adorant Dominum, et libenter audiunt et faciunt illa quae docuit. Vicissim, qui in malo, nullam Conscientiam habent: justum et aequum non curant nisi quantum inde lucrari possint famam, quod tales videantur; quid bonum et verum, quod vitam spiritualem afficiat, non sciunt, etiam rejiciunt sicut nullum; praeterea male cogitant de proximo, et ei male volunt, etiam male faciunt, etiamsi foret amico si eis non faveat, et jucundum in eo percipiunt; si quid boni, est ex fine retributionis; tales intra Ecclesiam Dominum negant in occulto, et quantum honor, lucrum, fama aut vita non periclitantur, aperte. Sed usque sciendum, quod quidam putent se non esse in bono cum sunt, et qui-

dam se esse in bono cum non sunt; quod quidam putent se non esse in bono cum sunt, est causa, quia dum reflectunt super id apud se, illico ab Angelis tunc, in quorum societate sunt, insinuatur quod non in bono, ne sibi bonum tribuant, et flectatur cogitatio in sui meritum, et sic in praeferentiam sui prae aliis, si aliter, caderent in tentationes: quod autem quidam putent se esse in bono cum non sunt, est causa, quia dum reflectunt super id, illico a malis geniis et spiritibus, in quorum consortio sunt, infunditur quod sint in bono, jucundum enim mali credunt bonum, imo suggeritur, quicquid boni aliis fecerint ex causis amoris sui et mundi, bonum esse quod retribuendum, etiam in altera vita, ita quod mereantur prae aliis, quos contemnunt prae se, imo nihili aestimant; et quod mirum, ii si cogitarent aliter, caderent in tentationes, in quibus succumberent.

2381. Vers: 11. *Et viros, qui januae domus, percusserunt caecitatibus, a parvo usque ad magnum, et laboraverunt ad inveniendum januam.* Viros qui januae domus, significat rationalia et inde doctrinalia, per quae vis infertur bono charitatis: percusserunt caecitatibus, significat quod opplerentur falsitatibus: a parvo usque ad magnum, significat in particulari et communi: et laboraverunt ad inveniendum januam, significat usque ut non videre possent aliquid verum quod duceret ad bonum.

2382. Et viros qui januae domus, quod significet rationalia et inde doctrinalia, per quae vis infertur bono charitatis, constat a significatione virorum, quod sint rationalia, de qua n: 158. 1007; a significatione januae, quod sit introductio seu aditus, qui ducit vel ad verum vel ad bonum, ita doctrinale, de qua supra n: 2356; et a significatione domus, quod sit bonum charitatis, de qua supra passim: hic quia agitur de illis, qui accesserunt ad effringendum ostium, hoc est, qui conati destruere tam bonum charitatis quam Divinum et Sanctum Domini, n: 2376, intelliguntur rationalia mala, et inde doctrinalia falsa, per quae vis infertur bono charitatis.

2383. Quod percusserunt caecitatibus, significet quod opplerentur falsitatibus, constat a significatione Caecitatis: Caecitas praedicatur in Verbo de iis qui in falso sunt, tum quoque de iis qui in ignorantia veri, utrique vocantur caeci, sed qui-

nam intelliguntur, a serie rerum, imprimis in sensu interno, constare potest: quod Caeci vocentur qui in falso, constat ab his locis; apud Esaiam, „*Speculatores ejus Caeci*, omnes ii „non sciunt, omnes ii canes muti, non possunt latrare," LVI: 10: speculatores caeci pro iis qui ex ratiocinatione sunt in falso: apud Eundem, „Exspectamus lucem, et ecce tenebrae; splen„dores, in caliginibus ambulamus; palpamus sicut *Caeci* parie„tem," LIX: 9. 10: apud Jeremiam, „Errarunt *Caeci* in pla„teis, polluerunt se sanguine, ea quae non possunt, tangunt „vestimentis," Thren: IV: 14; pro quod omnia vera polluta sint, platea pro veris, in quibus errarunt, n: 2336: apud Sachariam, „In die illo percutiam omnem equum stupore, et equi„tem ejus furore, omnem equum populorum percutiam *Caeci„tate*," XII: 4; equus hic et alibi in Verbo pro intellectuali, inde dicitur quod equus perculeretur stupore, et quod equus populorum percuteretur caecitate, hoc est, oppleretur falsitatibus: apud Johannem, „In judicium Ego in mundum veni, ut „*non videntes* videant, videntes vero *caeci* fiant: audiverunt „ex Pharisaeis haec, dixerunt, num etiam nos *Caeci* sumus, „dixit illis Jesus, si *Caeci* essetis, non haberetis peccatum; jam „autem dicitis, quod videamus, ideo peccatum vestrum manet," IX: 39. 30. 41: hic Caeci in utroque sensu, qui nempe in falso, et qui in ignorantia veri; qui intra Ecclesiam et sciunt quid verum, Caecitas apud eos est falsitas; at qui non sciunt quid verum, ut qui extra Ecclesiam, caecitas apud eos est ignorantia veri, qui inculpati: apud Eundem, „*Occaecavit eorum oculos*, „et obturavit eorum cor, ut *non videant oculis suis*, et intel„ligant corde, et sanem eos," XII: 40. Es: VI: 9. 10. 11; pro quod satius foret, ut in falsitatibus essent, quam in veris, quia in vita mali, qui si instruerentur in veris, ea non solum adhuc falsificarent, sed etiam malis conspurcarent; ex simili causa, qua viri Sodomae percussi sunt caecitatibus, hoc est, doctrinalia opplerentur falsitatibus; cur hoc fiat, ostensum est, n: 301. 302. 303. 593. 1008. 1010. 1059. 1327. 1328. 2426: quia caecum significabat falsum, ideo in Ecclesia repraesentativa Judaica prohibitum fuit sacrificare aliquod caecum, Lev: XXII: 22. Deut: XV: 21. Mal: I: 8: tum vetitum, quod caecus ex sacerdotibus accederet ad offerendum super altari, Levit: XXI:

19. 21. Quod Caecitas praedicetur de ignorantia veri, in qua sunt gentes, constat apud Esaiam, „Audient in die illa surdi „verba Libri, et ex caligine, eque tenebris *oculi caecorum videbunt,*" XXIX: 18: caeci pro illis qui in ignorantia veri, praecipue qui extra Ecclesiam; apud Eundem, „Educ *populum* „*caecum*, et oculi erunt; et surdos, et aures eis," XLIII: 8; ubi de Ecclesia Gentium: apud Eundem, „Ducam *Caecos* in „via non noverunt, ponam tenebras coram iis in lucem," XLII: 16: et apud Eundem, „Dabo Te in lucem populi, ad aperien„dum *oculos caecos*, ad educendum e claustro vinctum, e domo „carceris sedentes tenebris," XLII: 6. 7; ubi de adventu Domini, quod tunc instruerentur illi, qui in ignorantia veri; qui enim in falsitate sunt; ii se non ita patiuntur instrui, quia norunt verum, et confirmarunt se contra illud, et verterunt lucem in tenebras, quae non discutiuntur: apud Lucam, „Dixit Pater„familias servo suo, abi ocius in plateas [18] et vicos urbis, ac „pauperes et mancos, et claudos, et *Caecos*, introduc huc," XIV: 21; ubi de Regno Domini, quod pauperes, manci, claudi, caeci, non significentur, patet, sed qui in sensu spirituali tales sunt: apud Eundem, „Dixit Jesus, ut renuntiarent Johanni; „quod *Caeci* videant, *Claudi* ambulent, *Leprosi* mundentur, „*Surdi* audiant, *Mortui* resurgant, *Pauperibus* evangelium „praedicetur," VII: 22; secundum sensum literae, per caecos, claudos, leprosos, surdos, mortuos, pauperes, non alii intelliguntur quam tales, quia ita etiam factum, nempe quod caeci receperint visum, surdi auditum, leprosi sanitatem, mortui vitam, sed usque in sensu interno intelliguntur iidem, qui apud Esaiam, „Tunc aperientur *Oculi Caecorum*, et aures *Surdorum* „aperientur, et saliet sicut cervus *Claudus*, et cantabit lingua „*Mutus*," XXXV: 5. 6; ubi de adventu Domini, et de nova tunc Ecclesia, quae vocatur gentium, de quibus praedicatur, quod essent caeci, surdi, claudi, muti, ita dicti quoad doctrinam et vitam; nam sciendum, quod omnia Miracula, quae a Domino facta sunt, semper involverint talia, et inde significaverint, quae per caecos, claudos, leprosos, surdos, mortuos, pauperes, in sensu interno intelliguntur, inde Miracula Domini fuerunt Divina, sicut etiam illa, quae facta sunt in Aegypto, in deserto, et reliqua, de quibus in Verbo; quod est arcanum.

2384. A parvo usque ad magnum, quod significet in particulari et communi, constat a significatione eorum in sensu interno, quando praedicantur de rationalibus et inde doctrinalibus, quae per viros qui januae domus significantur; particularia enim et communia similiter se habent, sunt enim particularia sicut parva, et communia particularium sicut magna, quid particularia respective ad communia, et quomodo se habent, videatur n: 920. 1040. 1316.

2385. Et laboraverunt ad inveniendum januam, quod significet usque ut non videre possent aliquid verum quod duceret ad bonum, constat a significatione Januae, quod sit introductio et aditus, et quod sit ipsum verum, quia hoc introducit ad bonum, de qua supra n: 2356; hic autem per Januam significantur cognitiones quae introducant ad verum, nam janua, ut supra n: 2356, dictum, erat ante domum, nam dicitur quod Loth exiverit ad januam, et ostium clauserit post se, Vers: 6; inde laborare ad inveniendum januam, est non videre aliquid verum quod duceret ad bonum: tales fiunt illi, imprimis ultimis temporibus, qui ex ratiocinatione excludunt doctrinalia, ac nihil credunt nisi prius capiant, vita mali tunc continue in rationale eorum influit, et quoddam lumen fallax ex igne affectionum mali infundit, et facit ut videant falsa sicut vera, quemadmodum solent qui in lumine nocturno vident phantasmata; eadem dein confirmantur multis, et fiunt doctrinalia; sicut sunt illorum, qui dicunt quod vita quae est affectionis nihil faciat, sed solum fides quae est cogitationis: quod principium unumquodvis, qualecunque sit, si vel foret ipsum falsum, semel captum, innumeris possit confirmari, ac ita in externa forma sisti, sicut foret ipsum verum; cuivis notum esse potest; inde haereses, a quibus semel confirmatis nusquam receditur; sed ex falso principio non nisi quam falsa profluunt, quibus si interjecta sunt vera; usque, cum principium falsum per illa confirmatur, fiunt vera falsificata, quia inquinata ab essentia principii: aliter prorsus, si ipsum verum pro principio accipitur, et hoc confirmatur, ut pro exemplo, quod amor in Dominum, et charitas erga proximum, sint a quibus pendet omnis lex, et de quibus loquantur omnes prophetae, ac ita quod illa sint essentialia omnis doctrinae et cultus, tunc illuminaretur mens ab

innumerabilibus quae in Verbo, quae alioquin latent occultata in obscuro principii falsi; imo tunc dissiparentur haereses; et ex pluribus fieret una Ecclesia, utcunque doctrinalia inde fluentia aut illuc ducentia, tum ritualia, differrent; talis fuit Antiqua Ecclesia, quae per plura Regna erat extensa, nempe per Assyriam, Mesopotamiam, Syriam, Aethiopiam, Arabiam, Lybiam, Aegyptum, Philisthaeam usque ad Tyrum et Zidonem, per terram Canaanem cis et trans Jordanem; apud eos doctrinalia et ritualia differebant, sed usque Ecclesia una fuit, quia Charitas iis essentialis; et tunc fuit Regnum Domini in terris sicut in coelis, nam coelum tale est, videatur n: 684. 690; si ita, regerentur omnes sicut unus homo a Domino, forent enim sicut membra et organa unius corporis, quae tametsi non simili forma, nec simili functione, usque se referunt ad unum cor, a quo omnia et singula in sua forma, quae ubivis varia, pendent; tunc quisque diceret, in quacunque doctrina, et in quocunque cultu externo foret, hic frater meus, video quod colat Dominum, et quod sit bonus.

2386. Vers: 12. *Et dixerunt Viri ad Lothum, adhuc quis tibi hic, generum, et*[19] *filios tuos et filias tuas, et omnem qui tibi in urbe, educ e loco.* Dixerunt Viri ad Lothum, significat quod Dominus advertat eos qui in bono charitatis sunt: adhuc quis tibi hic, generum, et filios tuos, et filias tuas, et omnem qui tibi in urbe, educ e loco, significat quod omnes qui in bono charitatis, et omnia quae ejus, salvarentur, etiam qui in vero fidei, si a malo recederent; generi, sunt vera associata affectionibus boni, hic associanda; filii sunt vera; filiae, affectiones boni et veri; omnis qui in urbe, est quicquid trahit aliquid de vero; locus, est status mali.

2387. Quod dixerunt Viri ad Lothum, significet quod Dominus advertat eos qui in bono charitatis sunt, constat a significatione Virorum, quod sit Dominus, de qua n: 2378; a significatione dicere, quod sit advertere; et a repraesentatione Lothi, quod sint illi qui in bono charitatis sunt, de qua n: 2324. 2351. 2371; inde quod Viri dixerint ad Lothum, significat quod Dominus advertat eos qui in bono charitatis sunt.

2388. Adhuc quis tibi hic, generum, et filios tuos, et filias tuas, et omnem qui tibi in urbe, educ e loco, quod signi-

ficet quod omnes qui in bono charitatis, et omnia quae ejus, salvarentur, etiam qui in vero fidei, si recederent a malo, constat ex significatione generorum, filiorum, filiarum, urbis, et loci, de qua sequitur. Quod illi qui in vero fidei sunt, si recedant a malo, salventur, ita se habet; vera fidei sunt ipsa vasa recipientia boni, n: 1900. 2063. 2261. 2269, et recipiunt bonum, quantum homo recedit a malo; bonum enim continue influit a Domino, sed est malum vitae quod impedit, quin recipiatur in veris quae apud hominem in ejus memoria vel scientia; inde quantum recedit homo a malo, tantum intrat bonum, et inapplicat se ejus veris; tunc verum fidei apud eum fit bonum fidei: homo quidem scire verum potest, etiam confiteri incitante quadam causa mundana, imo etiam persuaderi quod sit verum, sed usque hoc verum non vivit, quamdiu est in vita mali; est enim talis homo sicut arbor, in qua folia, sed nihil fructus; et est verum illud sicut lux in qua nullus calor, qualis est tempore hyemis quando nihil crescit; at cum calor inest, tunc fit lux qualis tempore veris, quando omnia crescunt; verum in Verbo comparatur luci, et vocatur lux, calor autem comparatur amori, et vocatur quoque calor spiritualis; in altera vita etiam verum se manifestat per lucem, bonum autem per calorem; at verum absque bono per lucem frigidam, sed cum bono per lucem vernali similem; inde patet, quid verum fidei absque bono charitatis; exinde est, quod generi et filii, per quos significata sunt talia vera, non salvati sint, sed solum Loth cum filiabus. Quia hic dicitur, quod etiam qui in vero fidei, si a malo recedant, salventur, sciendum, quod sint illi, qui profitentur fidem, ac nihil cogitant de charitate, ex causa quod sic instructi, et quod non sciant quid charitas, putantes quod solum sit, dare aliis quod suum est, et misereri cujusvis, tum quod non sciant quid proximus erga quem charitas, putantes quod sint in genere omnes fere absque discrimine, et usque iidem in vita charitatis erga proximum vivunt, quia in vita boni; iis nihil nocet, quod fidem cum caeteris profiteantur, nam eorum fidei inest charitas, haec enim significat omne bonum vitae in genere et in specie; quid itaque charitas, et quid proximus, in sequentibus, ex Divina Domini Misericordia, dicetur.

2389. Quod generi sint vera associata affectionibus boni et veri, hic associanda, constat a significatione generorum; vir in Verbo significat verum, et uxor bonum, n: 265. 749. 915. 1007, ex causa, quia est instar conjugii inter verum et bonum, n: 1432. 1904. 2173, inde generi significant cognitiones veri, quibus associatae [20] affectiones boni, quae sunt filiae, hic autem associandae, nam dicitur Vers: seq: 14, quod exivit Loth, et loquutus est ad generos accipientes, hoc est, accepturos filias suas.

2390. Quod filii sint vera, seu quod idem, sint illi qui in veris, constat a significatione filiorum, quod sint vera, de qua n: 489. 491. 533. 1147.

2391. Quod filiae sint affectiones boni et veri, seu quod idem, sint ii qui in affectionibus illis sunt, constat a significatione filiarum, quod sint affectiones illae, de qua n: 2362.

2392. Quod omnis qui in urbe, sit quicquid trahit aliquid de vero, constat a significatione urbis, quod sit doctrinale, ita verum in suo complexu, de qua n: 402. 2268.

2393. Quod locus sit status mali, constat a significatione loci, quod sit status, de qua n: 1273. 1274. 1275. 1377; hic status mali, quia erat Sodoma, per quam significatur malum in genere, n: 2220. 2246. 2322.

2394. Vers: 13. *Quia perdentes nos locum hunc, quia magnus factus est clamor eorum coram Jehovah, et misit nos Jehovah ad perdendum eum.* Quia perdentes nos locum hunc, significat quod status mali, in quo erant, damnaret eos: quia magnus factus est clamor eorum coram Jehovah, significat quia falsum ex malo tantum est: et misit nos Jehovah ad perdendum eum, significat quod non possint quin perirent.

2395. Quia perdentes nos locum hunc, quod significet quod status mali, in quo erant, damnaret eos, constat a sensu perdere cum praedicatur de Domino, quod in significatu interno sit perire a malo, hoc est, damnari; tum a significatione loci, quod sit status mali, n: 2393. Multoties in Verbo occurrit, quod Jehovah perdat, sed in sensu interno intelligitur, quod homo semet perdat, Jehovah enim seu Dominus nullum perdit, sed quia apparet sicut foret a Jehovah seu Domino, quia omnia et singula videt, et omnia et singula regit, ita passim loquutum

est in Verbo, ob causam ut inde homines teneantur in communissima idea, quod omnia sub oculis Domini sint, et omnia sub Ipsius auspicio, in qua idea cum primum tenentur, dein possunt facile instrui; explicationes enim Verbi quoad sensum internum, non sunt nisi quam singularia quae communem ideam elucidant: causa etiam est, quod qui in nullo amore sunt, teneantur in timore, et sic vereantur Dominum, et ad Ipsum propter liberationem fugiant; inde patet, quod nihil noceat, quod credatur sensui literae, tametsi internus aliud docet, modo illud fiat ex simplici corde; sed de his plenius in sequentibus ad Vers: 24, n: 2447, ubi dicitur, quod Jehovah pluere facit super Sodomam et Amoram sulphur et ignem. Tantum abest, ut Angeli, quia in sensu interno sunt, cogitant, quod Jehovah seu Dominus aliquem perdat, ut solam ejus rei ideam non sustineant, quare cum haec et similia in Verbo ab homine leguntur, rejicitur quasi ad tergum sensus literae, et abit tandem in illum, quod ipsum malum sit quod perdit hominem, et quod Dominus neminem perdat, ut constare potest ab exemplo, de quo n: 1875.

2396. Quia magnus factus est clamor eorum coram Jehovah, quod significet quia falsum ex malo tantum est, constare potest ex significatione Clamoris, de qua n: 2240. quod praedicetur de falso, et hic quod de falso ex malo n: 2351.

2397. Quod misit nos Jehovah ad perdendum eum, significet quod non possint quin perirent, se habent similiter ac illa, quae supra n: 2395 dicta sunt. Quod Nos seu Viri aut Angeli sint Divinum Humanum et Sanctum procedens Domini, supra ostensum est, per illud salvati sunt boni, et perierunt mali, at hi illâ lege quod ipsum malum eos perderet; et quia inde perierunt, et hoc per adventum Domini in mundum, secundum apparentiam dicitur, quod missi ad perdendum eos. Aliquoties in Verbo de Domino dicitur quod missus a Patre, ut quoque hic, *misit* nos Jehovah, at ubivis per *Mitti* significatur in sensu interno *Exire*, ut apud Johannem, „Illi acceperunt et cognoverunt vere, quod *a Te Exiverim*, ac crediderunt, quod *Tu Me Miseris*," XVII: 8; similiter alibi, ut apud Eundem, „Non *Misit* Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per Ipsum," III: 17: apud Eundem, „Qui non honorat Filium, non honorat Patrem, *Qui Misit Ipsum*,"

V: 23, praeter multoties alibi, ut Matth: X: 40. Cap: XV: 24. Joh: III: 34. Cap: IV: 34. Cap: V: 30. 36. 37. 38. Cap: VI: 29. 39. 40. 44. 57. Cap: VII: 16. 18. 28. 29. Cap: VIII: 16. 18. 29. 42. Cap: IX: 4. Cap: X: 36. Cap: XI: 41. 42. Cap: XII: 44. 45. 49. Cap: XIII: 20. Cap: XIV: 24. Cap: XVII: 18. Cap: XX: 21. Luc: IV: 43. Cap: IX: 48. Cap: X: 16. Marc: IX: 37. Esai: LXI: 1. Similiter dicitur de Sancto Spiritus, quod missum, hoc est, quod exeat a Divino Domini, ut apud Johannem, „Jesus dixit, quando venerit Paracletus, quem „*Ego Missurus sum* vobis a Patre, spiritus veritatis qui a Pa„tre *Exit*, ille testabitur de Me," XV: 26: apud Eundem, „Si „abivero, *Mittam* Paracletum ad vos," XVI: 5. 7. Inde Missi dicebantur Prophetae, quia verba, quae loquuti, ex Sancto Spiritus Domini exiverunt. Et quia ex Divino Bono omne Divinum Verum exit, vox Mitti proprie de Divino Vero praedicatur. Quid autem sit *Exire*, etiam patet, nempe quod ille qui exit, seu illud quod exit, sit illius, a quo exit.

2398. Vers: 14. *Et exivit Loth, et loquutus est ad generos suos, accipientes filias suas, et dixit, surgite, exite e loco isto, quia perdens Jehovah urbem; et fuit sicut ludens in oculis generorum ejus.* Exivit Loth, significat illos qui in bono charitatis, tum ipsum bonum charitatis: loquutus est ad generos suos accipientes filias suas, significat quod cum illis qui in veris, quibus adjungi potuissent affectiones boni: et dixit, surgite, exite e loco isto, significat quod non manerent in statu mali: quia perdens Jehovah urbem, significat quod non potuissent non perire: et fuit sicut ludens in oculis generorum ejus, significat irrisionem.

2399. Exivit Loth, quod significet illos qui in bono charitatis, tum ipsum bonum charitatis, prius aliquoties ostensum est: qui enim repraesentat illos qui in bono, etiam significat ipsum illud bonum, in quo sunt.

2400. Quod loquutus ad generos suos accipientes filias suas, significat quod cum illis qui in veris, quibus conjungi potuissent affectiones boni, constat ex significatione generorum, quod sint cognitiones veri, proinde vera, de qua supra n: 2389, et a significatione filiarum, quod sint affectiones boni, de qua etiam supra n: 2362; et quia dicitur, quod loquutus ad generos suos accipientes filias suas, significatur quod cum illis qui

in veris, quibus conjungi potuissent affectiones boni; quia conjungi potuissent, dicitur, generi sui, at quia non conjunctae essent, dicitur, accipientes filias. Hic agitur de Tertio genere hominum qui intra Ecclesiam, nempe de illis qui vera sciunt, sed usque in malo vivunt, sunt enim triplicis generis homines intra Ecclesiam; Primum, qui in bono charitatis vivunt, hi repraesentantur per Lothum; Alterum, qui prorsus in falso et malo, ac respuunt et verum et bonum, hi sunt qui repraesentantur per viros Sodomae; Tertium, qui quidem vera sciunt, sed usque in malo sunt, hi significantur hic per Generos; sunt ii imprimis qui docent, sed verum quod docent, non altius radicem egit, quam solet scientia solius memoriae, nam addiscitur et venditatur solum honoris et lucri causa: et quia humus apud tales, in qua verum, sic est sui amor, et mundi amor, iis nulla fides veri est, nisi quaedam persuasiva inde, quae qualis sit, alibi, ex Divina Domini Misericordia, dicetur; describuntur hic per Generos, quod nihil crediderint de eversione Sodomae, sed quod irriserint; fides eorum cordis etiam talis est.

2401. Quod dixit, surgite, exite e loco isto, significet quod non manerent in statu mali, constat a significatione surgere, et exire, tum loci: Surgere in Verbo saepe legitur, sed parum cogitatur, quid ulterius significat, quia inter familiares voces est, sed in sensu interno involvit elevationem, ut hic a malo ad bonum, mens enim elevatur cum recedit a malo, n: 2388: Exire, est recedere, seu non manere: Locus autem est status mali, n: 2393; inde patet, quod illa significentur. Quales ii sunt, qui in cognitionibus veri, sed simul in vita mali, aliquoties prius dictum est, nempe quamdiu in vita mali, quod nihil credant, nam velle malum, et inde facere malum, ac fide agnoscere verum, nusquam datur; inde quoque patet, quod non salvari queat homo, per cogitare et loqui verum imo bonum, cum non aliud vult, et ex suo velle non aliud facit quam malum; ipsum velle hominis est, quod vivit post mortem, non ita ejus cogitare aliud quam quod fluit ex ejus velle: cum itaque talis est, qualis ejus velle, constare potest, quid cogitare possit de veris fidei, quae hausit, imo quae docuit, quia illa damnarent eum; tantum abest, ut tunc ex illis cogitet, ut aversetur illa, imo, quantum permittitur, sicut diaboli turba, blasphemet. Putare pos-

sunt, qui non instructi de vita post mortem, quod facile possint tunc recipere fidem, cum vident quod Dominus regat universum coelum, et cum audiunt quod coelum sit amare Ipsum, et proximum, sed tantum abest, ut mali possint recipere fidem, hoc est, ex velle id credere, quantum infernum abest a coelo; sunt enim prorsus in malo, et inde in falso; ex ipso solo adventu eorum, seu praesentia, cognoscitur et percipitur, quod contra Dominum sint, ac contra proximum, ita contra bonum et inde contra verum, est sphaera nefanda, quae ex vita eorum voluntatis et inde cogitationis, exhalat, n: 1048. 1053. 1316. 1504. Si hoc potuisset fieri, quod crederent, et boni fierent, ex sola instructione, in altera vita, ne unus esset in inferno, nam Dominus, quotcunque sunt, ad Se in coelum vult elevare. Ipsius enim Misericordia est Infinita, quia est ipsa Divina, et quidem erga universum genus humanum, ita erga tam malos quam bonos.

2402. Quia perdens Jehovah urbem, quod significet quod non potuissent non perire, constat ab explicatione eorundem fere verborum, n: 2395. 2397.

2403. Et fuit sicut ludens in oculis generorum ejus, quod significet irrisionem, constat a significatione ludere, quod sit esse quasi jocus, fabula, nugae, ita tale quod irriderent: in oculis eorum significat quod coram rationali eorum, ut constat a significatione oculorum, n: 212: inde patet, quales sunt, qui in vero fidei, et non simul in bono vitae.

2404. Vers: 15. *Et sicut aurora ascendit, et ad festinandum adigebant Angeli Lothum, dicendo, surge, accipe uxorem tuam, et duas filias tuas inventas, ne forte consumaris in iniquitate urbis.* Sicuti Aurora ascendit, significat cum Regnum Domini appropinquat: ad festinandum adigebant Angeli Lothum, significat quod Dominus detineret eos a malo, et teneret in bono: dicendo, surge, accipe uxorem tuam, et duas filias inventas, significat verum fidei, et affectiones veri et boni; inventae, sunt quod separatae a malo: ne forte consumaris in iniquitate urbis, significat ne perirent a malis falsi.

2405. Sicut aurora ascendit, quod significet cum Regnum Domini appropinquat, constat a significatione Aurorae seu Mane in Verbo: Quia agitur in hoc Capite de successivis statibus

Ecclesiae, primum actum est de eo quod factum in Vespera, dein quod in Nocte, nunc sequitur quid diluculo, et mox quid postquam sol egressus: diluculum exprimitur hic per, sicuti aurora ascendit, et tunc est cum probi separantur a malis, de qua separatione agitur in hoc Versu usque ad Vers: 22, per quod Loth cum uxore et filiabus eductus sit, et salvatus: quod separatio praecedat judicium, constat a Domini verbis apud Matthaeum, „Congregabuntur coram Ipso omnes gentes, et „*separabit* eos ab invicem, sicut pastor *separat* oves ab hircis,„ XXV: 32. Tempus hoc seu status hic, in Verbo dicitur Aurora, quia tunc venit Dominus, seu quod idem, tunc appropinquat Regnum Ipsius, se habet enim similiter apud bonos, nam effulget tunc apud eos instar diluculi matutini seu aurorae; inde in Verbo adventus Domini comparatur Mane; et quoque dicitur Mane; quod comparetur, apud Hoscheam, „Jehovah vivificabit nos a biduo, in die tertio eriget nos, et vivemus coram „Ipso, et cognoscemus, et persequemur ad cognoscendum Je„hovam, *sicut Aurora egressus Ipsius*,„ VI: 2. 3: biduum pro tempore et statu qui praecedit; dies tertius pro judicio seu adventu Domini, ita pro appropinquatione Regni Ipsius, n: 720. 901; qui adventus, seu quae appropinquatio comparatur Aurorae: apud Samuelem, „Deus Israëlis sicut *Lux Mane*, oritur „sol, *Mane* non nubes, a splendore, a pluvia germen e terra,„ 2 Sam: XXIII: 4: Deus Israëlis pro Domino, non enim alius Deus Israëlis in Ecclesia illa intellectus fuit, nam is repraesentatus in omnibus et singulis ejus: apud Joëlem, „Venit dies Je„hovae, quia propinquus, Dies tenebrarum et caliginis, dies „nubis et obscuritatis, sicut *Aurora* expansa super montes,„ II: 1. 2; ibi quoque de adventu Domini et Regno Ipsius; dies tenebrarum et caliginis, quia tunc separantur boni a malis, ut hic Lothus a viris Sodomae, ac postquam boni separati sunt, intereunt mali. Quod adventus Domini seu appropinquatio Regni Ipsius non comparetur Mane, sed dicatur Mane, apud Danielem, „Dixit unus Sanctus, quousque visio, juge, et praevaricatio „vastans, dixit ad me, usque ad Vesperam *Mane*, bis mille „trecenta, et justificabitur Sanctus. Visio Vesperae et *Mane*, „quae dicta, veritas est,„ VIII: 13. 14. 26; Mane hic manifeste pro adventu Domini: apud Davidem, „Populus tuus spon-

„taneorum, in die fortitudinis tuae, in honoribus sanctitatis, ab „utero ex *Aurora* tibi ros nativitatis tuae," Psalm: CX: 3 [21]; ubi in toto Psalmo de Domino, et de victoriis Ipsius in tentationibus, quae sunt dies fortitudinis, et honores sanctitatis Ipsius; ab utero ex Aurora est Ipse, ita Divinus amor ex quo pugnavit: apud Zephaniam, „Jehovah justus in medio ejus, non „faciet perversitatem, in *Mane*, in *Mane* judicium dabit in „lucem," III: 5: mane pro tempore et statu judicii, quod est idem cum adventu Domini, et hoc idem cum appropinquatione Regni Ipsius. Quia Mane illa significabat, ut idem repraesentaretur, mandatum est, ut Aharon et filii ejus ascendere facerent lucernam, et disponerent a *Vespera* usque ad *Mane* coram Jehovah, Exod: XXVII: 21; Vespera ibi est diluculum ante Mane, n: 2323: similiter quod Ignis super altari accenderetur *singulis Auroris*, Levit: VI: 5: tum quoque quod de Pecude Paschali, et de sanctificatis Sacrificiorum, nihil relinqueretur ad *Mane*, Exod: XII: 10. Cap: XXIII: 18. Cap: XXXIV: 25. Levit: XXII: 29. 30. Numer: IX: 12, quo significatum, quod cum veniret Dominus, sacrificia cessarent. In communi sensu Mane dicitur, tam cum Aurora apparet, quam cum sol exoritur, et tunc accipitur Mane pro Judicio tam de bonis, quam super malis, sicut in hoc Capite, „Sol egressus super terram, „et Loth venit Zoarem: et Jehovah pluere fecit super Sodo„mam et Amoram sulphur et ignem," Vers: 23. 24; similiter pro Judicio super malis, apud Davidem, „In *Matutinis* per„dam omnes impios terrae, ad exscindendum ex urbe Jehovae „omnes operantes iniquitatem," Psalm: CI: 8: et apud Jeremiam, „Vir iste, sicut urbes quas evertit Jehovah, et non poe„nitet Ipsum, et audiat clamorem in *Mane*," XX: 16. Quia Mane in proprio sensu significat Dominum, Ipsius adventum, ita Regni Ipsius appropinquationem, constare potest, quid Mane praeterea significat, nempe exortum novae Ecclesiae, nam haec est Regnum Domini in terris, et hoc tam in communi, quam in particulari, imo etiam in singulari; in *communi*, quando exsuscitatur e novo aliqua Ecclesia in orbe; in *particulari*, quando regeneratur homo, et fit novus, nam tunc in illo exoritur Regnum Domini, et ille fit Ecclesia; in *singulari*, quoties apud eum operatur bonum amoris et fidei, nam in hoc est

Domini adventus: inde Resurrectio Domini die *Tertio Mane*, Marc: XVI: 2. 9. Luc: XXIV: 1. Joh: XX: 1, [22] omnia illa involvit, etiam in particulari et singulari, quod in mentibus regeneratorum quotidie, imo singulis momentis, resurgat.

2406. Quod ad festinandum adigebant Angeli Lothum, significet quod Dominus detineret eos a malo, et teneret in bono, constat a significatione festinare et adigere, quod sit urgere, per quae quod significetur detineri a malo, constat tam ex sensu interno istorum verborum, quam ex sequentibus: sensus internus est, quod, cum Ecclesia desciscere incipit a bono charitatis, tunc a Domino fortius detineantur a malo, quam cum in bono charitatis est: a sequentibus idem patet, nempe quod tametsi Angeli adigerent Lothum ad exeundum urbe, usque moratus sit, et quod apprehenderint manum ejus, uxoris et filiarum, et eduxerint, et statuerint extra urbem, per quae significatur et describitur, qualis est homo in illo statu: hic enim agitur de Secundo Statu hujus Ecclesiae; Primus Status descriptus est Versibus 1. 2. 3, hujus Capitis, qui talis, quod in bono charitatis sint, et Dominum agnoscant, et quod Ipso in bono confirmentur; Secundus Status hic describitur, qui est quod apud ipsos homines Ecclesiae mala incipiant agere contra bona, et quod tunc detineantur potenter a malis, et teneantur in bonis a Domino, de quo Statu agitur in hoc Versu, et in sequentibus 15. 16. 17. Quod ipsam rem attinet, pauci, si ulli, sciunt, quod omnes, quotcunque sunt, homines detineantur a malis a Domino, et hoc vi fortiori, quam usquam homo credere possit; conatus enim cujusvis hominis perpetuus est in malum, et hoc tam ex haereditario in quod natus est, quam ex actuali quod ipse sibi comparavit, usque adeo, ut si non detineretur a Domino, rueret quovis momento praeceps versus infimum infernum; sed Misericordia Domini tanta est, ut unoquovis momento etiam minimo elevetur, ac ne illuc ruat, detineatur; hoc quoque apud bonos, sed cum differentia secundum vitam charitatis et fidei eorum: ita continue pugnat Dominus cum homine, et pro homine cum inferno, tametsi non ita apparet homini: quod ita sit, a multa experientia scire datum est, de qua, ex Divina Domini Misericordia, alibi; videatur etiam n: 929. 1581.

2407. Dicendo, surge, accipe uxorem tuam, et duas filias inventas, quod significet verum fidei, et affectiones veri et boni; et quod inventae sint separatae; constat a significatione surgere, quod sit elevari a malo, n: 2401; tum a significatione uxoris hic, quod sit verum fidei, de qua ad Vers: 26; ubi agitur de uxore Lothi, quod versa in statuam salis; ut et a significatione duarum filiarum, quod sint affectiones veri et boni, de qua n: 2362: quod inventae, sint separatae a malo, etiam constare potest, quia vindicatae. His paucis Secundus hic Status Ecclesiae describitur, quod nempe non ex bono se duci patiantur ad verum, ut prius, sed per verum ad bonum, sed usque quod sint in affectione obscura boni; nam quantum verum fit dux, tantum obscurescit bonum; et quantum bonum fit dux, tantum in luce sua patet verum.

2408. Ne forte consumaris in iniquitate urbis, quod significet ne perirent in malis falsi, constat a significatione iniquitatis, quod sit malum; et a significatione urbis, quod sit doctrinale etiam falsum, de qua n: 402. Quid malum falsi, constare potest ab illis, quae in Parte Prima n: 1212. 1679, dicta sunt.

2409. Vers: 16. *Et moratus, et apprehenderunt Viri manum ejus, et manum uxoris ejus, et manum duarum filiarum ejus, in clementia Jehovae super eum, et eduxerunt eum, et statuerunt eum extra urbem.* Et moratus, significat repugnantiam a natura mali: et apprehenderunt Viri manum ejus, et manum uxoris ejus, et manum duarum filiarum ejus, significat quod Dominus potenter detinuerit a malis, et sic corroboraverit bona et vera significata per Lothum, uxorem, et filias ejus: in clementia Jehovae super eum, significat ex gratia et misericordia: eduxerunt eum et statuerunt extra urbem, significat statum ejus tunc.

2410. Et moratus, quod significet repugnantiam ex natura mali, constat ex illis quae supra n: 2406, dicta sunt: malum enim, quod in homine, continue reagit contra bonum quod a Domino: adhaerescit malum ex haereditario et ex actuali homini in singulis ejus cogitationibus, imo in cogitationum minimis, hoc trahit eum deorsum, Dominus autem per bonum quod insinuat, detinet eum et tollit eum; ita suspensus tenetur homo inter malum et bonum, quare si vel minimo momento non a

Domino detineretur a malis, ex se rueret deorsum; et hoc magis in hoc statu, in quo homo Ecclesiae quem Loth nunc repraesentat, quam in statu priori; status ille est, quod non ita ex bono, quam ex vero incipiat cogitare et agere, sic e distantia quadam a bono.

2411. Quod apprehenderunt Viri manum ejus, et manum uxoris ejus, et manum duarum filiarum ejus, significet quod Dominus potenter detinuerit a malis, et sic corroboraverit bona et vera significata per Lothum, uxorem ejus, et filias ejus, constat a significatione Virorum, quod sit Dominus, de qua supra; ex significatione manus, quod sit potentia, de qua n: 878; tum a significatione Lothi, quod sit bonum charitatis, de qua n: 2324. 2351. 2371. 2399; ex significatione uxoris, quod sit verum fidei, de qua in sequenti Vers: 26; et a significatione filiarum, quod sint affectiones veri et boni, de qua n: 489. 490. 491. 2362; tum denique ab illis, quae dicta sunt n: 2388, nempe quod tantum influat bonum et verum a Domino, quantum detinetur homo a malo, proinde quod tantum corroborentur bona et vera significata per Lothum, uxorem ejus, et duas filias ejus; hoc quoque quisque ex propria experientia, si reflectit, scire potest, quantum enim removetur a corporeis et mundanis, tantum in idea spirituali est, hoc est, elevatur versus coelum, ut fit, quando est in aliquo cultu sancto, quando in aliqua tentatione, tum quando in infortuniis aut in morbis; quod tunc remota sint corporea et mundana, hoc est, amores eorum, notum est; causa est, quae dicta, quod coeleste et spirituale a Domino continue influat, sed est malum et inde falsum, et est falsum et inde malum, quae a corporeis et mundanis influunt, quae obstant, quin recipiatur.

2412. In clementia Jehovae super eum, quod significet ex gratia et misericordia, constat ex significatione clementiae Jehovae, quae non alia esse potest, quam gratia et misericordia; quod homo detineatur a malo, et teneatur in bono a Domino, sit ex pura Misericordia, videatur n: 1049. Quod dicatur et gratia et misericordia, est ex causa, de qua n: 598. 981, nempe, quod qui in vero sunt et inde in bono, modo gratiam, at qui in bono et inde in vero, Misericordiam Domini implorent; quod venit ex dissimili humiliationis et inde adorationis statu apud unum quam apud alterum.

2413. Et eduxerunt eum, et statuerunt eum extra urbem, quod significet statum ejus tunc, constat ex significatione educere, quod sit detinere, et a significatione statuere extra urbem, quod sit a falso; status itaque tunc fuit, quod per detentionem a malis, corroborata sint bona et vera a Domino.

2414. Vers: 17. *Et fuit, cum educerent ii illos foras, et dixit, eripe te super anima tua, ne respicias post te, et ne consistas in omni planitie; in montem eripe te, ne forte consumaris.* Et fuit, cum educerent ii illos foras, significat statum cum detinerentur a falso et malo: et dixit, eripe te super anima tua, significat quod consuleret vitae suae in aeternum: ne respicias post te, significat ne spectaret ad doctrinalia: et ne consistas in omni planitie, significat quod in nullo eorum moraretur: in montem eripe te, significat ad bonum amoris et charitatis: ne forte consumaris, significat si aliter, periret.

2415. Et fuit, cum educerent ii illos foras, quod significet statum cum detinerentur a falso et malo, constat ab illis, quae mox supra n: 2413, dicta sunt, tum ab illis quae n: 2388. 2411.

2416. Quod dixit, eripe te super anima tua, significet quod consuleret vitae suae in aeternum, constat absque explicatione: quomodo autem consuleret vitae suae, nunc sequitur.

2417. Ne respicias post te, quod significet ne spectaret ad doctrinalia, constat ex significatione respicere post se; cum urbs erat post eum, et mons erat ante eum; per urbem enim significatur doctrinale, n: 402. 2268. 2392. [23] per montem autem amor et charitas, n: 795. 1430, quod ea significatio sit, patebit in explicatione ad Vers: 26, ubi dicitur, quod respexit uxor ejus post eum, et facta statua salis: quisque scire potest, quod in his, nempe respicere post se, arcanum quoddam Divinum sit, et hoc quod altius lateat, quam ut videri possit; in respiciendo enim post se, nihil criminosum apparet, sed usque quod tanti momenti sit, ut dicatur, quod criperet se super anima sua, hoc est, quod consuleret vitae suae in aeternum, non respiciendo post se; quid autem sit, spectare ad doctrinalia, in sequentibus videbitur: hic modo dicendum, quid Doctrinale; Doctrinale est duplex, unum amoris et charitatis, alterum fidei; omnis Ecclesia Domini in suo initio, dum adhuc puella et virgo est,

non aliud doctrinale habet, nec aliud amat, quam charitatis, nam hoc est vitae; at Ecclesia successive se flectit ab hoc Doctrinali, usque ut incipiat illud vilipendere, et tandem rejicere, et tunc nihil aliud doctrinale agnoscit, quam quod vocatur fidei, quam cum separat a charitate, conspirat doctrinale cum vita mali. Talis fuit Ecclesia primitiva seu gentium, post adventum Domini, illa in suo initio non aliud doctrinale habuit, quam amoris et charitatis, hoc enim docuit Ipse Dominus, videatur n: 2371 ad fin: at post Ipsius tempus successive, sicut frigescere coepit amor et charitas, incepit Doctrinale fidei, et cum illo dissensiones et haereses, quae auctae sicut huic incumbebant. Similiter Antiqua Ecclesia, quae post diluvium, et per tot Regna extensa fuit, n: 2385, illa in suo initio nec aliud doctrinale novit, quam doctrinale charitatis, quia id spectabat et imbuebat vitam, et sic consulebant sibi in aeternum; at usque post aliquod tempus apud quosdam quoque excoli coepit doctrinale fidei, quam tandem separarunt a charitate, sed hos vocabant Cham, quia in vita mali, videatur n: 1062. 1063. 1076. Antiquissima Ecclesia, quae ante diluvium, et prae caeteris, Homo, dicta, in ipsa perceptione amoris in Dominum, et charitatis erga proximum fuit, ita doctrinale amoris et charitatis habuit sibi inscriptum; sed fuerunt etiam tunc, qui fidem excoluerunt, quam cum tandem separabant a charitate, dicti sunt Cain, nam per Cain significatur talis fides, et per Habelem, quem occidit, charitas, videatur explicatio ad Cap: IV Genes. Inde constare potest, quod duplex Doctrinale sit, unum charitatis, alterum fidei, tametsi utrumque unum est in se, nam Doctrinale charitatis involvit omnia fidei; at cum Doctrinale fit ex illis solis quae sunt fidei, tunc dicitur doctrinale duplex, quia separatur fides a charitate; quod hodie separata sint, constare potest inde, quod nesciatur prorsus quid sit charitas, et quid proximus; qui in solo doctrinali fidei sunt, nihil aliud charitatem erga proximum sciunt esse, quam dare ex suo aliis, et misereri cujusvis, nam unumquemvis dicunt proximum absque distinctione; cum tamen Charitas sit omne bonum quodcunque apud hominem, in ejus affectione, et in ejus Zelo, et inde in ejus vita; et Proximus omne bonum apud alios quo afficitur, proinde illi qui in bono sunt, et hoc cum omni distinctione; ut pro exemplo, ille in charitate

et misericordia est, qui justitiam et judicium exercet, puniendo malos, et remunerando bonos; in puniendo malos est charitas, nam sic Zelo fertur emendandi illum, et simul tutandi alios, ne inde iis malum; sic enim consulit et bene vult ei qui in malo seu inimico, ac sic consulit et bene vult aliis, ac ipsi Reipublicae, et hoc ex charitate erga proximum; similiter se habet cum reliquis bonis vitae, bonum enim vitae nusquam dabile est, nisi sit ex charitate erga proximum, nam hanc spectat, et hanc involvit. Quia in tanto obscuro est, ut dictum, quid Charitas et quid Proximus, inde liquet quod Doctrinale charitatis, postquam primas occupavit Doctrinale fidei, inter res perditas sit; cum tamen illud solum erat, quod excolebatur in Ecclesia Antiqua, usque adeo ut referrent in classes omnia bona, quae charitatis erga proximum, hoc est, omnes qui in bono, erant, et hoc cum multa distinctione, quibus etiam nomina indebant, et vocabant, Pauperes, Miseros, Oppressos, Aegrotos, Nudos, Esurientes, Sitientes, Captivos seu in carcere, Peregrinos, Pupillos, Viduas; quosdam etiam Claudos, Caecos, Surdos, Mutos, Mancos, praeter alia plura; secundum hoc Doctrinale loquutus est Dominus in Verbo Veteris Testamenti, quare toties ibi talia occurrunt; et secundum idem loquutus est Ipse Dominus, ut apud Matth: XXV: 35. 36. 38. 39. 40. 42. 43. 44. 45. Luc: XIV: 13. 21; ac multoties alibi; inde est, quod nomina illa aliud in sensu interno significent. Ut itaque Doctrinale Charitatis restauretur, in sequentibus, ex Divina Domini Misericordia, dicetur, quinam illi sunt, ac in genere et in specie quid Charitas et quid Proximus.

2418. Quod ne consistas in omni planitie, significet quod non in ullo eorum moraretur, constat a significatione Planitiei, quod sit omne doctrinalis, de qua mox: quomodo se habet, quod non moraretur in ullo eorum, dicetur ad Vers: 26, ubi de uxore Lothi, quod respexerit post eum. Quod Planities in Verbo significet omnia Doctrinalis, constat apud Jeremiam, „Veniet „vastator ad omnem urbem, et urbs non evadet, et peribit val„lis, et perdetur *Planities,*" XLVIII: 8; urbs pro doctrinali falso, planities pro omnibus quae sunt istius doctrinalis: apud Johannem, „Quando consumti fuerint mille anni, solvetur „Satanas e custodia sua, et exibit ad seducendum gentes, Go-

„gum et Magogum, ut congreget eos in bellum, quorum numerus sicut arena maris; ascenderunt itaque super *omnem* „*Planitiem terrae*, et circumdederunt castra sanctorum, sed „descendit ignis a Deo e coelo, et consumsit eos," Apoc: XX: 7. 8. 9; ubi Gogus et Magogus pro iis qui in cultu externo absque interno, sic facto idololatrico, n: 1151, planities terrae pro Ecclesiae doctrinalibus, quae illi vastant, castra sanctorum pro bonis amoris et charitatis, consumti igne a Deo e coelo similiter se habet ac cum viris Sodomae et Amorae, Vers: 24: praeterea doctrinalia charitatis vocantur urbes montis, et doctrinalia fidei urbes planitiei, apud Jerem: XXXIII: 13.

2419. In montem eripe te, quod significet ad bonum amoris et charitatis, constat a significatione montis, quod sit amor et charitas, de qua n: 795. 1430.

2420. Ne forte consumaris, quod significet si aliter, periret, constat absque explicatione.

2421. Vers: 18. 19. *Et dixit Loth ad eos, ne quaeso Domini mei. Ecce quaeso invenit servus tuus gratiam in oculis tuis, et magnam fecisti misericordiam tuam, quam fecisti mecum ad vivificandum animam meam; et ego non potero eripere me in montem, ne forte adhaereat mihi malum, et moriar.* Dixit Loth ad eos, ne quaeso Domini mei, significat imbecillitatem quod non posset: ecce quaeso invenit servus gratiam in oculis tuis, significat humiliationem ex affectione veri: magnam fecisti misericordiam tuam, significat humiliationis instar ex affectione boni: quam fecisti mecum ad vivificandum animam meam, significat pro eo quod vellet salvare eum: et ego non potero eripere me in montem, significat dubitationem quod non posset habere bonum charitatis: ne forte adhaereat mihi malum, et moriar, significat tunc non aliter fieri posset quam quod simul ex malo, et sic damnaretur.

2422. Quod dixit Loth ad eos, ne quaeso Domini mei, significet imbecillitatem quod non posset, constat ex affectione in ipsis verbis, tum a sequentibus. Hic nunc agitur de Tertio Statu Ecclesiae, quae per Lothum in hoc Capite repraesentatur; qui est, quod non amplius cogitent et agant ex affectione boni, sed ex affectione veri; qui Status succedit, quando affectio boni incipit diminui, et quasi recedere; bonum quidem adest,

sed retraxit se magis versus interiora, inde in obscuro est, at se manifestat in quadam affectione, quae dicitur affectio veri; quid affectio boni, et quid affectio veri, videatur n: 1997, et in mox seq: n: 2425. Status hi quod sint, non apparent homini, minus quales sunt, sed apparent Angelis ut in clara luce, nam Angeli sunt in omni bona affectione hominis; apparent etiam ipsi homini, dum in alteram vitam venit; secundum affectiones illas, et secundum quale earum, distincti sunt boni in societates, n: 685.

2423. Ecce quaeso invenit servus tuus gratiam in oculis tuis, quod significet humiliationem ex affectione veri; et magnam fecisti misericordiam tuam, quod significet humiliationis instar ex affectione boni, constare potest ex illis quae de Gratia et Misericordia, prius n: 598. 981, dicta sunt: qui enim in affectione veri sunt, non possunt eo usque se humiliare, ut ex corde agnoscant omnia esse Misericordiae, quare loco ejus Gratiam dicunt; imo quo minus affectionis veri apud eos est, eo minus humiliationis in nominatione gratiae inest; vicissim autem, quo plus affectionis boni apud aliquem est, eo plus humiliationis est ei in nominatione Misericordiae: ex eo patet, quantum differt adoratio, proinde cultus, apud eos qui in affectione veri sunt, ab eorum qui in affectione boni; nam ut cultus sit, erit adoratio, et ut adoratio erit humiliatio, et hoc in omnibus et singulis cultus; inde patet, cur hic dicatur et gratia et misericordia.

2424. Quam fecisti mecum ad vivificandum animam meam, quod significet pro eo, quod vellet salvare eum, constat absque explicatione.

2425. Et ego non potero eripere me in montem, quod significet dubitationem quod posset habere bonum charitatis, hoc est, cogitare et agere ex illo bono, constat a significatione Montis, quod sit amor et charitas, de qua n: 795. 1430. Quod dubitationem attinet, ita se habet; qui in affectione veri sunt, apud eos in affectione eorum veri inest affectio boni, sed tam obscure ut non percipiant, ita nec sciunt quid affectio boni, et quid genuina charitas, putant quidem se scire, sed ex vero, ita ex scientia, non autem ex ipso bono; sed usque faciunt bona charitatis, non ut inde aliquid mereantur, sed ex obedientia, et

hoc quantum capiunt quod verum sit, se enim duci patiuntur a Domino ex obscuro boni per verum quod iis apparet ut verum: ut pro exemplo, quia ignorant quid Proximus, unicuique faciunt bonum, quem putant proximum esse, imprimis Pauperibus, quia hi quod destituti opibus mundanis se pauperes vocant; Pupillis et Viduis, quia ita nominantur; Peregrinis, quia tales sunt; ita in caeteris; et hoc quamdiu ignorant quid significatur per pauperes, pupillos, viduas, peregrinos, et plures; veruntamen, quia in affectione eorum veri apparentis latet obscure, ut dictum, affectio boni, per quod Dominus eos ducit ad ita faciendum, simul quoad interiora in bono sunt, in quo apud eos sunt Angeli, et ibi delectantur eorum veri apparentiis quibus afficiuntur. At qui in bono charitatis sunt, et inde in affectione veri, ii faciunt omnia cum distinctione, sunt enim in luce, nam aliunde non lux veri quam ex bono, quia per bonum influit Dominus, ii pauperibus, pupillis, viduis, peregrinis, non benefaciunt ex causa solum quia ita nominantur, sciunt enim, quod, qui boni sunt, sive pauperes sint sive divites, Proximi sint prae aliis, nam a bonis bonum fit aliis, et ideo quantum iis benefaciunt, tantum per illos aliis; sciunt etiam distinguere inter bona, ita inter bonos: ipsum commune bonum adhuc magis Proximum suum dicunt, nam in eo adhuc plurium bonum spectatur: Regnum Domini in terris, quod est Ecclesia, adhuc magis pro Proximo suo agnoscunt, erga quem charitas: ipsum Regnum Domini in coelis, adhuc magis: qui autem Dominum praeferunt omnibus illis, Ipsum Solum adorant, et super omnia amant, ii ab Ipso derivationes Proximi deducunt; nam in supremo sensu Solus Dominus est Proximus; ita omne Bonum, quantum ab Ipso est. Qui autem in contrariis sunt, ii Proximi derivationes deducunt a seipsis, et pro Proximo agnoscunt solum illos, qui sibi favent et serviunt, nec alios fratres et amicos appellant, et hoc cum differentia, quantum cum illis unum faciunt. Inde constare potest, quid Proximus, nempe cuique secundum amorem in quo est; et quod vere Proximus, qui in amore in Dominum, et in charitate erga proximum, et hoc cum omni differentia; ita ipsum bonum est apud unumquemvis, quod determinat.

2426. Ne forte adhaereat mihi malum et moriar, quod significet tunc non aliter fieri posset, quam quod simul in malo,

et sic damnaretur, constat absque explicatione. Quid haec involvunt, sciri potest ab illis, quae prius n: 301. 302. 303. 571. 582. 1001. 1327. 1328, dicta et ostensa sunt, nempe quod Dominus jugiter provideat, ne malum cum bono commisceatur, sed quantum homo est in malo, tantum removetur a bono; satius enim est, ut prorsus in malo sit, quam in malo et simul in bono; si enim in malo, et simul in bono, non potest quin damnatus sit in aeternum: sunt dolosi et hypocritae intra Ecclesiam, qui in hoc periculo prae aliis sunt: hoc nunc est in sensu interno, ne adhaereat mihi malum, et moriar.

2427. Vers: 20. *Ecce quaeso urbs haec propinqua ad fugiendum illuc, et ea parva, eripiam me quaeso illuc, annon parva ea, et vivat anima mea.* Ecce quaeso urbs haec propinqua ad fugiendum illuc, significat quod liceret ex vero fidei: et ea parva, significat quod ex parvo quod haberet: eripiam me quaeso illuc, significat quod ex illo liceret spectare bonum: annon parva ea, significat annon aliquantulum haberet: et vivat anima mea, significat quod sic fortassis salvaretur.

2428. Ecce quaeso urbs haec propinqua ad fugiendum illuc, quod significet quod liceret ex vero fidei, constat a significatione Urbis, quod sit doctrinale, ita verum fidei, de qua n: 402. 2268: propinqua dicitur, quia verum affine est bono; quare fugere illuc, significat quod liceret ex illo, quia non posset ex bono, n: 2422.

2429. Quod ea parva, significet quod ex parvo quod haberet, constare potest a significatione urbis, quod sit verum, de qua mox supra; quae quod parva, significat quod parum veri, hic quod ex parvo quod haberet, ut constat ab illis quae praecedunt, et quae sequuntur. Quod ipsam rem attinet, nempe quod parum veri sit illis qui in affectione veri, respective ac illis qui in affectione boni, constare potest ex eo, quod ex pusillo et obscuro bono, quod apud illos, spectent verum; Verum apud hominem se prorsus habet secundum bonum apud eum, ubi parum boni ibi parum veri, in simili ratione sunt, et in simili gradu, seu pari passu, ut dicitur, ambulant; quod quidem ut paradoxon videri potest, sed usque ita se habet; bonum est ipsa essentia veri, verum absque sua essentia non est verum, tametsi apparet sicut foret, est modo sonans quid, et sicut

vas vacuum; ut quis Verum apud se habeat, non solum debet scire illud, sed etiam agnoscere, et ei fidem habere, cum hoc, tunc primum habet verum, quia tunc id afficit eum, et manet; aliter cum modo scit verum, et non agnoscit, ac ei fidem habet, tunc non habet in se verum; ut fit apud plures qui in malo sunt, ii scire possunt vera, et quandoque prae aliis, sed usque non habent illud, imo tanto minus habent, quia corde suo illud negant: providetur a Domino, ut nemo plus veri habeat, hoc est, agnoscat et credat, quam quantum boni recipiat: inde est, quod hic dicatur de urbe, per quam significatur verum, quod ea parva, ac iterum in hoc Versu, „Annon parva ea," tum Vers: 22, quod vocavit nomen urbis Zoar, per quod in lingua originali significatur parum, ex causa, quia hic agitur de illis, qui in affectione veri sunt, et non ita in affectione boni.

2430. Quod eripiam me quaeso illuc, significet quod ex illo liceat spectare bonum, constare potest ex iis quae antecedunt, et quae sequuntur; dictum est, quod se eriperet ad montem, per quem significatur bonum amoris et charitatis, n: 2419, at responsum, quod hoc non posset, sed quod ad urbem, per quam significatur verum fidei, n: 2428, ita quod ex vero spectare posset bonum, seu quod idem, ex fide charitatem; urbs etiam illa sita erat sub monte, et ex illa dein ascendit et habitavit in monte, sed in spelunca ibi, Vers: 30.

2431. Annon parva ea, quod significet annon aliquantulum habeat, constat ab illis, quae supra n: 2429 dicta sunt, ita absque ulteriore explicatione. Haec interrogatio est ideo, quia solus Dominus novit, quantum boni est in vero, ita quantum veri est apud hominem.

2432. Quod vivat anima mea, significet quod sic fortassis salvaretur, constat quoque absque explicatione; quod etiam salvatus sit, quia in vero ejus esset bonum, constat ab illis quae sequuntur, nempe a responso, „Ecce acceptavi faciem tuam „etiam quoad verbum hoc, quod non evertam urbem, de qua „loquutus," Vers: 21; et dein, „Sol egressus super terram, et „Loth venit Zoarem," Vers: 23, per quae intelligitur, quod salventur illi qui in affectione veri, hoc est, qui in fide, modo sit fides boni.

2433. Vers: 21. *Et dixit ad eum, ecce acceptavi faciem*

tuam, etiam quoad verbum hoc, quod non evertam urbem, de qua loquutus. Dixit ad eum, ecce acceptavi faciem tuam etiam quoad verbum hoc, significat annuentiam, si interiora in vero trahant aliquid ex bono: quod non evertam urbem de qua loquutus, significat quod sic non periret.

2434. Dixit ad eum, ecce acceptavi faciem tuam etiam quoad verbum hoc, quod significet annuentiam si interiora in vero trahant aliquid a bono, constat a significatione Faciei; Facies in Verbo pluries occurrit, et ibi significat interiora, ut n: 358. 1999, ostensum; etiam cum Facies tribuitur Jehovae seu Domino, significat Misericordiam, Pacem, Bonum, n: 222. 223: hic itaque bonum quod interius est in vero; quare acceptare faciem, est annuere, si interiora in vero trahant aliquid de bono: quoad verbum hoc, est quoad hanc rem. Quod Verum non sit, nisi intus in eo sit bonum, videatur n: 1496. 1832. 1900. 1904. 1928. 2063. 2173. 2269. 2401. 2403. [24] 2429; et quod beatitudo et felicitas homini post mortem non sit ex vero, sed ex bono quod in vero, n: 2261, inde tanto beatius et felicius ei, quanto plus boni in vero Quod bonum sit intus in vero, et faciat ut verum sit, constare etiam potest ex bonis et veris in ipsis mundanis; cum homo in his aliquid ut bonum arripit et agnoscit, tunc quicquid huic bono favet, hoc dicit verum; quicquid autem non favet, hoc rejicit et vocat falsum: dicere etiam potest, quod verum non sit quod non favet isti bono, sed tunc simulat, et aliud cogitat: ita quoque in spiritualibus.

2435. Quod non evertam urbem de qua loquutus, significet quod sic non periret, nempe homo apud quem verum in quo intus est bonum, constat a significatione Urbis, quod sit verum, de qua n: 402 2268. 2428. Ab antiquissimis temporibus controversum est, quid Primogenitum Ecclesiae, an Charitas vel an Fides, ex causa, quia per vera fidei regeneratur homo, et fit Ecclesia; sed qui praetulerunt Fidem, et eam Primogenitum fecerunt, lapsi sunt omnes in haereses et falsitates, et tandem Charitatem prorsus exstinxerunt; sicut legitur de Caino, per quem talis fides significatur, quod tandem occiderit fratrem Habelem, per quem significatur Charitas; similiter post de Rubene, filio primogenito Jacobi, per quem quoque signi-

ficatur Fides, sed is polluit Patris sui cubile, Gen: XXXV: 22. Cap: XLIX: 4, quare indignus factus, et Primogenitura data Josepho, Genes: XLVIII: 5. [25] 1 Chron: V: 1. Inde lites omnes, tum leges, de Primogenitura in Verbo. Causa, quod ita controversum fuerit, erat, quia nesciebant, sicut hodie etiam nescitur, quod tantum fidei sit homini, quantum charitatis, et dum regeneratur homo quod Charitas occurrat Fidei, seu quod idem, bonum occurrat vero, et singulis ejus se insinuet et inaptet, ac faciat quod fides sit fides; et sic quod charitas sit ipsum Primogenitum Ecclesiae, tametsi coram homine aliter apparet, videatur etiam n: 352. 367. Sed quia de his agitur multum in sequentibus, plura, ex Divina Domini Misericordia, ibi.

2436. Vers: 22. *Festina, eripe te illuc, quia non possum facere quicquam, usque venire te illuc; propterea vocavit nomen urbis Zoar.* Festina, eripe te illuc, significat quod maneat in illo, quia ulterius non potest: quia non possum facere quicquam usque venire te illuc, significat antequam judicium super malos quod salvandi qui in affectione veri: propterea vocavit nomen urbis Zoar, significat affectionem veri.

2437. Quod festina, eripe te illuc, significet quod maneat in illo quia ulterius non potest, nempe in vero fidei et ejus affectione, quia in ipso bono charitatis et ejus affectione non posset, constat ab iis quae praecedunt.

2438. Quia non possum facere quicquam usque venire te illuc, quod significet quod antequam judicium super malos salvandi qui in affectione veri, constare potest ex eo, quod non facere possim quicquam significet judicium super malos, quod describitur mox per eversionem Sodomae et Amorae, et quod usque venire te illuc significet quod prius salvandi qui in affectione veri, qui per Lothum hic repraesentantur, quod et intelligitur per quod Loth venit Zoarem, Vers: 23. Quod prius salventur boni et justi, quam pereunt mali et injusti, constat etiam alibi in Verbo, ut ubi agitur de Ultimo Judicio apud Matthaeum, « Quod separatae sint oves ab hircis, et prius dictum ovibus quod intrarent in Regnum Domini, quam dictum hircis quod discederent in ignem aeternum, » XXV: 32. 34. 41. Simile etiam repraesentatum fuit per filios Israëlis cum exirent Aegypto, quod illi prius salvati sint, quam Aegyptii in mari

Suph submersi. Idem quoque significatur per illa, de quibus passim Prophetae, quod postquam a captivitate reducti sunt fideles, hostes eorum dein luerent poenas ac perirent: hoc etiam continue fit in altera vita, quod nempe primum salventur fideles, et dein puniantur infideles, seu quod idem, illi in coelum a Domino eleventur, hi autem se dein in infernum praecipitent: quod non simul fiat, causa est, nisi boni surriperentur a malis, a cupiditatibus mali et persuasionibus falsi, quae mali sicut venena continue circumspargunt, facile perirent; in genere autem, antequam hoc fit, ut apud bonos separentur mala, et apud malos separentur bona, ut illi per bona attollantur in coelum a Domino, et hi per mala se dejiciant in infernum, de qua re in sequentibus, ex Divina Domini Misericordia, ad n: 3449. 2451, dicetur.

2439. Propterea vocavit nomen urbis Zoar, quod significet affectionem veri, constat a significatione ejus, quod sit affectio boni nempe scientiae, hoc est, affectio veri, de qua n: 1589; et a significatione vocare nomen, quod sit nosse qualis est, de qua n: 144. 145. 1754. 2009, hic nempe quod sit parum veri, nam per Zoar in Lingua originali significatur parum seu parvum; qui enim in affectione veri sunt, parum veri quia parum boni habent respective ad illos qui in affectione boni sunt, videatur supra n: 2429. Quod et Vera, quae in se vera sunt, apud unum magis vera sint, apud alium minus vera, apud quosdam prorsus non vera, imo falsa, constare potest paene ab omnibus quae in se vera sunt, nam illa apud hominem, apud quem sunt, variantur secundum ejus affectiones; ut pro exemplo, facere bonum opus seu bonum charitatis, hoc in se verum est quod faciendum; id apud unum est bonum charitatis quia procedit a charitate, apud alium est opus obedientiae quia procedit ab obedientia, apud aliquos est meritorium quia per illud mereri volunt et salvari, apud quosdam autem est hypocriticum ut sic videantur, et sic porro; ita in omnibus reliquis quae vera fidei vocantur; inde quoque constare potest, quod multum veri sit apud eos qui in affectione boni sunt, et minus veri apud eos qui in affectione veri, nam hi spectant bonum ut remotius a se, illi autem bonum ut praesens in se.

2440. Vers: 23. *Sol egressus super terram, et Loth ve-*

nit Zoarem. Sol egressus super terram, significat tempus ultimum, quod ultimum judicium vocatur: et Loth venit Zoarem, significat illos qui in [26] affectione veri quod salvati.

2441. Sol egressus super terram, quod significet tempus ultimum, quod ultimum judicium vocatur, constat ex significatione exortus solis, cum agitur de temporibus et statibus Ecclesiae; quod tempora diei, sicut quoque tempora anni significent in sensu interno successivos status Ecclesiae, prius n: 2323, ostensum est; et quod Aurora seu Mane adventum Domini, seu appropinquationem Regni Ipsius, n: 2405; ita nunc Exortus solis, seu Egressus ejus super terram, ipsam praesentiam; et hoc ex causa, quia tam Sol quam Oriens significat Dominum, quod Sol, videatur n: 31. 32. 1053. 1521. 1529. 1530. 1531. 2120; et quod Oriens, n: 101. Quod praesentia Domini, sit idem cum ultimo tempore, quod judicium vocatur, inde est, quia praesentia Ipsius separat bonos a malis, et secum habet, quod boni eleventur in coelum, et mali se conjiciant in infernum; nam in altera vita ita se habet, Dominus est Sol universo coelo, videatur n: 1053. 1521. 1529. 1530. 1531, est enim Divinum Coeleste Amoris Ipsius, quod ita coram oculis eorum apparet, et ipsam Lucem Coeli effective facit; quantum itaque in coelesti amore sunt, tantum in coelestem illam lucem, quae a Domino, elevantur; quantum autem a coelesti amore remoti sunt, tantum inde a luce in infernales tenebras se conjiciunt: inde nunc est, quod Exortus solis, per quem significatur praesentia Domini, involvat tam salvationem bonorum, quam damnationem malorum; et nunc dicatur primum, quod Loth venit Zoarem, hoc est, quod salvati sint qui per Lothum hic repraesentantur, et mox quod Jehovah pluere fecit super Sodomam et Amoram sulphur et ignem, hoc est, quod mali damnati sint. Qui in malis amoris sui et mundi sunt, hoc est, qui in odiis contra omnia amoris in Dominum, et charitatis erga proximum, illis Lux coeli effective apparet sicut caligo, quare dicitur in Verbo quod Sol iis atratus sit, per quod significatur, quod rejecerint omne amoris et charitatis, et receperint omne quod contrarium est; ut apud Ezechielem, „*Obtegam*, cum exstinxero „te, *Coelos*, et *atrabo Stellas* eorum, *Solem* nube *obtegam*, et „*Luna* non lucere faciet lucem suam, omnia *Luminaria lucis*

„in coelis *atrabo* super te, dabo tenebras super terra tua,“ XXXII: 7. 8: quisque videre potest, quod per obtegere coelos, atrare stellas, obtegere solem, atrare luminaria lucis, alia significentur: similiter apud Esaiam, „*Obtenebratus Sol in* „*egressu suo*, et Luna non splendere faciet lucem suam,“ XIII: 9. 10: et apud Joëlem, „*Sol* et *Luna atrantur*, et *Stellae* re„trahunt splendorem suum,“ II: 2. 10: constare itaque potest, quid per haec Domini verba significatur, ubi de ultimo tempore Ecclesiae, quod judicium vocatur, apud Matthaeum, „Statim „post afflictionem dierum istorum, *Sol obscurabitur*, et *Luna* „non dabit lucem suam, et *Stellae* cadent de coelo,“ XXIV: 29; quod nempe non sol per solem, non luna per lunam, nec stellae per stellas, sed quod per solem amor et charitas, per lunam fides inde, perque stellas cognitiones boni et veri, significentur, quae tunc obscurata dicuntur, amittere lucem, et cadere de coelo, cum nulla amplius agnitio Domini, et nullus amor in Ipsum, et nulla charitas erga proximum, quibus factis nullis, occupat hominem amor sui cum falsis inde, unum enim est consequens alterius: inde etiam apud Johannem ita, „Quartus An„gelus effudit phialam suam *in Solem*, et datum illi est aestu „adurere homines per ignem, itaque aestuarunt homines aestu „magno, et blasphemarunt Nomen Dei,“ Apoc: XVI: 8. 9; ubi etiam de ultimis temporibus Ecclesiae agitur, cum exstinguitur omnis amor et charitas, aut, secundum communem modum loquendo, quando nulla amplius fides; exstinctio amoris et charitatis intelligitur per quod effusa sit phiala in solem, ac inde tunc amor sui et ejus cupiditates per quod adurerentur homines per ignem, et quod aestuarent aestu magno; blasphematio Nominis Dei inde est. Antiqua Ecclesia nihil aliud per Solem intellexit, quam Dominum, et Divinum coeleste amoris Ipsius, quare ritus iis orandi fuit versus orientem Solis, tunc ne quidem cogitando de sole; at postquam posteri perdiderunt cum reliquis repraesentativis et significativis etiam hoc, tunc coeperunt ipsum solem et lunam colere, qui cultus emanavit ad plures gentes, usque adeo ut illis templa dicarent, et statuas ponerent, et quia tunc sol et luna oppositum sensum acceperunt, significant amorem sui et mundi, qui prorsus contrarii sunt amori coelesti et spirituali; inde in Verbo per cultum solis

et lunae intelligitur cultus sui et mundi, ut apud Mosen, „Ne „forte tollas oculos tuos ad coelum, et videas *Solem* et *Lunam*, „et *Stellas*, omnem exercitum coelorum, et impellaris, et incur„ves te illis, et servias illis," Deut: IV: 19: et apud Eundem, „Si iverit, et serviverit diis aliis, et *Soli* aut *Lunae*, aut omni „exercitui coelorum, quod non praecepi, tunc lapidabis eos „lapidibus, et morientur," Deut: XVII: 3. 5, in tale idololatricum versus est cultus antiquus, cum nihil internum significari in ritibus Ecclesiae amplius crediderunt, sed modo externum: similiter apud Jeremiam, „In tempore isto ossa Regum Jehudae, „principum Sacerdotum, Prophetarum, et habitatorum Hiero„solymae, expandent *Soli* et *Lunae*, et omni exercitui coelo„rum, quae amaverunt, et quibus servierunt," VIII: 1. 2: sol pro amore sui et ejus cupiditatibus: quod expanderent ossa, significat infernalia quae talibus: apud Eundem, „Confringet „*statuas domus solis*, quae in terra Aegypti, et domos deo„rum Aegypti comburet igne," XLIII: 13, statuae domus pro cultu sui.

2442. Et Loth venit Zoarem, quod significet illos qui in affectione veri, quod salvati, constat a significatione Zoaris, quod sit affectio veri, de qua n: 2439: inde quoque constare potest, quod salventur etiam qui in fide sunt, modó in fide eorum sit bonum, hoc est, afficiantur veris fidei propter bonum, quod est ex bono; omnis vita fidei non est aliunde: quod charitas sit essentiale fidei, imo ut sit ipsa fides, quia est ipsum fidei, videatur, n: 379. 389. 654. 724. 809. 916. 1162. 1176. 1798. [27] 1799. 1834. 1844. 2049. 2116. 2189. 2190. 2228. 2261: 2340. 2349. 2419.

2443. Vers: 24. *Et Jehovah pluere fecit super Sodomam et super Amoram sulphur et ignem a cum Jehovah e coelo.* Jehovah pluere fecit super Sodomam et super Amoram sulphur et ignem, significat infernum quod iis qui in malis amoris sui, et falsis inde; pluere est damnari; sulphur est infernum amoris sui; ignis est infernum falsorum inde: a cùm Jehovah e coelo, significat quod ex legibus ordinis quoad verum, quia se separant a bono.

2444. Jehovah pluere fecit super Sodomam et super Amoram sulphur et ignem, quod significet infernum quod iis qui in

malis amoris sui et falsis inde, constat a significatione pluere, quod sit damnari, sulphuris quod sit infernum malorum amoris sui, et ignis quod sit infernum falsorum inde, de quibus mox sequitur; tum a significatione Sodomae, quod sit malum amoris sui, et Amorae, quod sit falsum quod inde, de qua n: 2220. 2246. 2322. Hic etiam Amora memoratur, cujus mentio prius in hoc Capite non facta est, ex causa, quia Amora significat falsum quod ex malo amoris sui; intra Ecclesiam enim, de cujus ultimo tempore, seu judicio, hic agitur, hoc malum est quod praecipue agit contra bonum, et inde falsum quod agit contra verum; quae duo ita conjuncta sunt, ut qui in uno, etiam sit in altero, et quidem in simili ratione, et simili gradu; apparet quidem aliter, sed tamen se manifestat quod ita sit, si non in mundo, usque in altera vita. De amore sui, qualis sit, et quanta inde mala, et quod inde inferna, videantur n: 693. 694. 760. 1307. 1308. 1321. 1594. 1691. 2041. 2045. 2051. 2057. 2219.

2445. Quod pluere sit damnari, constat a significatione pluviae; Pluvia in Verbo in genuino sensu significat benedictionem, inde etiam salvationem, sed in opposito sensu maledictionem, inde etiam damnationem; quod benedictionem et inde salvationem ex pluribus locis constat, at quod in opposito sensu maledictionem et inde damnationem, patet ab his; apud Esaiam, „Tabernaculum erit in umbram interdiu ab aestu, et in refu„gium et in latibulum ab *Inundatione*, et a *Pluvia*," IV: 6: apud Ezechielem, „Dic ad incrustantes ineptum, et cadet, erit „*Pluvia inundans*, qua vos lapides grandinis cadetis: *Pluvia* „*inundans* in ira mea erit, et lapides grandinis in excandescen„tia ad consummationem," XIII: 11. 13: apud Davidem, „Dedit *pluvias* eorum grandinem, *ignem flammarum* in terra „eorum, et percussit vitem eorum, et ficum eorum," Psalm: CV: 32. 33; ubi de Aegypto, de qua ita apud Mosen, „Jeho„vah dedit tonitrua et grandinem, et vibrabat se ignis super ter„ra, et *pluere fecit* Jehovah grandinem super terra Aegypti," Exod: IX: 23. 24.

2446. Quod sulphur sit infernum malorum amoris sui, et ignis sit infernum falsorum inde, constat a significatione sulphuris, et inde ignis in Verbo, quod sit amor sui cum ejus

cupiditatibus et inde falsitatibus, ita quod sit infernum, hoc enim a talibus consistit: quod sulphur et ignis illa significent, constat apud Davidem, „*Jehovah pluet* super impios, laqueos, „*ignem* et sulphur," Psalm: XI: 6; quod hic non sit ignis et sulphur, sed quod aliud quid, quod per ignem et sulphur significatur, constare potest, etiam ex eo quod dicatur, quod Jehovah pluet laqueos: apud Ezechielem, „Disceptabo cum eo „peste et sanguine, et *pluviam inundantem*, et lapides grandinis, *ignem et sulphur pluere faciam* super eum, et super alas „ejus, et super populos multos, qui cum eo," XXXVIII: 22: ubi de Gogo qui vastat terram Israëlis, hoc est, Ecclesiam, quid Gogus videatur n: 1151; ignis pro falsis, sulphur pro malis inde, et simul pro infernis eorum, qui vastant: apud Johannem, „Qui adorabant bestiam, conjecti sunt in stagnum ardens „sulphure," Apoc: XIX: 20, [26] pro inferno: apud Eundem, „Diabolus conjectus est in *stagnum ignis et sulphuris*, ubi bestia „et pseudopropheta, et cruciabuntur dies et noctes in saecula „saeculorum," Apoc: XX: 10; manifeste pro inferno: apud Eundem, „Abominabilibus et homicidis, et adulteris, et incantatoribus, et idololatris, et omnibus mendacibus, pars eorum „in *stagno ardente igne et sulphure*," Apoc: XXI: 8; etiam ignis et sulphur manifeste pro inferno. Quod pro malis amoris sui et falsis inde, ex quibus inferna, apud Esaiam, „Dies ultionis Jehovae, annus retributionum ad litem Zionis, et convertentur flumina ejus in picem, et pulvis ejus in *sulphur*, et „erit terra ejus in *picem ardentem*," XXXIV: 8. 9; ubi pix ardens pro densis et diris falsis loco ignis, sulphur pro malis, quae ex amore sui: apud Eundem, „Rogus ejus, *Ignis* et ligna „multa, flatus Jehovae sicut *flumen sulphuris ardentis* in ea," XXX: 33: ubi de Topheth, flumen sulphuris ardentis pro falsis ex malis amoris sui. Apud Lucam, „*Qua die egressus est* „*Lothus a Sodoma, pluit igne et sulphure e coelo*, perdiditque omnes: juxta haec fiet, qua die Filius Hominis revelabitur," XVII: 29. 30; quod tunc non ignis et sulphur pluent, quisque videre potest, sed quod regnaturae falsitates et cupiditates amoris sui, quae per ignem et sulphur significantur, et faciunt inferna. Quod Ignis in Verbo significet cupiditates, et simul inferna, sed tunc fumus qui ab igne, significat falsum quod inde,

et quod est in illis infernis, videatur n: 1861; et apud Johannem, „Vidi equos in visione, et sedentes super iis, habentes „thoraces *igneos* et *sulphureos;* et capita equorum, sicut capita leonum, et ex ore eorum exibat *Ignis*, *Fumus*, et *Sulphur:* a tribus his occisi sunt tertia pars hominum, ab *Igne*, „et a *Fumo*, et a *Sulphure*," Apoc: IX: 17. 18; ignis, fumus et sulphur, pro malis et falsis omnis generis, ex quibus, ut dictum, inferna.

2447. Quod a cum Jehovah e coelo, significet quod ex legibus ordinis quoad verum, quia se separant a bono, non constare potest, nisi a sensu interno, per quem detegitur, quomodo se habet cum punitionibus et damnationibus, quod nusquam a Jehovah, hoc est, a Domino veniant, sed ab ipso homine, malo spiritu, et diabolo, et hoc ex legibus ordinis quoad verum, quia se separant a bono: omnis ordo est a Jehovah, hoc est, Domino, secundum quem ab Ipso reguntur omnia et singula, sed cum multiplici differentia, nempe ex *Voluntate*, ex *Beneplacito*, ex *Venia*, et ex *Permissione;* quae ex Voluntate et Beneplacito, illa sunt ex legibus ordinis quoad Bonum, etiam plura quae ex Venia, aliqua etiam quae ex Permissione; at cum homo separat se a Bono, tunc conjicit se in leges ordinis, quae sunt Veri separati a Bono, quae tales sunt ut damnent, nam omne Verum damnat hominem et dejicit in infernum, at Dominus ex Bono, hoc est, ex Misericordia salvat, et attolit in coelum; inde constat, quod ipse homo sit, qui semet damnat: quae ex permissione fiunt, pleraque talia sunt, ut pro exemplo, quod unus diabolus puniat et cruciat alterum, praeter innumerabilia alia, haec sunt ex legibus ordinis quoad verum separatum a bono, nam aliter non potuissent in vinculis teneri, nec retineri, quin ruerent in omnes probos et bonos, et eos in aeternum perderent; hoc ne fiat, est Bonum quod spectatur a Domino; se similiter hoc habet, ac in tellure, ubi Rex clemens et mitis, qui nihil nisi bonum intendit et facit, nisi toleraret quod leges ejus punirent malos et scelestos, tametsi ille neminem punit, sed potius dolet quod tales sint ut mala eos punire debeant, ipsum suum Regnum in praedam talibus relinqueret, quod summae inclementiae, et summae immisericordiae foret: inde patet, quod Jehovah nusquam pluere fecerit sulphur et ignem, hoc est, dam-

miserit ad infernum, sed quod ipsi, qui in malo et inde in falso fuerunt, id fecerint, ex causa quia se separarunt a bono, et sic conjecerunt in leges ordinis ex solo vero: inde nunc sequitur, quod ille sit sensus internus horum verborum: quod in Verbo tribuatur Jehovae seu Domino, malum, punitio, maledictio, damnatio, et plura, ut hic, quod pluere fecit sulphur et ignem: apud Ezechielem, „Disceptabo cum eo peste et sanguine, *ignem et* „*sulphur pluere faciam* super eum," XXXVIII: 22: apud Esaiam, „Flatus Jehovae sicut *flumen sulphuris ardentis*," XXX: 33: apud Davidem, „Jehovah pluet super impios, laqueos, *ignem* „et *sulphur*," Psalm: XI: 6: apud Eundem, „Ascendit *fumus* „*e naso Ipsius*, et *ignis ex ore* Ipsius, *prunae arserunt* ex Ipso," Psalm: XVIII: 9. 10: apud Jeremiam, „Ne exeat sicut *ignis* „*furor meus*, et *ardeat*, et nemo exstinguens," XXI: 12: apud Mosen, „*Ignis accensus in ira mea*, et *ardebit usque ad infer-* „*num infimum*," Deut: XXXII: 22; praeter similia multis aliis in locis; quod talia in Verbo, tribuantur Jehovae seu Domino, ut dictum, explicatum est in Parte Prima, n: 223. 245. 592. 589. 696. 735. 1093. 1638. 1683. 1874; tantum enim abest, ut talia a Domino veniant, quantum abest bonum a malo, seu coelum ab inferno, seu Divinum a diabolico; malum, infernum, et diabolus, illa faciunt, nusquam Dominus, Qui est ipsa Misericordia, et ipsum Bonum, sed quia ita apparet, inde ex causis, de quibus in locis citatis, tribuuntur. Quod in hoc Versu dicatur, quod Jehovah pluere fecit a cum Jehovah e coelo, apparet in sensu literae, sicut quod duo essent, unus in terra, et unus in coelo; sed sensus internus docet, quomodo etiam hoc intelligendum, nempe quod per Jehovam primo nominatum intelligatur Divinum Humanum et Sanctum Procedens Domini, in hoc Capite intellectum per duos Viros; et quod per Jehovam secundo nominatum intelligatur Ipsum Divinum quod Pater dicitur, de quo in Capite praecedente, tum quod hoc Trinum in Domino sit, sicut Ipse dicit apud Johannem, „Qui vidit Me, vidit Patrem; credite Mihi, quod Ego in Patre, et Pater in Me," XIV: 9. 10. 11: et de Sancto procedente, apud Eundem, „Paracletus non loquetur a seipso, ex Meo accipiet et annuntiabit vobis," XVI: 13. 14. 15, ita unus Jehovah, tametsi duo hic nominantur, quod duo, est causa, quia omnes leges Ordinis

sunt ex Divino Ipso, Divino Humano, et Sancto procedente Domini.

2448. Vers: 25. *Et evertit urbes illas, et omnem planitiem, et omnes habitatores urbium, et germen humi.* Evertit urbes illas, significat quod ab illis separarentur omnia vera, ut modo falsa iis essent: et omnem planitiem, significat omnia quae ad vera pertinerent: et omnes habitatores urbium, significat quod ab illis separarentur omnia bona, ut non nisi quam mala iis essent: et germen humi, significat omne quod Ecclesia.

2449. Quod evertit urbes illas, significet quod ab illis separarentur omnia vera, ut modo falsa iis essent, constat ex significatione urbium, quod sint doctrinalia, ita vera, nam haec sunt doctrinalium, de qua n: 402. 2268. 2428, quae everti dicuntur, cum falsa pro veris sunt, hic cum separata ab illis omnia vera, tum quoque omnia bona, de quibus etiam in hoc Versu, quia agitur de statu ultimo eorum qui intra Ecclesiam in falsis et malis sunt; status eorum quoque talis fit: ut sciatur qualis, paucis dicendum; qui in alteram vitam veniunt, omnes in similem vitam, quam habuerunt in corpore, reducuntur; et dein apud bonos separantur mala et falsa, ut per bona et vera eleventur a Domino in coelum; at apud malos separantur bona et vera, ut per mala et falsa ferantur in infernum, videatur n: 2119, prorsus secundum verba Domini apud Matthaeum, „Quicunque habet, dabitur illi, ut abundantius habeat; quicunque vero non habet, etiam quod habet, auferetur ab eo," XIII: 12: et alibi apud Eundem, „Habenti omni dabitur, ut abundet; ab eo autem qui non habet, auferetur ab eo," XXV: 29. [29] Luc: VIII: 18. Cap: XIX: 24. 25. 26. Marc: IV: 24. 25: quae etiam significantur per haec quae apud Matthaeum, „Sinite una crescere utraque usque ad messem, et erit in tempore messis dicam messoribus, colligite prius Zizania, et colligite ea in fasciculos ad comburendum ea; triticum vero congregate in horreum meum: messis consummatio saeculi est, quemadmodum colliguntur Zizania, et igne comburuntur, sic erit in consummatione saeculi," XIII: 30. 39. 40. Tum quae dicta sunt de sagena jacta in mare, et varii generis pisces contrahente, quod dein colligerentur bona in vasa, et mala foras ejicerentur, et quod sic futurum in consummatione saeculi, ibid: Vers: 47. 48.

49. 50; quid consummatio, et quod simile involvat quoad Ecclesiam, videatur n: 1857. 2243. Causa separationis malorum et falsorum apud bonos, est ne pendeant inter mala et bona, sed ut per bona eleventur in coelum; et causa separationis bonorum et verorum apud malos, est ne per aliqua bona quae apud eos, seducant probos, utque secedant per mala inter malos qui in inferno; nam talis est communicatio omnium idearum cogitationis et affectionum in altera vita, ut bona communicentur cum bonis, mala cum malis, n: 1388. 1389. 1390, quare nisi separarentur, inde damna innumerabilia, praeter quod aliter nulla consociatio fieret; cum tamen exquisitissime omnia consociata sunt, in Coelis secundum omnes differentias amoris in Dominum ac amoris mutui, et inde fidei, n: 685. 1394; et in infernis secundum omnes differentias cupiditatum, et inde phantasiarum, n: 695. 1322. Sed sciendum, quod separatio non sit plenaria ablatio, nulli enim prorsus aufertur quod habuit.

2450. Et omnem planitiem, quod significet omnia quae ad vera illa pertinerent, constat a significatione Planitiei, quod sit omne doctrinalis, ita omne quod ad vera pertinet, de qua n: 2418.

2451. Quod omnes habitatores urbium, significet quod ab illis separarentur omnia bona, ut non nisi quam mala iis essent, constat a significatione Habitatorum cum praedicantur de Urbe, quod sint bona, ut a pluribus in Verbo confirmari potest; etiam inde patet, quod cum urbs significat Verum, ut ostensum, habitator sit bonum, nam verum est in quo bonum habitat; et verum in quo non bonum, est sicut urbs vacua, seu absque habitatore. Praeterea quod a malis separentur etiam omnia bona, ut non nisi quam mala iis sint, videatur supra n: 2449.

2452. Quod germen humi significet omne quod est Ecclesiae, constat a significatione germinis; per germen intelligitur tam seges, quam viride quodcunque, per quae quod significentur bona et vera, ex Verbo ubivis patet: et ex significatione Humi, quod sit Ecclesia, de qua n: 566. 1068. Quod bona et vera sint omne Ecclesiae, notum est.

2453. Vers: 26. *Et respexit uxor ejus post eum, et facta statua salis.* Respexit uxor ejus post eum, significat quod ve-

rum averterit se a bono, et spectaverit ad doctrinalia: et facta statua salis, significat quod omne bonum veri vastatum sit.

2454. Quod respexit uxor ejus post eum, significet quod verum averterit se a bono, et spectaverit ad doctrinalia, constat a significatione respicere post eum, et a significatione uxoris: Respicere post eum quod sit ad doctrinalia, quae sunt veri, non autem ad vitam secundum doctrinalia, quae est boni, supra n: 2417, dictum est; id enim dicitur post eum, quod posterius, et id ante eum quod prius; quod verum sit posterius, et bonum prius, saepius ostensum est; verum enim est boni, nam essentia et vita veri est bonum; quare respicere post eum, est ad verum quod est doctrinalis, non autem ad bonum, quod est vitae secundum doctrinale: quod haec significentur, constat manifeste a Domini verbis, ubi etiam de ultimo tempore Ecclesiae, seu consummatione saeculi loquitur, apud Lucam, „In „ista die, quicunque erit super domo, et vasa illius in domo, „ne descendito ad tollendum ea: et quicunque in agro, simili-„ter *ne revertatur ad post eum: mementote uxoris Lothi,*" XVII: 31. 32; haec Domini verba nusquam intelligibilia sunt absque sensu interno, ita nisi sciatur, quid significant, esse super domo, quid vasa in domo, quid descendere ad tollendum ea, et quid ager, et demum quid reverti ad post eum; secundum sensum internum, esse super domo est esse in bono, quod domus sit bonum, videatur n: 710. 2233. 2234; vasa in domo sunt vera quae sunt boni, quod vera sint vasa boni, videatur n: 1496. 1832. 1900. 2063. 2269; descendere ad tollendum ea, est se avertere a bono ad verum, quod patet, bonum enim sicut est prius etiam est superius, et verum sicut est posterius etiam est inferius; quod ager sit Ecclesia, ita dicta a semine quod recipit, proinde quod illi sint agri qui in bono doctrinae sunt, ex multis in Verbo locis constat; inde patet, quid significat reverti ad post eum, nempe avertere se a bono, et spectare ad doctrinalia, quare quia illa significantur per uxorem Lothi, additur, mementote uxoris Lothi, non dicitur, respexit post se, sed post eum, quia Loth significat bonum, videatur n: 2324. 2351. 2371. 2399, inde est, cum dicebatur ad Lothum, Vers: 17, quod dictum, ne respicias post te; quod apud Lucam dicatur, ne revertatur *ad post eum*, non ad illa quae post eum,

est quia coelestes ne quidem nominare volunt aliquid quod est doctrinalis, videatur n: 202. 337, quae causa est quod nec nominatum, sed dictum *ad post eum*. Eadem haec ita describuntur apud Matthaeum, „Cum videritis abominationem desola„tionis, praedictam a Daniele Propheta; tunc qui in Judaea „sunt, fugiant in montes: qui super domo est, ne descendat „ad tollendum quid e domo sua; et qui in agro, *ne revertatur „retro* ad tollendum vestimenta sua," XXIV: 15. 16. 17; ubi abominatio desolationis, est status Ecclesiae cum nullus amor et nulla charitas, quibus desolatis regnant abominabilia; quod Judaea sit Ecclesia, et quidem coelestis, a Verbo tam historico quam prophetico Veteris Testamenti ubivis patet; quod Montes, in quos fugerent, sint amor in Dominum et inde charitas erga proximum, videatur n: 795. 1430. 1691; qui super domo, quod sit bonum amoris, mox supra dictum; descendere ad tollendum quid e domo sua, quod sit se avertere a bono ad verum, etiam supra dictum; qui in agro, quod sint illi qui in Ecclesia spirituali, patet a significatione agri in Verbo; ne revertatur retro ad tollendum vestimenta, quod sit ne avertat se a bono ad verum quod doctrinalis, quod vestimenta significent vera, quia vera induunt bonum ut vestes, videatur n: 1073: quisque videre potest, quod omnia illa, quae Dominus de consummatione saeculi ibi loquutus est, significent prorsus alia, ac involvant arcana, ut quod qui in Judaea fugerent in montes, quod qui super domo non descenderet ad tollendum quid e domo, et quod qui in agro non reverteretur retro ad tollendum vestimenta sua; similiter quod Loth non respiceret post se, Vers: 17, et hic quod uxor ejus respexerit post eum. Porro constat hoc a significatione uxoris, quod sit verum, de qua n: 915. 1468; et a significatione Lothi, quod sit bonum, de qua n: 2324. 2351. 2371. 2399; inde dicitur post eum. Verum dicitur avertere se a bono, et spectare ad doctrinalia, cum non amplius cordi est, quali vita fit homo Ecclesiae, sed quali doctrina, cum tamen vita secundum doctrinam faciat hominem Ecclesiae, non autem doctrina separata a vita; cum enim doctrina separatur a vita, tunc quia vastatum est bonum, quod est vitae, etiam vastatur verum quod est doctrinae, hoc est, fit statua salis; quod quisque scire potest, qui solum doctrinam spectat non vitam, num,

tametsi doctrina docet, credat resurrectionem, coelum, infernum, imo Dominum, ita reliqua quae sunt doctrinae.

2455. Quod facta statua salis, significet quod omne bonum veri vastatum sit, constare potest a significatione statuae, et a significatione salis: statua in lingua originali exprimitur per vocem, qua significatur statio, non qua statua quae erigebatur vel in cultum, vel in signum, vel in testem, sic ut per statuam salis hic significetur, quod constiterit vastatum, nempe verum, quod significatur per uxorem Lothi, n: 2454; verum tunc dicitur vastatum, quando non bonum amplius in illo est; ipsa vastatio significatur per salem; sicut pleraque in Verbo duplicem sensum habent, nempe genuinum et ei oppositum, ita etiam Sal, hoc in genuino sensu significat affectionem veri, in opposito vastationem affectionis veri, hoc est, boni in vero: quod affectionem veri, videatur Exod: XXX: 35. Levit: II: 13. Matth: V: 13. Marc: IX: 49. 50. Luc: XIV: 34. 35: quod vastationem affectionis veri, seu boni in vero, constat ex his locis; apud Mosen, „Sulphur erit, et *Sal*, combustio tota terra, non „seretur, non germinabit, nec ascendet in ea ulla herba, juxta „eversionem Sodomae et Amorae, Admae et Zeboim," Deut: XXIX: 22; ubi sulphur est vastatio boni, et sal vastatio veri, quod vastatio sit, patet a singulis: apud Zephaniam, „Moab „sicut Sodoma erit, et filii Ammonis sicut Amora, locus dere„lictus urticae, et *fovea salis*, ac desolatio in aeternum," II: 9; ubi locus derelictus urticae pro vastato bono, et fovea salis pro vastato vero; locus enim urticae se refert ad Sodomam, per quam malum seu vastatum bonum, et fovea salis ad Amoram, per quam falsum seu vastatum verum, significari, ostensum est; quod vastatio sit, patet, nam dicitur desolatio in aeternum: apud Jeremiam, „Qui ponit carnem brachium suum, erit sicut „virgultum nudatum in solitudine, et non videbit cum venit „bonum, et habitabit exustis locis in deserto, *terra salsa*, et „non habitatur," XVII: 6; ibi exusta loca pro vastatis bonis, terra salsa pro vastatis veris: apud Davidem, „Jehovah ponit „fluvios in desertum, et exitus aquarum in siccitatem, terram „fructus *in salsugineam*, ob malitiam habitantium in ea," Psalm: CVII: 33. 34; terram fructus in salsugineam pro vastatione boni in vero: apud Ezechielem, „Coenosa ejus et paludes ejus, et

„non sanantur, *in salem dabuntur,*" XLVII: 11; in salem dari, pro vastari prorsus quoad verum: quia sal significabat vastationem, et urbes doctrinalia veri, ut ostensum n: 402. 2268. 2428. 2451, [30] olim urbes destructas, ne reaedificarentur, conserebant sale, Jud: IX: 45. Hic nunc est Quartus Status Ecclesiae, quae per Lothum repraesentatur, qui est, quod omne verum quoad bonum vastatum sit.

2456. Vers: 27. 28. 29. *Et surrexit Abraham in matuta, ad locum, quo steterat ibi coram Jehovah. Et prospexit contra facies Sodomae et Amorae, et contra omnes facies terrae planitiei; et vidit, et ecce ascendit fumus terrae, sicut fumus fornacis. Et fuit in perdendo Deus urbes planitiei, et recordatus est Deus Abrahami, et emisit Lothum e medio eversionis, in evertendo urbes, in quibus habitavit Loth.* Surrexit Abraham in matuta, significat Domini cogitationem de ultimo tempore; Abraham, est, hic ut prius, Dominus in illo statu: ad locum quo steterat ibi coram Jehovah, significat statum perceptionis et cogitationis in quo fuit prius; locus, est status: et prospexit contra facies Sodomae et Amorae, significat cogitationem de [31] statu eorum interiori quoad malum et falsum: et contra omnes facies terrae planitiei, significat status omnes interiores qui inde: et vidit, et ecce fumus terrae sicut fumus fornacis, significat statum falsi, qui est fumus, ex statu mali, qui est fornax, intra Ecclesiam quae est terra: et fuit in perdendo Deus urbes planitiei, significat cum perirent per falsa mali, quae sunt urbes planitiei: et recordatus est Deus Abrahami, significat salvationem per unitionem Essentiae Divinae Domini cum Humana Ipsius: et emisit Lothum e medio eversionis, significat salvationem eorum qui in bono, et qui in vero in quo bonum, qui omnes hic sunt Loth: in evertendo urbes, significat cum perirent illi qui in falsis a malis: in quibus habitavit Loth, significat tametsi in talibus etiam essent qui salvati.

2457. Singula haec explicare non opus est, quia quoad maximam partem in Capite praecedente, et prius, explicata sunt: haec addita et interjecta sunt ob finem, ut constaret, quod separati sint boni a malis, ac illi salvati, hi autem damnati, unice per unitionem Essentiae Divinae Domini cum Humana Ipsius; alioquin omnes illi, qui per Lothum hic repraesentantur, etiam

una perüssent; quod intelligitur per haec verba, „Fuit in perdendo Deus urbes planitiei, et recordatus est Deus Abrahami, „et emisit Lothum e medio eversionis, in evertendo urbes, in „quibus habitavit Loth," quod est in sensu interno, quod salvati sint per unitionem Essentiae Divinae Domini cum Humana Ipsius, omnes qui in bono, ut et qui in vero in quo bonum, hic repraesentati per Lothum, cum perirent illi, qui in falsis a malis, tametsi illi, qui salvati sunt, etiam in falsis et malis essent. Ita nunc conjuncta sunt haec quae in hoc Capite, cum illis quae in praecedente, nempe quod Abrahamus, hoc est, Dominus in illo statu, intercesserit pro illis Sodomae et Amorae, qui significantur per quinquaginta, per quadraginta quinque, per quadraginta, per triginta, per viginti, et per decem, qui quod sint omnes illi in suo ordine, qui in bono sunt, tum qui in vero in quo aliquid boni, ibi explicatum est.

2458. Vers: 30. *Et ascendit Loth e Zoar, et habitavit in monte, et duae filiae ejus cum eo, quia timuit habitare in Zoar; et habitabat in spelunca is et duae filiae ejus.* Ascendit Loth e Zoar, significat cum non amplius in affectione veri essent: et habitavit in monte, significat quod tunc ad quoddam bonum se conferrent: et duae filiae ejus cum eo, significant quod affectiones inde similiter: quia timuit habitare in Zoar, significat quia ex affectione veri non amplius spectare bonum possent: et habitabat in spelunca is, significat bonum falsi: et duae filiae ejus, significat affectiones inde, quae sunt talis boni et talis falsi.

2459. Ascendit Loth e Zoar, quod significet cum non amplius in affectione veri essent, constat a significatione Zoaris, quod sit affectio veri, de qua n: 2439, et quia sequitur, quod habitavit in monte, quoniam timuit habitare in Zoar, significatur, cum non amplius in affectione veri essent, et hoc quia omne bonum veri vastatum est, ut constat a Vers: 26. Hic nunc Quintus Status Ecclesiae, quae per Lothum repraesentatur, describitur, qui est, quod, postquam nulla amplius affectio veri, bonum quoddam impurum, seu bonum falsi, se infundat.

2460. Quod habitavit in monte, significet quod tunc ad quoddam bonum se conferrent, constat a significatione Montis,

quod sit amor in omni sensu, nempe amor coelestis et spiritualis, n: 796. 1480, ut et amor sui et mundi, n: 1691, [32] et hoc quia pleraque in Verbo etiam sensum oppositum habent; et quia omne bonum est cujusdam amoris, per montem hic significatur bonum, sed quale bonum, in sequentibus describitur, nempe quod esset obscurum, et factum impurum, nam mox dicitur, quod habitaret in spelunca, et dein, quod prophana ibi facta sint.

2461. Quod duae filiae ejus cum eo, significet quod affectiones ejus similiter, constat a significatione filiarum, quod sint affectiones, de qua n: 489. 490. 491; sed quale bonum, tales affectiones, etiam bonum spurium et impurum suas affectiones habet, omnes enim afficiuntur illis quae bona esse autumant, qualiacunque sunt, nam sunt eorum amoris.

2462. Quia timuit habitare in Zoar, quod significet quia ex affectione veri non amplius spectare bonum posset, constat a significatione Zoaris, quod sit affectio veri, n: 2439; quae cum vastata, inde non amplius spectare bonum potest; timor etiam tunc est pro omni vero, nam hoc contrariatur bono amoris impuri.

2463. Et habitabat in spelunca is, quod significet bonum falsi, constat a significatione speluncae; spelunca est quoddam domicilium in monte, sed obscurum; et quia domicilia quaecunque, sicut domus, significant bona, n: 2233. 2234, sed talia bona, qualia sunt, hic itaque spelunca, quia domicilium obscurum, significat bonum tale. Speluncae montium etiam passim nominantur in Verbo, ac ibi in sensu interno similiter significant talia, ut Es: II: 19. Cap: XXXII: 14; etiam in Historicis, ut quod Elias fugiens Isabelem „ venerit ad *speluncam* in monte Chorebo, quo pernoctavit, ac ibi verbum Jehovah ad eum, quod exiret et consisteret *in Monte* ante Jehovam; et quod tunc obvolverit facies toga sua, et exiverit, et steterit ad *ostium speluncae*, " 1 Reg: XIX: 9. 13; ibi per speluncam in sensu interno significatur bonum obscurum, sed quale est in tentationibus, quod quia non sustineret Divinum, obvolvit facies toga: similiter alibi in Historicis, quod filii Israëlis propter Midianem fecerint sibi speluncas in montibus, Jud: VI: 2, tum propter Philistaeos, 1 Sam: XIII: 6; historica ibi, simi-

liter se habent ac historica haec apud Mosen, quod alia in sensu interno significent.

2464. Et duae filiae ejus, quod significent affectiones inde, quae sunt talis boni et talis falsi, constat a significatione filiarum, quod sint affectiones, n: 2461. Bonum ex quo affectiones, seu Pater ex quo filiae, est Loth; at Verum ex quo illae, seu Mater, erat uxor Lothi, quae cum facta statua salis, hoc est, cum bonum veri vastatum, tunc tale bonum quod significatur per Lothum in spelunca, et tales affectiones inde quae significantur per filias, existunt.

2465. Vers: 31. 32. 33. 34. 35. 36. *Et dixit Primogenita ad minorem, Pater noster senex, et vir nullus in terra, ad veniendum ad nos, secundum viam totius terrae. Veni, propinemus patri nostro vinum, et cubemus cum eo, et vivificemus de patre nostro semen. Et propinaverunt patri suo vinum in nocte illa, et venit primogenita, et cubuit cum patre suo, et non cognovit in cubare ejus et in surgere ejus. Et fuit a crastino, et dixit primogenita ad minorem, ecce cubui heri cum patre meo, propinemus ei vinum etiam nocte hac, et veni, cuba cum eo, et vivificemus de patre nostro semen. Et propinaverunt etiam in nocte illa patri eorum vinum, et surrexit minor, et cubuit cum eo, et non cognovit in cubare ejus, et in surgere ejus. Et conceperunt binae filiae Lothi de patre suo.* Dixit primogenita ad minorem, significat, hic ut prius, affectiones, primogenita affectionem talis boni, minor affectionem talis falsi: pater noster senex, et vir nullus in terra, significat quod non sciatur amplius quid bonum, et quid verum: ad veniendum ad nos, significat quibus conjungerentur: secundum viam totius terrae, significat secundum doctrinalia; terra est Ecclesia: veni, propinemus patri nostro vinum, significat quod imbuerent bonum tale falsis, quae sunt vinum: et cubemus cum eo, significat quod sic conjungerentur: et vivificemus de patre nostro semen, significat quod sic novum cujusdam Ecclesiae: et propinaverunt patri suo vinum, significat quod imbuerint tale bonum falsis: in nocte illa, significat cum omnia essent in tanto obscuro: et venit primogenita, significat affectionem talis boni: et cubuit cum patre suo, significat quod sic adaptarentur: et non cognovit in cubare ejus et [in] surgere ejus, significat quod

bonum tale commune non sciverit aliter quam quod ita esset: et fuit a crastino, significat postea: et dixit primogenita ad minorem, significat quod affectio talis boni persuaderet falsum: ecce cubui heri cum patre meo, significat quod ita conjuncta essent: propinemus ei vinum etiam nocte hac, significat, hic ut prius, quod imbuerent tale bonum falsis cum singula essent in tanto obscuro: et veni, cuba cum eo, significat quod haec quoque conjungerentur: et vivificemus de patre nostro semen, significat, hic ut prius, quod sic novum cujusdam Ecclesiae: et propinaverunt etiam in nocte illa patri eorum vinum, significat quod in obscuro illo statu imbuerint tale bonum falsis: et surrexit minor et cubuit cum eo, significat quod affectio falsi similiter fecerit, ut falsa sicut vera apparerent, et sic conjungebantur: et non cognovit in cubare ejus et in surgere ejus, significat quod bonum tale commune non sciverit aliter quam quod ita esset: et conceperunt binae filiae Lothi a patre suo, significat quod inde origo talis religiosi, quod per Moabum et filium Ammonis significatur.

2466. Quod in sensu interno significentur illa, quae exposita sunt, confirmari potest, et quidem quoad singula verba, sed praeter quod pleraque prius confirmata sint, etiam sunt talia, quae laedunt ideas, et castas aures; ex summaria explicatione id constare potest, quod per illa describatur origo talis religiosi, quod per Moabum et filium Ammonis in Verbo significatur; quod quale sit, in sequentibus, ubi de Moabo et filio Ammonis, dicetur; quod sit adulteratum bonum, et falsificatum verum, constat: Adulterationes boni, et falsificationes veri, in Verbo communiter describuntur per Adulteria et Scortationes, ac ita quoque vocantur; causa inde est, quod Bonum et Verum inter se conjugium forment, n: 1904. 2173; [33] imo quod vix aliquis credere potest, inde ut a suo genuino principio est sanctitas conjugiorum in terra, etiam sunt Leges conjugiorum, de quibus in Verbo: nam ita se habet, Coelestia cum Spiritualibus, cum e Coelo descendunt in sphaeram inferiorem, prorsus ibi vertuntur in simile conjugiorum, et hoc ex correspondentia quae est inter spiritualia et naturalia, de qua Correspondentia ex Divina Domini Misericordia, alibi; cum autem illa pervertuntur in sphaera inferiore, ut fit, ubi mali genii et mali spi-

ritus sunt, tunc eadem vertuntur in talia, qualia adulteriorum et scortationum sunt; inde est, quod contaminationes boni et perversiones veri describantur in Verbo per adulteria et scortationes, ac quod ita quoque appellentur; ut manifeste constare potest ab his locis; apud Ezechielem, „*Scortata es* propter „nomen tuum; et effudisti *Scortationes* tuas super omnem trans„euntem: sumsisti de vestibus tuis, et fecisti tibi excelsa va„riegata, et *Scortata es* super illis: accepisti vasa ornatus tui „ex auro meo et ex argento meo, quod dederam tibi, et fecisti „tibi imagines masculi, et *Scortata es cum eis:* sumsisti filios „tuos, et filias tuas, quas peperisti Mihi, et sacrificasti illos eis; „num parum de *Scortationibus* tuis; *scortata* es cum filiis Ae„gypti vicinis tuis, magnis carne, et multiplicasti *Scortationem* „tuam ad irritandum Me; Scortata es cum filiis Aschuris, et „*Scortata* eis, [34] et non saturata: et multiplicasti *Scortatio„nem* tuam, usque ad terram negotiationis, Chaldaeam, et ta„men in hoc non satiata es," XVI: 15. 16. 17. 20. 26. 28. 29, seq: ubi de Hierosolyma, per quam ibi significatur Ecclesia perversa quoad vera; quod omnia illa prorsus alia significent, quisque videre potest; quod perversum Ecclesiae dicatur scortatio, patet; Vestes ibi sunt vera quae pervertuntur; inde falsa, quae coluntur, sunt excelsa variegata, cum quibus scortatio; quod vestes sint vera, videatur n: 1073, et quod Excelsa sint cultus, n: 796; vasa ornatus ex auro et argento quod dederam, sunt cognitiones boni et veri a Verbo per quas confirmant falsa, quae cum apparent sicut vera, vocantur imagines masculi, cum quibus scortatio; quod vasa ornatus ex auro et argento sint cognitiones boni et veri, patet a significatione auri quod sit bonum, n: 113. 1551. 1552, et argenti quod sit verum, n: 1551. 2048; imagines masculi, quod appareant sicut vera, n: 2046; quod filii et filiae, quas pepererunt et sacrificarunt eis, sint vera et bona quae perverterunt, patet a significatione filiorum et filiarum, n: 489. 490. 491. 533. 2362; quod scortari cum filiis Aegypti, sit pervertere illa per scientifica, patet a significatione Aegypti, quod sit scientificum, n: 1164. 1165. 1186. 1462; scortari cum filiis Aschuris, quod sit pervertere per ratiocinia, patet a significatione Aschuris, quod sit ratiocinatio, n: 119. 1186; multiplicare scortationem usque ad terram Chaldaeam,

quod sit usque ad prophanationem Veri, quae est Chaldaea, n: 1368; inde liquet qualis sensus internus Verbi est in ipso sensu literae. Similiter alibi apud eundem Prophetam, „Duae „mulieres, filiae unius matris, *Scortatae* sunt in Aegypto, in „adolescentia sua *scortatae* sunt; Ohola Samaria, Oholiba Hie„rosolyma; *Scortata* est Ohola sub me, et *dilexit amasios* „*suos*, Assyrios propinquos, dedit *Scortationes* suas super il„los, delectum filiorum Aschuris omnium; *Scortationes* suas „ex Aegypto non deseruit, nam cum illa *concubuerunt* in adole„scentia ejus. Oholiba corrupit amorem suum prae illa, et *Scor*„*tationes* suas supra *scortationes* sororis suae, filios Aschuris „adamavit; addidit [35] ad *Scortationes* suas, et vidit imagines „*Chaldaeorum*, *adamavit* eos ad aspectum oculorum suorum; „venerunt ad illam filii Babelis ad *concubitum* amorum," XXIII: 2. 3. 4. [5.] 7. 8. 11. 12. 14. 16. seq: Samaria est Ecclesia, quae in affectione veri, Hierosolyma quae in affectione boni, quarum scortationes cum Aegyptiis, et filiis Aschuris, sunt perversiones boni et veri per scientifica et ratiocinia, quibus falsa confirmantur, ut patet a significatione Aegypti, n: 1164. 1165. 1186. 1462; et Aschuris, n: 119. 1186; et quod usque ad prophanum cultum, qui quoad verum est Chaldaea, n: 1368, et quoad bonum sunt filii Babelis, n: 1182. 1326. Apud Esaiam, „Et erit a fine septuaginta annorum, visitabit Jehovah Tyrum, „et redibit ad *quaestum meretricium* suum, et *scortabitur* cum „omnibus regnis terrae," XXIII: 17; est venditatio falsi, quae per quaestum meretricium et scortationem Tyri significatur; quod Tyrus sint cognitiones veri, videatur n: 1201, quod regna sint vera, cum quibus scortatio, n: 1672: apud Jeremiam, „Tu *Scortata* es cum sociis multis; et revertere ad Me; tolle „oculos tuos ad colles, et vide ubi non *constuprata* fueris, su„per viis sedisti eis sicut Arabs in deserto, et prophanasti ter„ram *Scortationibus* tuis, et malitia tua," III: 1. 2: scortari et scortationibus prophanare terram, est pervertere et falsificare vera Ecclesiae, quod terra sit Ecclesia, videatur n: 662. 1066. 1067: apud Eundem, „A voce *Scortationis* suae pro„phanavit terram, moechata cum lapide et ligno," III: 9; moechari cum lapide et ligno, est pervertere vera et bona cultus externi; quod lapis sit tale verum, videatur n: 643. 1298,

quod lignum tale bonum, n: 643: apud Eundem, „Propterea „quod fecerunt stultitiam in Israële, et *adulterati* sunt cum „uxoribus sodalium suorum, et loquuti sunt verbum in nomine „meo, falsum, quod non praecepi," XXIX: 23; adulterari cum uxoribus sodalium est docere falsum sicut ab illis: apud Eundem, „In prophetis Hierosolymae vidi turpitudinem, *adul-„terando* et eundo in falso," XXIII: 14; ubi adulterari spectat bonum quod contaminatur, ire in falso spectat verum quod pervertitur: apud Eundem, „*Adulteria* tua, et hinnitus tui, „foeditas scortationis tuae super collibus, in agro, vidi abomi-„nationes tuas; vae tibi Hierosolyma, non mundaris posthac, „quousque adhuc," XIII: 27: apud Hoscheam, „*Scortatio*, et „*Vinum*, et mustum occupavit cor; populus meus lignum in-„terrogat, et baculus ejus indicabit id, quia *spiritus scortatio-„nis* seduxit; et *scortati* sunt de sub deo suo; super verticibus „montium sacrificant, et super collibus suffiunt, sub quercu, „populo et robore; propterea *scortantur* filiae vestrae, et nu-„rus vestrae adulterantur; nonne visitavero super filias vestras „quia *scortantur*, et super nurus vestras quia *adulterantur*, „quia hi cum *scortis* dividunt, et cum *prostibulis* sacrificant," IV: 11. 12. 13. 14; quid singula haec in sensu interno significant, constare potest a significatione vini quod sit falsum, musti quod sit malum inde, ligni quod interrogatur quod sit bonum jucundi alicujus cupiditatis, baculi qui indicabit quod sit potentia imaginaria sui intellectus, tum montium et collium quod sint amores sui et mundi, quercus, populi et roboris quod sint totidem crassae, quibus fidunt, perceptiones inde, filiarum et nuruum quod sint affectiones tales, inde patet quid per scortationes, adulteria, et prostibula ibi significantur. Apud Eundem, „Israël *scortatus* es super deo tuo, dilexisti *quaestum „meretricium* super omnibus areis frumenti," IX: 1, quaestus meretricius pro venditatione falsi. Apud Mosen, „Ne pangas „foedus habitatori terrae, et *scortentur post deos* eorum, ac „sacrificent diis eorum, et vocet te, et comedas de sacrificiis „ejus, et accipias de filiabus ejus filiis tuis, et *scortentur* filiae „ejus *post deos* eorum, et *scortari faciant* filios tuos *post deos* „eorum," Exod: XXXIV: 15. 16: apud Eundem, „Exscindam „omnes *scortantes post eum*, *scortando post* Molechum, e me-

„dio populi eorum: et anima, quae respicit ad pythones et ad „hariolos, ad *scortandum post eos*, dabo facies meas contra „animam hanc, et exscindam eum e medio populi ejus," Levit: XX: 5. 6: apud Eundem, „Filii vestri erunt pascentes in de„serto quadraginta annis, et portabunt *Scortationes* vestras; „usque ad consumi corpora vestra in deserto," Num: XIV: 33: apud Eundem, „Recordemini omnium praeceptorum Jehovae, „et faciatis ea, et non pervestigetis post cor vestrum, et post „oculos vestros, *post quos* vos *scortamini*," Num: XV: 39. Adhuc manifestius apud Johannem, „Unus Angelus dixit, veni, „monstrabo tibi judicium *Meretricis magnae* sedentis super a„quis multis, cum qua *scortati* sunt reges terrae, et inebriati „sunt *Vino scortationis ejus* inhabitantes terram," Apoc: XVII: 1. 2: meretrix magna pro iis qui in prophano cultu sunt, aquae multae super quas sedet, sunt cognitiones, n: 28. 739, reges terrae qui cum ea scortati, sunt vera Ecclesiae, n: 1672. 2015. 2069; vinum quo inebriati est falsum, n: 1071. 1072; quia Vinum et inebriatio illa significant, de filiabus Lothi dicitur, quod propinaverint patri suo vinum, Vers: 32. 33. 35. Apud Eundem, „Babylon ex *vino furoris scortationis* suae potavit „omnes gentes, et reges terrae cum ea *scortati* sunt," Apoc: XVIII: 3; Babylon seu Babel, pro cultu cujus externa apparent sancta, sed interiora sunt prophana, n: 1182. 1295. 1326; gentes quas potat sunt bona quae prophanantur, n: 1259. 1260. 1416. 1849, reges qui cum ea scortati sunt vera, n: 1672. 2015. 2069: apud Eundem, „Vera et justa judicia Domini „Dei, quia judicavit *Meretricem magnam*, quae corrupit terram „scortatione sua," Apoc: XIX: 2; terra pro Ecclesia, n: 566. 662. 1066. 1067. 2117. 2118. Quia scortationes talia significabant, ac filiae affectiones, ideo tam severe prohibitum erat, ut filia sacerdotis scortaretur, de qua ita apud Mosen, „Filia „viri sacerdotis, quod coeperit ad scortandum, patrem ea pro„phanans, igne comburetur," Levit: XXI: 9. Tum quod non inferrent quaestum meretricium in domum Jehovae, quia abominatio, Deut: XXIII: 19: Et ideo talis processus inquisitorius de uxore, de qua vir suspicionem adulterii captavit, Num: V: 12 ad 31, in quo omnia et singula se referunt ad adulterationes boni. Praeterea adulteriorum et scortationum plura sunt

genera, et adhuc plures species, de quibus in Verbo; hoc Genus, quod describitur per concubitum filiarum Lothi cum patre, est quod vocatur Moabus et filius Ammonis, de qua mox sequitur.

2467. Vers: 37. 38. *Et peperit primogenita filium, et vocavit nomen ejus Moab; is pater Moabi usque ad diem hunc. Et minor etiam illa peperit filium, et vocavit nomen ejus Benammi, is pater filiorum Ammonis usque ad diem hunc.* Peperit primogenita filium, significat religiosum Ecclesiae istius quoad bonum: et vocavit nomen ejus Moab, significat quale ejus: is pater Moabi usque ad diem hunc, significat quod inde tales: et minor etiam illa peperit filium, significat Ecclesiae istius falsificatum verum: et vocavit nomen ejus Benammi, significat quale ejus: is pater filiorum Ammonis usque ad diem hunc, significat quod inde tales.

2468. Haec nec opus est confirmare, ab ipsa enim explicatione, et ab illis quae praecedunt, et quae sequuntur, patet, quod talia significentur: quid autem et quale religiosum est, quod per Moabum et filios Ammonis significatur, constare potest ab origine illorum, quae descripta est, tum a pluribus locis in Verbo tam Historico quam Prophetico, ubi nominantur; sunt in genere illi, qui sunt in externo cultu, qui apparet aliqualiter sanctus, sed non in interno, et qui illa, quae externi cultus sunt, arripiunt pro bonis et veris, at qui interni cultus, rejiciunt et contemnunt: talis cultus, et tale religiosum cadit in eos, qui in bono naturali sunt, sed qui contemnunt alios prae se: sunt illi non absimiles fructibus in externa forma non impulchris, sed qui intus mucidi vel putidi sunt; et non absimiles vasis marmoreis, in quibus impura, quandoque foeda; aut non absimiles foeminis, quae facie, corpore, et gestibus, non indecorae, sed intus morbosae, et foedis oppletae; est enim Commune bonum, quod apud eos, quod non impulchrum apparet, sed particularia quae intrant, sunt spurca; principio quidem non ita, sed successive, nam facile se imbui patiuntur quibuscunque quae bona vocantur, et inde quibuscunque falsis, quae, quia confirmant, vera putant, et hoc quia interiora cultus contemnunt, et haec quia in amore sui sunt: existunt et derivantur illi ab iis, qui in solo externo cultu sunt, qui in hoc Capite per Lothum

repraesentantur, et hoc quando bonum veri desolatum est. Describuntur in Verbo, tam quales sunt in principio, quando adhuc bonum eorum non ita conspurcatum est; quam dein quando conspurcatur; ut et postea quando prorsus conspurcatum est; et quod interiora cultus et doctrinae rejiciant. *Quales sunt in principio quando adhuc bonum eorum non ita conspurcatum est*, apud Danielem, „In tempore finis collidetur cum „eo Rex meridiei, ideo quasi procella irruet in eum Rex sep„tentrionis, curru, et equitibus, et navibus multis, et veniet in „terras, et inundabit, et transibit, et veniet in terram decoris, „et multae corruent: hae eripientur e manu ejus, Edom, et „*Moab*, et *Primitiae filiorum Ammonis*," XI: 40. 41: Rex meridiei pro illis qui in bonis et veris sunt, Rex septentrionis pro illis qui in malis et falsis, Rex septentrionis curru, equitibus, navibus, veniens in terras, inundans, et transiens, pro quod mala et falsa significata per currus, equites, naves, praevalitura, eripiendi e manu ejus Edom, Moab, et primitiae filiorum Ammonis, pro illis qui in tali bono sunt nondum ita falsis conspurcato, quare vocantur Primitiae filiorum Ammonis: apud Mosen, „Transivimus via deserti, et dixit Jehovah ad Mosen, „*ne angustes Moabum*, nec misceas te cum eis bello, quia non „dabo tibi de terra ejus haereditatem, quia *Filiis Lothi* dedi „Ar haereditatem," Deut: II: 8. 9; et de filiis Ammonis, „Lo„quutus Jehovah ad Mosen, tu transiens hodie *terminum Moabi* „Arem, et accedes e regione *filiorum Ammonis*, nec angusta „illos, nec misceas te cum illis, quia non dabo de *terra filio„rum Ammonis* tibi haereditatem, quia *Filiis Lothi* dedi eam „haereditatem," Deut: II: 17. 18. [19.]: Ar pro bono tali, Moabus et filii Ammonis pro illis qui in tali bono, sed in principio, quare jubetur ut non angustentur. Inde est, quod Moabus expulerit Emim, et Rephaim qui sicut Enakim, et quod filii Ammonis expulerint etiam Rephaim quos Samsumim vocarunt, Deut: II: 9. 10. 11. 18. 19. [20.] 21; per Emim, Rephaim, Enakim, Samsumim, significantur qui imbuti persuasionibus mali et falsi, videatur n: 581. 1673, per Moabum et filios Ammonis hic illi qui nondum imbuti sunt; sed hi cum quoque imbuti, hoc est, bonum eorum falsis conspurcatum, etiam expulsi sunt, Num: XXI: 21 ad 31. Ezech: XXV: 8. 9. 10. 11. *Describuntur qua-*

les sunt quando bonum eorum conspurcatur, apud Jeremiam, « *Ad Moabum* sic dixit Jehovah; vae super Nebo, quia devastata est, pudefacta est, capta est Kiriathaim, pudefacta est Misgab et consternata; non amplius *laus Moabi:* date alam Moabo, quia avolando avolabit, et urbes ejus in desolationem erunt, nemo habitans in iis. Relinquite urbes, et habitate in petra *habitores Moabi*, et estote sicut columba, nidificat in transitibus oris foveae. Ego novi, dictum Jehovae, iram ejus, et non firmus, falsa ejus, non rectum fecerunt. Propterea super *Moabo* ejulabo, et ad *Moabum* totum clamabo. A fletu Jaëseris flebo tibi, vitis Sibmae; propagines tuae transiverunt mare, usque ad mare Jaëseris pertigerunt; super fructus aestivos tuos, et super vindemiam tuam vastator cecidit. Propterea cor meum super *Moabo,* sicut tibiae, movetur. Vae tibi *Moabe*, periit populus Kemoschi, nam capti sunt filii tui in captivitatem, et filiae tuae in captivitatem. Et reducam captivitatem *Moabi* in posteritate dierum, » XLVIII: 1. 9. 28. 30. 31. 32. 36. 46. 47: ibi in toto Capite de Moabo, sed per eum de illis qui in bono tali sunt, quomodo se patiuntur imbui falsis, quare dicitur, ut dent alam Moabo ut avolet, et quod urbes ejus in desolationem erunt: at quod relinquerent urbes, et habitarent in petra, et sicut columba nidificarent in transitibus oris foveae, et plura, quibus suadentur ut in communibus suis bonis et veris manerent; et si tunc a falsis ignorantiae seducerentur, quod in posteritate dierum a captivitate reducentur; sed apud quos hoc non fit, dicitur, super Moabo ejulabo, et ad Moabum totum clamabo, et cor meum super Moabo movetur; falsa, quibus imbuuntur, significantur per Nebo, Kiriathaim, Misgab, Sibmam, Jaëserem, Kemosch, et plura nomina, quae in illo Capite. Apud Esaiam, « Nidus emissus erunt *filiae Moabi:* proferte consilium, facite judicium; pone totam umbram tuam in medio meridiei; absconde expulsos, vagum ne revela, commorentur in te expulsi mei *Moabe*, esto latibulum iis coram vastatore. Audivimus elationem *Moabi*, elatus valde, superbia ejus, et elatio ejus, et ira ejus, non sic mendacia ejus: ideo ejulabit *Moabus*, *Moabo*, totus ejulabit. Ideo viscera mea propter *Moabum* sicut cithara commoventur, et medium meum propter urbem Cherez. Erit cum visus

„fuerit, quod defatigatus, *Moabus* super excelso, et veniet ad „sanctuarium suum ad orandum, et non poterit. In tribus an„nis, tanquam annis mercenariis, et evilescet laus *Moabi*, in omni „multitudine magna, et residuum parum pusillum, non validum," XVI: 1. 2. [3. 4. 6. 7.] 11. 12. 13. 14. 15. 16. 20. 21. 23: etiam in toto hoc Capite de Moabo, et per illum de iis qui in tali bono sunt, et ibi describuntur passim similibus verbis, ac apud Jeremiam Cap: XLVIII, ac suadentur pariter ut in communibus suis bonis et veris maneant, nec falsis se imbui patiantur; communia bona et vera significantur per quod proferrent consilium, facerent judicium, absconderent expulsos, vagum ne revelarent, erunt latibulum expulsis pro vastatore, quae omnia significant externa cultus; sed quia se falsis imbui patiuntur, dicitur, in tribus annis, tanquam annis mercenariis, evilescet laus Moabi in omni multitudine magna, et residuum parum pusillum, non validum. Quia facile seducuntur, vocatur Moabus emissio manus Philistaeorum, et filii Ammonis obedientia eorum, apud Esaiam, „Radix Jischaii, quae stans in signum po„pulorum, illam gentes quaerent, et erit quies Ipsius gloria, „recedet aemulatio Ephraimi, et hostes Jehudae exscindentur, „Ephraim non aemulabitur cum Jehuda, et Jehudah non angu„stabit Ephraimum; et involabunt in humerum Philistaeorum „versus mare, una depraedabuntur filios orientis, Edomum, *Moa„bum emissionem manus eorum*, et *filios Ammonis obedientiam „eorum*," XI: 10. 13. 14: Radix Jischaii pro Domino; Jehuda pro iis qui in coelesti bono, Ephraim pro illis qui in spirituali vero, Philistaei pro illis qui in scientia cognitionum veri, et non in charitate, filii orientis pro iis qui in scientia cognitionum boni etiam non in charitate, quorum emissio manus dicitur Moabus, et obedientia filii Ammonis, quia falsis ab iis imbuuntur. *Quales autem fiunt, qui Moabus et filii Ammonis vocantur, quando bonum eorum falsis prorsus conspurcatum est,* describitur apud Davidem, „Deus locutus in sanctitate sua, Mihi „Gilead, et Mihi Menasche, et Ephraim robur capitis mei, Je„hudah legislator meus, *Moabus pelvis lotionis meae*," Psalm: LX: 8. 9. 10: similiter apud Eundem, Psalm: CVIII: 8. 9. 10; pelvis lotionis pro bono conspurcato falsis: apud Jeremiam, „Non amplius *laus Moabi*, in Chesbone cogitarunt super eum

„malum, ite exscindamus eum de gente: pacatus erat *Moa-*
„*bus* ab adolescentiis suis, et quiescens ille *in fecibus suis*, nec
„evacuatus e vase in vas, et in exilium non abivit; propterea con-
„stitit *gustus ejus in* eo, et *odor ejus* non mutatus. Super omni-
„bus tectis *Moabi*, totus luctus, quia fregi *Moabum* sicut vas, in
„quo non beneplacitum," XLVIII: 2. 11. 38, falsa, quibus con-
spurcatur bonum, quod Moabus, hic vocantur feces, in quibus
consistit gustus et odor, si non reformatur, quod hic est evacuari
e vase in vas; ipsum bonum vocatur vas in quo non benepla-
citum, sicut apud Davidem, pelvis in quo lotio: apud Esaiam,
„Requiescit manus Jehovae in monte hoc, et triturabitur *Moa-*
„*bus* sub eo, sicut conculcatur *palea in sterquilineo*," XXV:
10. [36] *Quod qui in tali bono, solum externa curent, et in-
terna cultus et doctrinae contemnant, rejiciant, imo respuant*,
inde falsa iis pro veris, apud Ezechielem, „Fili hominis, pone
facies tuas ad *filios Ammonis*, et propheta super eos, et dicas
filiis Ammonis, audite verbum Domini Jehovih, sic dixit Domi-
nus Jehovih, propterea quod dicis, euge ad sanctuarium meum
quod prophanatum est, et ad humum Israëlis quia desolata est,
et ad domum Jehudae quia abiverunt in captivitatem, dabo
Rabbam in habitaculum Camelorum, et *filios Ammonis* in cu-
bile gregis. Dixit Dominus Jehovih, quia complosisti manum,
et plausisti pede, et laetata es in omni contemtu tuo in anima,
ad humum Israëlis, idcirco ecce Ego extendam manum meam
super te, et dabo te in praedam gentibus, et exscindam te de
populis, et perdam te de terris," XXV: 2 ad 11; euge ad san-
ctuarium quod prophanatum, ad humum Israëlis quia desolata,
ad domum Jehudae quia abiverunt in captivitatem, complosisti
manum, plausisti pede, et laetata in omni contemtu in anima
ad humum Israëlis, sunt verba contemtus, irrisionis, et reje-
ctionis interiorum cultus et doctrinae quibus rejectis Externa
nihil valent, sed in praedam dantur gentibus, hoc est, occupan-
tur a malis, et exscinduntur de populis, hoc est, a falsis, et
perduntur de terris, hoc est, fiunt nullius Ecclesiae: apud Ze-
phaniam, „Audivi *opprobrium Moabi*, et *blasphemias filiorum*
„*Ammonis*, qui opprobrio affecerunt populum meum, dilata-
„runt super terminum eorum: propterea vivens Ego, quod *Moab*
„sicut Sodoma futura sit, et *filii Ammonis* sicut Amora, locus

„derelictus urticae, et fovea salis, ac desolatio erunt in aeter-„num: hoc illis propter superbiam eorum, quod opprobrio af-„fecerunt, et dilatarunt super populum Jehovae Zebaoth," II: 8. 9. 10; opprobrio afficere populum, et dilatare super terminum eorum, et super populum Jehovae Zebaoth, est vilipendere et rejicere interiora vera, quae sunt populus Jehovae Zebaoth; inde bona fiunt mala falsi, quae sunt Sodoma et locus derelictus urticae, et vera fiunt falsa, quae sunt Amora et fovea salis; ab internis enim habent externa ut sint bona et vera; apud Davidem, „Hostes super populum tuum insidiose cogitant „arcanum, consultant super absconditos tuos, ite, exscindamus „eos de gente, et non memoretur nomen Israëlis amplius, nam „consultant corde una, super te foedus excidunt tentoria Edo-„mi, et Jischmaëlitae, *Moabus*, et Hagraei, Gebal et *Ammon*, „et Amaleck, Philistaea cum habitatoribus Tyri, etiam Aschur „associatur illis, sunt brachium *filiis Lothi*," Psalm: LXXXIII: 3 ad 9; consultare super absconditos, exscindere eos de gente, ut non memoretur nomen Israëlis amplius, est interiora prorsus respuere; tentoria Edomi, Jischmaëlitae, Moabus, Hagraei, Gebal et Ammon, sunt ii qui in cultus et doctrinae externis, Philistaea cum Tyro sunt quae de internis loquuntur sed in iis non sunt, Aschur qui brachium filiis Loth, est ratiocinatio qua pugnant pro externis et impugnant interna: apud Mosen, „Non „accipiet vir uxorem patris sui, et non violabit alam patris sui, „non veniet contritus contritione, aut contusus teste, in con-„gregationem Jehovae; non veniet *Moabita* et *Ammonita* in „congregationem Jehovae, etiam Generatio decima non veniet „illi in congregationem Jehovae in aeternum," Deut: XXIII: 1 ad 8; inde quid Moabus et Ammon, in fine dierum, seu cum prorsus falsis imbuti sunt, patet, nempe illi apud quos adulteratur bonum et falsificatur verum, per id quod contemnant, rejiciant, et tandem respuant omnia interiora, quare etiam hic nominantur post foeda adulteria, quae sunt accipere uxorem patris, violare alam patris, paene sicut de filiabus Lothi, a quibus Moabus et Ammon, memoratur; tum post contritos contritione, et contusos teste, per quos significantur qui respuunt quicquid est amoris et charitatis; congregatio Jehovae est coelum, in quod venire nequeunt, quia non iis reliquiae, quae

solum ab interioribus bonis et interioribus veris sunt, quae per decimam generationem significantur, n: 576. 1788. 2280. Illi etiam erant inter gentes, qui sacrificabant filios et filias Molecho, per quae in sensu interno significatur, quod exstinxerint vera et bona, Deus enim Moabi fuit Kemosch, et deus filiorum Ammonis Molech et Milchom, 1 Reg: XI: 7. 33. 2 Reg: XXIII: 13, quibus sacrificarunt, 2 Reg: III: 27 [37], quod per filios et filias significentur vera et bona, videatur n: 489 490. 491. 533. 1147. Haec nunc sunt Moab et Ammon, sed genera eorum falsi, quibus adulterant bona, et exstinguunt vera, sunt plura, quae recensentur apud Jeremiam, sed per mera nomina haec nempe, „Judicium venit ad terram planitiei, ad *Cholonem*, et „ad *Jahzam*, et ad *Mephaatam*. Et super *Dibonem*, et super „*Nebonem*, et super *Bethdiblathaim*. Et super *Kiriathaim*, et „super *Bethgamul*, et super *Bethmeon*. Et super *Kirioth*, et „super *Bozram*, et super omnes urbes *terrae Moabi*, longin„quas et propinquas. Excisum est cornu *Moabi*, et brachium „ejus confractum est. *Inebriate* eum, quia super Jehovam se „magnificavit; et complodat *Moabus* in vomitu suo," XLVIII: 21 ad 26: haec genera falsi sunt, quae concurrunt in illis, qui Moabus et Ammon vocantur; quaenam autem sunt, et qualia, constare potest a significatione singulorum nominum in sensu interno; quod Nomina in Verbo nihil aliud significent quam res, pluries ostensum est.

De Memoria remanente hominis post mortem, et reminiscentia eorum, quae egerat in vita corporis.

2469. *Vix adhuc alicui notum est, quod unicuique homini sint binae Memoriae, una Exterior, altera Interior; et quod Exterior sit propria ejus Corporis, at Interior propria ejus Spiritus.*

2470. *Homo dum vivit in corpore, vix scire potest, quod Memoriam Interiorem habeat, quia tunc Memoria interior paene unum agit cum Memoria ejus exteriore; ideae enim cogitationis, quae sunt Memoriae interioris, influunt in res quae*

in Memoria exteriore, sicut in sua vasa, ac ibi conjunguntur: se habet hoc similiter, ac cum Angeli et Spiritus loquuntur cum homine, tunc ideae eorum, per quas inter se loquuntur, influunt in voces linguae hominis, et cum iis se conjungunt ita, ut non sciant aliter quam quod ipsi loquantur vernacula homini propria, cum tamen ideae sunt illorum, et voces, in quas influunt, sunt hominis: de qua re cum Spiritibus aliquoties loquutus sum.

2471. *Sunt hae binae Memoriae prorsus inter se distinctae; ad Memoriam Exteriorem, quae hominis propria est cum vivit in mundo, pertinent omnes voces linguarum, tum objecta sensualium externorum, ut et scientifica quae mundi sunt: ad Memoriam Interiorem pertinent ideae loquelae Spirituum, quae sunt visus interioris, et omnia rationalia, ex quorum ideis ipsa cogitatio existit. Quod haec distincta inter se sint, homo non novit, tam quia non reflectit super id, quam quia in corporeis est, et tunc abducere ab his mentem non ita potest.*

2472. *Inde est, quod homines, dum vivunt in corpore, non inter se loqui possint, quam per linguas in sonos articulatos, hoc est, in voces, discretas, et se mutuo intelligere nequeant, nisi linguas istas calleant, ex causa, quia hoc fit ex Memoria exteriore: at quod Spiritus inter se loquantur per Linguam universalem, in ideas, quales sunt ipsius cogitationis, distinctam, et sic quod conversari possint cum unoquovis spiritu, cujuscunque linguae et nationis in mundo fuerat, ex causa, quia hoc fit ex Memoria interiore: in hanc Linguam venit unusquisque homo, statim post mortem, quia in hanc Memoriam, quae, ut dictum, est propria ejus spiritus; videantur n:* 1637. 1639. 1757. 1876.

2473. *Memoria interior, prae Exteriore, immensum excellit, et se habet sicut aliquot myriades ad unum, aut sicut lucidum ad tenebrosum; myriades enim idearum Memoriae interioris influunt in unum Memoriae exterioris, et ibi sistunt aliquod commune obscurum, inde omnes facultates Spirituum, et magis Angelorum, in perfectiori statu sunt, nempe tam eorum sensationes, quam cogitationes, et perceptiones. Qualis excellentia sit Memoriae interioris prae Exteriore, constare potest ab exemplis; aliquis homo, qui quoad ejus quale ex*

plurium annorum conversatione, notus est, amicus vel inimicus, dum homo ejus recordatur, sistitur illud quod tunc cogitat de illo, ut unum obscurum, et hoc quia ex Memoria exteriore; at cum idem homo factus spiritus, ejus recordatur, sistitur illud, quod tunc cogitat de illo, quoad omnes ideas, quas usquam cepit de illo, et hoc quia ex Memoria interiore: similiter se habet cum unaquavis re, ipsa res, de qua plura novit, se sistit in Memoria exteriore, ut unum quoddam commune; at in Memoria interiore quoad singula, quorum ideam usquam de illa re sibi comparavit, et hoc in forma mirabili.

2474. *Quaecunque homo audit et videt, et quibus afficitur, haec quoad ideas et fines insinuantur, homine nesciente, in Memoriam ejus interiorem, et in illa remanent, sic ut non pereat quicquam; tametsi eadem obliterantur in Memoria Exteriore: talis itaque est Memoria interior, ut ei inscripta sint singula, imo singularissima, quae usquam homo cogitavit, loquutus est, et egit, imo quae ei sicut umbra apparuerunt, cum minutissimis, a prima infantia ad ultimum senectae. Omnium horum memoriam secum habet homo cum venit in alteram vitam, et in omnem illorum recordationem successive perducitur; hic est* Liber *ejus* Vitae, *qui aperitur in altera vita, secundum quem judicatur; hoc vix homo credere potest, sed usque est verissimum; omnes fines, qui ei in obscuro fuerunt, et omnia cogitata, tum omnia loquuta et facta inde, ad omnium minimum apicem, in Libro illo, hoc est, in Memoria interiore sunt, et patent, quoties Dominus concedit, coram Angelis sticu in clara die: hoc mihi aliquoties ostensum est, et tam multis experientiis testatum, ut ne minimum dubii relictum sit.*

2475. *Nulli adhuc notum est, quis status animarum post mortem quoad Memoriam, ex multa et diuturna nunc per plures annos experientia, scire datum est, quod homo post mortem ne hilum amittat ab illis, quae in ejus Memoriis, tam quae in Exteriore, quam quae in Interiore, fuerunt, adeo ut nusquam tam pusillum aut tam minimum cogitari possit, quod non homo secum habeat; sic ut nihil prorsus post mortem relinquat, quam solum Ossa et Carnem, quae, dum vixit in mundo, non animata fuerunt a se, sed a vita spiritus ejus, quae purior ejus substantia annexa corporeis fuit.*

2476. *Sed ita se habet cum Memoria ejus Exteriore, quod omnia et singula ejus secum habeat, sed illa ei tunc uti non licet, verum modo interiore: causae sunt plures; Prima est, quae dicta, quod ex Memoria interiore in altera vita loqui et conversari possit cum omnibus in universo: Secunda, quod haec Memoria propria sit spiritus, et adaequata ejus statui, in quo tunc est; nam Exteriora, nempe scientifica, mundana, et corporea, adaequata sunt homini, et correspondent ejus statui, cum est in mundo et corpore; at vero Interiora, nempe rationalia, spiritualia et coelestia, adaequata sunt et correspondent spiritui.*

2477. *Quondam audivi Spiritus inter se loquentes de eo, quod quicquid pro principio arripitur, qualecunque sit, possit innumeris confirmari, et tandem apud eum, qui se confirmavit, usque ut appareat prorsus sicut verum, tametsi falsum sit, et quod de falso potius quam de vero possint persuaderi; ut de eo convincerentur, proponebatur illis hoc ut inter se cogitarent et loquerentur, num conducat Spiritibus uti Memoria Exteriore: (Spiritus inter se de talibus loquuntur multo excellentius, quam homo credere, imo capere potest, sed quisque secundum suam affectionem:) Spiritus, qui pro corporeis et mundanis erant, confirmabant hoc multis, ex his causis, quod sic nihil amisissent, quin post mortem aeque forent homines ac fuerunt ante; quod sic potuissent iterum per hominem venire in mundum; quod in Memoria Exteriore sit jucundum vitae; quodque in nulla alia facultate et dote sit intelligentia et sapientia; praeter plura alia, quibus se confirmabant in principio suo, usque ut hoc appareret illis ut verum. Sed alii tunc ex principio opposito cogitarunt et loquuti sunt, scientes quod verum, quia ex ordine Divino, dicebant, si liceret Spiritibus uti Memoria Exteriore, quod tunc in simili imperfectione forent, in qua prius cum fuerunt homines; quod sic in crassis et obscuris ideis, prae illis qui sunt in Memoria Interiore; et sic non modo stultescerent magis et magis, sed etiam descenderent non ascenderent, ita nec viverent in aeternum; immergere enim se iterum mundanis et corporeis, foret se iterum dare in statum mortis; tum si spiritibus uti liceret Memoria Exteriore, quod humanum genus periret, unusquis-*

que enim homo regitur a Domino per spiritus et angelos, si Spiritus ex Memoria exteriore influerent in hominem, non potuisset homo ex sua memoria, sed ex spiritus, cogitare, ita homo non suae vitae et sui juris fieret amplius, sed foret obsessus; obsessiones olim non aliud fuisse; praeter plura.

2478. *Ut scirem, quomodo se haberet, quod homo ex sua memoria non possit cogitare, si spiritus influerent ex Memoria exteriore, bis et ter permissum erat ut hoc fieret; et tunc non aliter scivi, quam quod id meum esset, quod non erat meum sed spiritus, et quod cogitavissem illa prius quae non cogitavi; et hoc non potui appercipere, priusquam recesserunt.*

2479. *Quidam recens Spiritus, indignatus, quod non meminisset plurium, quae in vita corporis novit, dolens ob jucundum quod amisit, quo maxime delectatus fuerat; sed dictum ei, quod prorsus nihil amiserit, et quod sciat omnia et singula, sed quod in altera vita non liceat ei talia depromere; et quod satis sit, quod nunc possit multo melius et perfectius cogitare et loqui, nec rationale suum immergere, ut prius, densis obscuris, materialibus et corporeis, quae nullius usus sunt in Regno in quod nunc venit, et quod illa quae in Regno mundi fuerunt, relicta sint, et nunc habeat quicquid ad usum vitae aeternae conducat, et quod sic non aliter possit beatus et felix fieri: ita quod ignorantiae sit credere, quod in altera vita cum non usurpatione Memoriae corporeae intelligentia pereat, cum tamen ita se habet, quod quantum abduci potest mens a sensualibus et corporeis, tantum elevetur ad spiritualia et coelestia.*

2480. *Quia homines post mortem in Memoria interiore, quae eorum rationalis fuit, sunt, inde est, quod qui Linguas prae aliis calluerunt in mundo, ne quidem unam voculam earum possint depromere; qui in Scientiis prae aliis, non quicquam ex scientificis, et quod hi quandoque stupidiores sint aliis: sed quicquid imbuerunt per linguas, et quicquid per scientias, hoc quia Rationale eorum formavit, in usum producunt; rationale inde comparatum, est ex quo cogitant et loquuntur; qui falsa per linguas et scientias hausit, et in iis se confirmavit, non nisi ex falsis ratiocinatur, qui autem ve-*

ra, ille ex veris loquitur; ipsa affectio est quae vitam dat, affectio mali quae vitam falsis, et affectio boni quae vitam veris, ex affectione unusquisque cogitat, et absque affectione nullus.

2481. *Quod homines post mortem, hoc est, spiritus, ne hilum amiserint ex illis, quae sunt Memoriae eorum Exterioris seu Corporeae, sed quod omnia ejus, seu quod omnem, secum habeant, tametsi ex illa particularia vitae suae producere non licet, ex multa experientia mihi nosse datum est: ut constare potest a sequentibus; bini, quos novi in vita corporis eorum, convenerant, qui inter se inimici, audivi unum describentem alterius genium cum multis circumstantiis, tum qualem opinionem de eo habuerat, recitans integram epistolam, quam ad eum scripsit, et plura in serie, quae particularia et memoriae exterioris erant, quae alter agnovit, et ad quae conticuit.*

2482. *Audivi quendam increpantem alterum, quod pecunias suas reservaverit, et quod noluerit reddere, et hoc cum circumstantiis, quae erant Memoriae exterioris, usque ad pudorem alterius; audivi etiam alterum respondentem, ac causas recensentem, cur id fecerit, quae omnia particularia mundana erant.*

2483. *Quaedam in statum missa, in quo fuit dum in mundo cum molita facinus, et tunc singula cogitationum, et singula colloquii cum alia, sicut in claram diem, prodibant. Quaedam ex Sirenum turba, quia sustinuit negare, quod talis fuerat in vita corporis, in statum memoriae corporeae missa est, et tunc adulteria et flagitia ejus, quae vix alicui nota fuerunt dum vixit, aperiebantur, et recitabantur in serie, paene ad centena, ubinam fuerat, cum quibus adulterata, quid tunc molita, et haec omnia ita ad vivum sicut in aperta die, ita convicta: talia producuntur, cum quis se exculpare vult quod talis fuerit, et quidem ad vivum cum singulis circumstantiis.*

2485. *Quidam apud me fuit, quem in vita corporis ejus non cognovi, cum quaererem, num sciret undenam esset, hoc nesciebat, sed per interiorem visum ducebatur a me per urbes ubi fueram, et tandem per urbem, unde ille, et tunc per pla-*

taas et fora, quae omnia cognovit, et tandem in plateam, ubi ille habitavit, sique novissem domos, quomodo sitae, potuissem etiam scivisse domum.

2486. *Quod homines omnia et singula Memoriae corporeae secum habeant, constare mihi saepissime etiam potuit ex illis, quos notos habui in vita corporis eorum, quod, cum loquutus cum iis, recognoverint omnia et singula, quae me praesente fecerant, quaeque loquuti sunt, et quae tunc cogitaverunt. Ex his, et pluribus aliis experientiis, pro certo scire datum est, quod homo omnia Memoriae exterioris seu corporeae secum in alteram vitam ferat.*

2487. *Instructus sum, quod Memoria Exterior in se spectata, non sit nisi quoddam organicum formatum ex objectis sensuum, cumprimis visus et auditus, in substantiis quae sunt principia fibrarum, et quod secundum impressiones ab illis fiant variationes formae, quae reproducuntur, et quod formae illae varientur et mutentur secundum mutationes status affectionum et persuasionum. Tum quod Memoria Interior sit similiter organicum, sed purius et perfectius, formatum ex objectis visus interioris, quae objecta in certas series ordine incomprehensibili disposita sunt.*

2488. *Autumavi, antequam per vivas experientias instructus fui, ego sicut alii, quod nusquam aliquis Spiritus posset scire, quae in memoria mea, et quae in cogitatione, sed quod illa solum penes me essent, et abscondita; sed asseverare possum, quod Spiritus, qui apud hominem, minima ejus memoriae et cogitationum sciant et animadvertant, et hoc multo clarius quam ipse homo; et quod Angeli ipsos fines, quomodo se flectunt a bono in malum, et a malo in bonum, et multo plura quam homo novit, prout illa quae immersit jucundis, et sic quasi naturae et indoli, quod cum fit, non amplius apparent, quia supra ea non amplius reflectit. Ne itaque credat homo amplius, quod cogitationes ejus sint occultae, et quod non cogitationum rationem redditurus, et factorum quantum et quale cogitationum in illis fuerunt; facta enim a cogitationibus habent suum quale, et cogitationes a finibus.*

2489. *Quae sunt Memoriae Interioris, se manifestant in altera vita per sphaeram quandam, ex qua ad distantiam co-*

gnoscuntur Spiritus, quales sunt, qua nempe affectione, et qua persuasione; illa sphaera existit ex activitate rerum in Memoria interiore; de Sphaeris istis videatur n: **1048. 1053. 1316. 1504**, *seq.*

2490. *Cum Memoria Interiore ita se habet, quod non solum in illa retineantur omnia et singula, quae usquam homo ab infantia vidit et audivit, ac quae cogitavit, loquutus est, et egit, sed etiam illa quae in altera vita videt et audit, ac quae cogitat, loquitur, et agit; sed fit cum differentia: qui in persuasione falsi et cupiditate mali sunt, hauriunt et retinent omnia quae illis conveniunt, intrant enim sicut aquae in spongias, caetera quidem etiam alluunt, sed retinentur tam leviter, ut vix sciant quod aliquid: at qui in fide veri et affectione boni sunt, retinent omnia quae vera et bona sunt, et inde continue perficiuntur; inde est, quod instrui possint, et instruantur in altera vita.*

2491. *Sunt Spiritus, de quorum natali solo, ex Divina Domini Misericordia, alibi dicendum, qui referunt Memoriam interiorem, hi per cohortes circumvagantur, et modis mirificis eliciunt, quicquid alii sciunt, et quicquid audiunt, cum suis communicant.*

2492. *Quales sunt Memoriae, quandoque in altera vita sistitur videndum, in formis ibi solum apparentibus, (ad visum ibi plura sistuntur, quae alioquin apud homines solum cadunt in ideas:) Memoria exterior sistitur ita ad apparentiam instar Calli, Interior instar Substantiae medullosae qualis in Cerebro humano; inde quoque scire datur, quales sunt. Qui in vita corporis soli memoriae studuerunt, et sic rationale suum non excoluerunt, callositas eorum apparet dura, ac intus striata. Qui impleverunt memoriam falsitatibus, apparet capillacea et hirsuta, et hoc ex congerie inordinata rerum. Qui memoriae studuerunt amoris sui et mundi causa, apparet conglutinata et indurata. Qui per scientifica, imprimis per philosophica, in arcana Divina penetrare voluerunt, nec prius credere quam cum per illa persuaderentur, apud eos apparet illa tenebricosa, quae talis naturae est, ut radios lucis absorbeat, et in tenebras vertat. Qui dolosi, et hypocritae fuerunt, apud eos apparet illa sicut ossea et ebena, quae reflectit ra-*

dios lucis. Qui autem in bono amoris et vero fidei fuerunt, apud eos talis callus non apparet, quia Memoria eorum interior lucis radios transmittit [38] *in Exteriorem, in cujus objectis seu ideis, sicut in sua basi aut sicut in sua humo, radii terminantur, et ibi delitiosa receptacula inveniunt; nam Memoria exterior est ultimum ordinis, in quo spiritualia et coelestia molliter terminantur et resident, quando ibi bona et vera.*

2493. *Loquutus cum Angelis de Memoria praeteritorum, et inde anxietate futurorum, et instructus sum, quod quo interiores et perfectiores Angeli sunt, eo minus praeterita curent, et de futuris cogitent, et quod inde etiam felicitas eorum; dicendo, quod Dominus iis quovis momento det quid cogitent, et hoc cum beato et felici, et quod sic absque curis et sollicitis sint, tum quod hoc in sensu interno intellectum sit, per quod Mannam* Quotidie *acceperint e coelo; et per* Quotidianum *panis in Oratione Domini; tum quod non solliciti erunt quid edant et bibant, et quibus vestiantur: at tametsi praeterita non curant, et de futuris non solliciti sunt, quod usque perfectissimam reminiscentiam praeteritorum, et intuitionem futurorum, habeant, quia in omni eorum praesenti, inest tam praeteritum quam futurum; ita habent Memoriam perfectiorem, quam usquam cogitari et exprimi potest.*

2494. *Homines cum vivunt in mundo, qui in amore in Dominum, et in charitate erga proximum sunt, apud se, et in se, habent intelligentiam et sapientiam angelicam, sed reconditam in intimis eorum memoriae interioris; quae intelligentia et sapientia eis nusquam apparere potest, priusquam corporea exuunt, tunc memoria particularium, de qua dictum, sopitur, et evigilantur in Memoriam interiorem, et successive dein in ipsam Angelicam.*

FINIS.



PARS SECUNDA.

LIBRI GENESEOS

CAPUT VIGESIMUM.

2495 Quod in Verbo Sensus Internus sit, qui non apparet in litera, prius multis in locis dictum et ostensum est, et qualis est, patet ex illis quae a Primo Capite Geneseos huc usque explicata sunt: verumtamen, quia pauci illi hodie, qui credunt Verbo, usque non sciunt, quod talis sensus sit, licet adhuc idem confirmare: Dominus Consummationem saeculi, hoc est, ultimum tempus Ecclesiae, ita describit, „*Statim post afflictionem dierum istorum Sol obscurabitur, et Luna non dabit lumen suum, et Stellae cadent de coelo, et virtutes coelorum commovebuntur,*" Matth: XXIV: 29. Marc: XIII: 24; quod Sol hic non significet Solem, non Luna Lunam, nec Stellae stellas, sed quod Sol amorem in Dominum, et charitatem erga proximum, Luna amoris et charitatis fidem, et Stellae cognitiones boni et veri, ostensum est, n: 31. 32. 1053. 1521. 1529. 1530. 1531. 2120. 2441; ita per illa Domini verba significatur, quod in consummatione saeculi, seu in ultimo tempore, nullus amplius amor, et nulla charitas, proinde nulla fides, erit: quod ille sensus sit, patet a similibus Domini verbis apud Prophetas, ut apud Esaiam, „Ecce dies Jehovae venit, ad ponendum terram in solitudinem, et peccatores ejus „perdet ex ea; nam *Stellae coelorum*, et Sidera eorum non

„lucebunt luce sua; *obtenebrabitur Sol* in ortu suo, et *Luna* „*non splendere faciet lucem*," XIII: 9. 10; ubi etiam de ultimo tempore Ecclesiae, seu quod idem, de Consummatione saeculi, agitur: apud Joëlem, „Dies tenebrarum et caliginis, „dies nubis et obscuritatis, coram Ipso commota est terra, contremuerunt coeli, *Sol* et *Luna*, atrati sunt, et *Stellae* collegerunt splendorem suum," II: 2. 10, similiter: alibi apud Eundem, „*Sol* vertetur in tenebras, et *Luna* in sanguinem, „antequam venit dies Jehovae magnus et terribilis," III: 4: adhuc apud Eundem, „Propinquus dies Jehovae, *Sol* et *Luna* „atrati sunt: et *Stellae* retraxerunt splendorem," IV: 14. 15: apud Ezechielem, „Obtegam, cum exstinxero te, coelos, et „atrabo *Stellas* eorum, *Solem* nube obtegam, et *Luna non lucere faciet lumen suum*, omnia *Luminaria lucis* in coelis „atrabo, et dabo tenebras super terra tua," XXXII: 7. 8. Pariter apud Johannem, „Vidi, cum aperuit sigillum sextum, „cum ecce terrae motus magnus factus, et *Sol* factus niger sicut saccus pilosus, et *Luna* tota facta sicut sanguis, et *Stellae* „*ceciderunt in terram*," Apoc: VI: 12. 13: apud Eundem, „Quartus Angelus clanxit, ita ut percussa sit tertia pars *Solis*, „et tertia pars *Lunae*, et tertia pars *Stellarum*, et obtenebraretur tertia pars eorum," Apoc: VIII: 12: ex his locis constare potest, quod Domini verba apud Evangelistas, simile involvant ac Domini verba apud Prophetas, quod nempe ultimis temporibus nulla charitas, seu fides erit; et quod ille sit sensus internus; ut quoque patet adhuc apud Esaiam, „Erubescet „*Luna*, et pudefiet *Sol*, quia regnabit Jehovah Zebaoth in „monte Sionis, et in Hierosolyma," XXIV: 23; hoc est, quod erubescet fides, quae est luna, et pudefiet Charitas, quae est sol, quia talis; de luna et sole non dici potest quod erubescent et pudefient: et apud Danielem, „Hircus cornu crevit versus „meridiem, et versus ortum, et crevit usque ad *Exercitum* „*coelorum*, et dejecit in terram de Exercitu, et de *Stellis*, et „conculcavit eas," VIII. 9, 10, ubi quod Exercitus coelorum non significet Exercitum, nec stellae stellas, cuivis patet.

CAPUT XX.

1. Et profectus est inde Abraham versus terram meridiei, et habitavit inter Kadesh et inter Schur, et peregrinatus est in Gerar.

2. Et dixit Abraham ad Sarah uxorem suam, soror mea haec; et misit Abimelech rex Geraris, et accepit Saram.

3. Et venit Deus ad Abimelech in somnio noctu, et dixit ei, ecce tu morieris propter mulierem, quam accepisti, et illa maritata marito.

4. Et Abimelech non appropinquaverat ad illam, et dixit, Domine, num gentem etiam justam occides.

5. Nonne ille dixit mihi, soror mea haec, et ipsa etiam illa dixit, frater meus ille; in rectitudine cordis mei, et in immunitate manuum mearum, feci hoc.

6. Et dixit ad eum Deus in somnio, etiam Ego novi, quod in rectitudine cordis tui feceris hoc, et prohibui etiam Ego te a peccando Mihi, propterea non dedi tibi ad attingendum ad illam.

7. Et nunc reduc uxorem viri, quia propheta ille, et orabit pro te, et vives; et si non tu reducas, scito, quod moriendo moriaris tu, et omnis qui tibi.

8. Et mane surrexit Abimelech in matutino, et vocavit omnes servos suos, et loquutus est omnia verba illa in auribus eorum, et timuerunt viri valde.

9. Et vocavit Abimelech Abrahamum, et dixit illi, quid fecisti nobis, et quid peccavi tibi, quod adduxisti super me, et super regnum meum, peccatum grande; facta, quae non fiunt, fecisti mecum.

10. Et dixit Abimelech ad Abrahamum, quid vidisti quod feceris verbum hoc.

11. Et dixit Abraham, quia dixi, veruntamen nullus timor Dei in loco hoc, et occident me propter verbum uxoris meae.

12. Et etiam vere soror mea, filia patris mei illa, veruntamen non filia matris meae, et facta mihi in uxorem.

13. Et factum, quando fecerunt discedere me Deus e do-

mo patris mei, et dixi illi, haec bonitas tua, quam facias mecum, ad omnem locum quo venerimus, dic mihi, frater meus ille.

14. Et accepit Abimelech gregem et armentum, et servos et ancillas, et dedit Abrahamo, et restituit illi Saram uxorem ejus.

15. Et dixit Abimelech, ecce terra mea coram te, in bono in oculis tuis habita.

16. Et Sarae dixit, ecce dedi mille argenti fratri tuo, ecce illud tibi velamen oculorum omnibus qui tecum, et cum omnibus, et vindicata.

17. Et oravit Abraham ad Deum, et sanavit Deus Abimelechum, et uxorem ejus, et ancillas ejus, et pepererunt.

18. Quia claudendo clausit Jehovah propterea omnem uterum domus Abimelechi, propter verbum Sarae, uxoris Abrahami.

CONTENTA.

2496. In Capite Duodecimo supra, actum est de Peregrinatione Abrahami in Aegypto, per quam significata fuit instructio Domini in scientificis, quando adhuc puer: hic nunc agitur de Peregrinatione Abrahami in Gerar, ubi Abimelech, per quam significatur similiter instructio Domini, verum in doctrinalibus charitatis et fidei. Agitur hic imprimis de Doctrina Charitatis et Fidei, ex qua origine, quod nempe sit Spiritualis ex origine coelesti, non autem ex rationali.

2497. Agitur de statu Domini, in quo fuit, cum se primum instrueret in doctrinalibus charitatis et fidei; ipse status significatur per Kadesh et Schur; Doctrina fidei per Abimelechum regem Geraris, Vers: 1. 2. Quod primum cogitaverit de rationali, quod consuleretur, Vers: 2. Quod usque non consultum fuerit, Vers: 3. 4. 8. 9. Causae, quod sic cogitaverit, Vers: 5 6. 10. 11. 12. 13. Quod Doctrina charitatis et fidei sit spiritualis ex origine coelesti, Vers: 7. Quod sic instructus; et inserviverint Ipsi tunc omnia rationalia, ut et scientifica, instar velaminis seu amictus, Vers: 14. 15. 16. Et sic Doctrina perfecta, Vers: 17. Quod secus factum, si ex rationali, Vers: 18.

SENSUS INTERNUS.

2498. Quod haec Historica, sicut omnia reliqua quae sunt Verbi, arcana Divina involvant, constare potest ex eo, quod Abraham nunc iterum dixerit Uxorem suam esse Sororem, nam simile factum fuit, cum venit in Aegyptum, dixit enim tunc ad Saram, „*Dic quaeso Soror mea tu,*" Gen: XII: 13: nec solum Abraham, sed etiam Isacus cum venit Gerarem, dixit etiam ille, quod Rebecca uxor ejus esset soror, „*Quaesiverunt viri loci de uxore ejus, et dixit Soror mea est,*" Gen: XXVI: 6. 7: in quibus Capitibus etiam plura similia occurrunt; sic ut ter talia Historica relata sint; quod absque arcana causa in sensu interno, nusquam factum fuisset.

2499. Vers: 1. *Et profectus est inde Abraham versus terram meridiei, et habitavit inter Kadesh et inter Schur, et peregrinatus est in Gerar.* Profectus est inde Abraham versus terram meridiei, significat progressionem Domini in bonis et veris fidei; Abraham, est Dominus in illo statu: et habitavit inter Kadesh et inter Schur, significat statum Ipsius in specie; Kadesh est affectio veri interioris procedentis a rationalibus; Schur est affectio veri exterioris procedentis a scientificis: et peregrinatus est in Gerar, significat instructionem inde in spiritualibus fidei.

2500. Profectus est inde Abraham versus terram meridiei, quod significet progressionem Domini in bonis et veris fidei, constat a significatione Proficisci, quod sit progredi, de qua n: 1457; et a significatione terrae meridiei, quod sit bonum et verum fidei, de qua n: 1458. Prius in Capite Duodecimo dictum est de Abrahamo, quod profectus eundo et proficiscendo versus meridiem, cum in Aegyptum, ibi Vers: 9. 10, quibus significatum in sensu interno, quod Dominus, cum puer, progressus in bona et vera quoad scientiam cognitionum, n: 1456. 1459; hic nunc quod profectus versus terram meridiei, quibus significatur ulterior et interior progressio, quae est in bona et vera quoad doctrinam fidei, quare hic dicitur terra meridiei, quia terra in suo proprio sensu significat Ecclesiam, pro qua doctrina, n: 566. 662. 1066. [1] 2117. 2118. Quod instructionem Domini in genere attinet, qualis fuerit, ex hoc Capite, in

sensu interno, elucet, nempe quod fuerit per continuas revelationes, et sic per Divinas perceptiones et cogitationes ab Ipso, hoc est, a Divino Ipsius, quas implantavit Divinae intelligentiae et sapientiae, et hoc usque ad perfectam unionem Ipsius Humani cum Ipsius Divino; haec via sapiendi nusquam dabilis est apud aliquem hominem, nam influxit ab Ipso Divino, quod erat intimum Ipsius, quia Patris, a quo conceptus: ita ab ipso Divino Amore, qui Soli Domino fuit, qui fuit quod universum Genus humanum salvare vellet: est arcanum, quod vix adhuc alicui notum est, quod in ipso amore insit sapientia et intelligentia, sed qualis amor talis est; quod in amore insit sapientia et intelligentia, inde est, quia omnis influxus fit in amorem, seu quod idem, in bonum, ita in ipsam vitam hominis; inde est sapientia et intelligentia Angelorum, quae ineffabilis; inde etiam sapientia et intelligentia hominum, qui in amore in Dominum, et charitate erga proximum; hi tametsi eam apud se non appercipiunt, dum vivunt in corpore, usque in illam post obitum veniunt, ex causa, quia illa in ipso amore, et in ipsa charitate, inest, videatur n: 2494. Quod autem Amorem Domini attinet, ille fuit infinite supra amorem, in quo sunt Angeli, fuit enim ipse Divinus, quare in se habuit supereminens omnis sapientiae et intelligentiae, in quod tamen, quia natus homo, et progressurus sicut homo secundum ordinem Divinum, successive se induxit, ut Humanum suum ita uniret Divino, et faceret Divinum, et hoc propria potentia.

2501. Quod Abraham sit Dominus in illo statu, constat ex repraesentatione Abrahami, quod sit Dominus, hic Dominus in illo statu, ut quoque prius, n: 1893. 1965. 1989. 2011. 2172. 2198.

2502. Et habitavit inter Kadesh et inter Schur, quod significet statum Ipsius in specie, constat a significatione habitare, quod sit vivere, de qua n: 1293; quod praecedit, hoc etiam indicat, nempe quod profectus inde Abraham versus terram meridiei, quo significatur progressio Domini in bona et vera fidei, et nunc dicitur, quod habitaverit inter Kadesh et inter Schur, per quod non aliud significari sequitur, quam status Domini in specie, qui describitur per Kadesh et Schur, de quibus nunc.

2503. Quod Kadesh sit affectio veri interioris procedentis a rationalibus, et Schur affectio veri exterioris procedentis a scientificis, constare potest a significatione Kadesh et Schur, quod Kadesh significet verum de quo contenditur, n: 1678 ostensum est, ita contentionem de vero, ex qua origine, num ex rationali, ut patet a sequentibus; sed quia apud Dominum omne verum fuit ex origine coelesti, hinc Kadesh significat affectionem veri. Sunt apud unumquemvis hominem Ecclesiae, vera rationalia, et vera scientifica; vera rationalia sunt interiora, vera autem scientifica sunt exteriora; haec inter se distincta sunt, prorsus sicut binae memoriae hominis, de quibus n: 2469 ad 2473 seq: inde sequitur, quod affectiones veri etiam sint binae, una interior quae est rationalium, altera exterior quae est scientificorum; affectio veri interioris procedentis a rationalibus hic significatur per Kadesh; at affectio veri exterioris procedentis a scientificis per Schur; quod Schur illud verum significet, videatur n: 1928. Quod Nomina in Verbo nusquam aliud significent quam res, prius n: 1224. 1264. 1876. 1888, et multoties alibi, demonstratum est.

2504. Et peregrinatus est in Gerar, quod significet instructionem inde in spiritualibus fidei, constat a significatione Peregrinari, quod sit instrui, de qua n: 1463. 2025; et a significatione Geraris, quod sit spirituale fidei: Gerar nominatur aliquibus in locis in Genesi, ut Cap: X: 19. Cap: XXVI: 1. 6. 17. 20. 26, ac in illis significat fidem, et hoc ex causa, quia Gerar erat in Philistaea, et per Philistaeam significatur scientia cognitionum fidei, videatur n: 1197. 1198; et Gerar erat, ubi ipse Rex Philistaeorum habitabat, inde est quod per Geraren significetur ipsa fides, n: 1209; perque Regem Geraris ipsum verum fidei, nam Rex in sensu interno est Verum, n: 1672. 2015. 2069; ita per Abimelechem, Doctrina fidei, de quo in sequentibus. Sunt in genere intellectualia fidei, sunt Rationalia fidei, et sunt Scientifica fidei; ordine sibi ita ab interioribus ad exteriora procedunt; quae fidei intima sunt, vocantur Intellectualia; quae ex illis aut inde procedunt, sunt fidei Rationalia; quae ex his iterum, sunt fidei Scientifica; se habent illa, ut cum Eruditis loquendum, sicut prius ad posterius, aut quod idem, sicut superius ad inferius, hoc est, sicut inte-

rius ad exterius: apparet quidem homini, sicut scientificum fidei sit primum, et ex illo dein existat rationale, et demum intellectuale, et hoc ex causa, quia homo ita a pueritia procedit, sed usque intellectuale continue influit in rationale, et hoc in scientificum, quod homo nescit; sed in pueritia obscure, in adultiore aetate evidentius, et tandem cum regeneratus est homo luculenter, apud hunc apparet quod talis ordo sit, et adhuc plenius in altera vita; videatur n: 1495: haec omnia vocantur Spiritualia, quae distinguuntur ita in gradus, et ordine tali succedunt; Spiritualia fidei sunt omnia vera, quae ex bono, hoc est, ex origine coelesti; quicquid est ex coelesti derivatum, est spirituale fidei.

2505. Vers: 2. *Et dixit Abraham ad Sarah uxorem suam, soror mea haec; et misit Abimelech rex Geraris, et accepit Saram.* Dixit Abraham, significat cogitationem Domini: ad Sarah uxorem, significat verum spirituale conjunctum coelesti: soror mea haec, significat verum rationale: et misit Abimelech rex Geraris, significat doctrinam fidei; Abimelech est doctrina fidei spectans rationalia: et accepit Saram, significat affectionem consulendi rationale.

2506. Dixit Abraham, quod significet cogitationem, constat ex significatione dicere in historicis, quod sit percipere, tum quoque cogitare, de qua, n: 1898. 1919. 2061. 2080. 2238. 2260. 2271. 2287. [2]

2507. Ad Sarah uxorem, quod significet verum spirituale conjunctum coelesti, constat a significatione Sarae uxoris, quod sit Verum intellectuale conjunctum Divino Bono, seu quod idem, Verum spirituale conjunctum coelesti, de qua n: 1468. 1901. 2063. 2065. 2172. 2173. 2198. Quid Spirituale, et quid Coeleste, prius saepius dictum est, videatur n: 1155. 1577. 1824. 2048. [3] 2088; illud Coeleste vocatur, quod est boni, hoc est, quod est amoris in Dominum, et charitatis erga proximum; et Spirituale, quod est Veri, hoc est, quod est fidei inde.

2508. Soror mea haec, quod significet verum rationale, constat ex significatione Sororis, quod sit verum intellectuale rationale, de qua n: 1495. Quod Verum rationale sit Soror, non aliunde constare potest, quam ex Conjugio coelesti; quae

enim inde descendunt, proximitates inter se habent, sicut consanguinitates et affinitates in terra, de quibus videatur n: 685. 917, et hoc cum varietate indefinita; ipsum Conjugium coeleste est solum inter Divinum Bonum et Divinum Verum; inde apud hominem concipitur intellectuale, rationale, et scientificum, nam absque conceptione ex Conjugio coelesti nusquam homo potest intellectu, nec ratione, nec scientia imbui, proinde non potest esse homo; quantum itaque ex Conjugio coelesti ducit, tantum est homo: in Ipso Domino est Conjugium Coeleste, ita ut Dominus sit ipsum illud Conjugium, est enim Ille ipsum Divinum Bonum et simul Divinum Verum; Angeli et Homines in Conjugio coelesti sunt, quantum in amore in Dominum, et in Charitate erga proximum, et quantum inde in fide, hoc est, quantum in Bono Domini ac inde in vero, et tunc dicuntur filiae et filii, ac inter se sorores et fratres, sed hoc cum differentia. Quod Verum rationale dicatur soror, est causa quia concipitur ab influxu Divini Boni in affectionem verorum rationalium, bonum quod inde in rationali vocatur frater, et verum quod inde, soror; sed hoc melius constabit ex illis, quae in Vers: 12 hujus Capitis ab Abrahamo dicuntur, „Et etiam vere soror mea, filia patris mei illa, veruntamen „non filia matris meae, et facta mihi in uxorem."

2509. Et misit Abimelech rex Geraris, quod significet doctrinam fidei, constat ex illis, quae supra n: 2504, dicta sunt, nempe quod per Philistaeam significetur scientia cognitionum fidei, n: 1197. 1198; per Gerarem, quae erat in Philistaea, Fides, n: 1209. 2504; per regem, ipsum verum fidei, n: 1672. 2015. 2069, inde per Abimelechum significatur doctrina fidei, sed doctrina fidei spectans rationalia, ut patebit ab illis quae nunc sequuntur.

2510. Quod Abimelech, sit doctrina fidei spectans rationalia, constare potest ex eo, quod spectaverit ad Saram, non ut Abrahami uxorem, sed ut sororem, et per Saram ut sororem significatur verum rationale, n: 2508; idem quoque a sequentibus patet, nam agitur ibi de doctrina fidei, num originem trahat a rationali, vel num ex coelesti; inde Abimelech significat doctrinam fidei spectantem rationalia. Doctrina dicitur spectare rationalia, cum nihil aliud verum doctrinae agnos-

citur, quam quod ratione capi potest, sic ut intuitio omnium, quae sunt doctrinae, sit ex rationali; at quod doctrina fidei non sit ex rationali, sed ex origine coelesti, in sequentibus, in sensu interno, docetur.

2511. Et accepit Saram, significat affectionem consulendi rationale, constat ex significatione Sarae ut sororis, quod sit verum rationale, de qua n: 2508, tum ex accipere illam, quod sit affectionis erga illam, ita in sensu interno, affectionis consulendi rationale. Quae in hoc Versu continentur, involvunt primam cogitationem Domini de Doctrina fidei, num conduceret consulere rationale, vel non; quod prima talis cogitatio esset, causa est, quia Dominus secundum omnem ordinem Divinum progressus est, et quicquid fuit humanum, in quod natus, et quod traxit a matre, hoc exuere debuit, ut indueret Divinum; ita etiam hoc humanum, num in doctrinalibus fidei consuleretur rationale.

2512. Vers: 3. *Et venit Deus ad Abimelech in somnio noctu, et dixit ei, ecce tu morieris propter mulierem, quam accepisti, et illa maritata marito.* Venit Deus ad Abimelech, significat perceptionem Domini de doctrina fidei: in somnio noctu, significat obscuram: et dixit ei, significat inde cogitationem: ecce tu morieris propter mulierem, significat quod doctrina fidei nulla foret, si quoad illa quae ibi, consuleretur rationale: et illa maritata marito, significat quod doctrina verae fidei sit, et quae ibi, conjuncta coelesti.

2513. Venit Deus ad Abimelech, quod significet perceptionem Domini de doctrina fidei, constat a significatione venire Deus, et a significatione Abimelechi; quod venire Deus, significet percipere, patet, nam perceptio non aliud est quam adventus seu influxus Divinus in facultatem intellectualem: quod Abimelech significet doctrinam fidei, supra n: 2504. 2509. 2510, ostensum.

2514. In somnio noctu, quod significet obscuram, nempe perceptionem, constare potest a significatione somnii, et simul noctis; somnium, cum agitur de perceptione, significat obscurum quid respective ad vigiliam, et magis cum dicitur somnium noctu: quod obscura dicatur perceptio prima Domini, causa est, quia in humano quod exueret, et cujus umbras discuteret;

perceptivum Domini, tametsi ex Divino, usque fuit in humano, quod tale est, ut ipsam lucem non statim recipiat, sed successive sicut discutiuntur umbrae, quae ibi; quod se redegerit in minus obscurum quoad doctrinam fidei, significatur per quod iterum venerit Deus ad Abimelechum in somnio, ubi non memoratur nox, Vers: 6; et quod dein in claram perceptionem, significatur per quod mane surrexit Abimelech in matutino, Vers: 8.

2515. Et dixit ei, quod significet inde cogitationem, nempe ex perceptione, constat a significatione dicere, quod sit percipere, tum cogitare, de qua supra n: 2506. Quia hic dicitur, quod cogitatio fuerit inde, paucis licet dicere, quomodo se habet cum cogitatione: sunt cogitationes ex perceptione, cogitationes ex conscientia, et cogitationes ex nulla conscientia; *Cogitationes ex perceptione* dantur solum apud coelestes, hoc est, apud illos qui in amore in Dominum sunt, estque intima quae datur apud hominem, et est apud Angelos coelestes in coelo; perceptio ex Domino est, per quam, et ex qua eorum cogitatio; contra perceptionem cogitare est impossibile. *Cogitationes ex conscientia* sunt inferiores, et dantur apud spirituales, hoc est, apud eos qui in bono charitatis et fidei sunt quoad vitam et quoad doctrinam; contra conscientiam cogitare iis quoque est impossibile, nam hoc foret contra bonum et verum, quod iis a Domino dictatur per conscientiam. *Cogitationes* autem *ex nulla conscientia* sunt apud illos, qui se intus non regi patiuntur a bono et vero, sed a malo et falso, hoc est, non a Domino, sed a semet: hi credunt, quod cogitent tantum intra se, quantum ii qui ex conscientia et perceptione, ex causa quia non sciunt quid conscientia, minus perceptio, sed tanta est differentia, quanta inter infernum et coelum; qui absque conscientia cogitant, ex quibusvis cupiditatibus et phantasiis cogitant, ita ab inferno; dum vero aliter, est ex decoro externo propter famam; qui vero a conscientia cogitant, ex affectionibus boni et veri cogitant, ita a coelo. Quod autem Domini cogitationem attinet, ea transcendit omnem intellectum humanum, fuit enim immediate ex Divino.

2516. Quod ecce tu morieris propter mulierem, significet quod doctrina fidei nulla foret, si quoad illa quae ibi, consule-

retur rationale, constat ex significatione Abimelechi, qui hic est tu, quod sit doctrina fidei; ex significatione mori, quod sit nullum fieri; et a significatione sororis, quae hic vocatur mulier, quod sit rationale, de qua n: 2508; exhinc nunc, quod Abimelech moreretur propter mulierem, significatur quod doctrina fidei nulla fieret, si consuleretur rationale. Quod nulla doctrina fidei ex rationali, causa est, quia rationale est in apparentiis boni et veri, quae apparentiae non sunt vera in se, ut ostensum prius n: 2053. 2196. 2203. 2209; [4] praeterea rationale sub se habet fallacias, quae sunt ex sensualibus externis confirmatis per scientifica, quae umbram inducunt istis veri apparentiis, est rationale quoad maximam partem mere humanum, ut quoque ex ejus nativitate constare potest; inde nunc est, quod ex illo nullum doctrinale fidei auspicari, minus condi possit; sed erit ex Ipso Divino et Divino Humano Domini, inde ejus origo, et quidem in tantum, ut Dominus sit ipsa Doctrina, quare etiam in Verbo nominatur Verbum, Veritas, Lux, Via, Janua; et quod arcanum, omne Doctrinale est ex Divino Bono et Divino Vero, et habet in se Conjugium coeleste; doctrinale quod id in se non habet, non est doctrinale genuinum fidei; inde est, quod in singulis Verbi, unde doctrina, sit instar conjugii, videatur n: 683. 793. 801. Apparet quidem Doctrina fidei, in sensu literali seu externo Verbi, quod ex rationali multa habeat, imo ex naturali, sed hoc est ex causa, quia Verbum est pro homine, cui sic accommodatum est, sed usque in se est spirituale ex origine coelesti, hoc est, ex Divino Vero conjuncto Divino Bono. Quod doctrina nulla fieret, si quoad illa quae ibi, consuleretur rationale, ab exemplis illustrabitur in sequentibus.

2517. Quod illa maritata marito, significet quod Doctrina verae fidei spiritualis sit, et quae ibi, conjuncta coelesti, constat a significatione maritari marito, maritus cum nominatur in Verbo, significat bonum, et tunc uxor verum, secus dum maritus vocatur vir, tunc vir significat verum, et uxor bonum, videatur n: 915, et alibi; hic ideo maritata marito significat quod verum sit conjunctum bono, ita, ut quoque Verum sit Bonum: constat etiam ex significatione Sarae uxoris, quod sit Verum spirituale, et Abrahami, quod sit Bonum coeleste,

utrumque Divinum, de qua n: 2501. 2507; et quia Sarah significat verum spirituale Divinum, ipsa Doctrina verae fidei etiam per Saram uxorem intelligitur, nam Doctrina est ex veris: inde patet, quod maritata marito, sit quod Doctrina verae fidei spiritualis sit, et quae ibi, conjuncta coelesti.

2518. Vers: 4. *Et Abimelech non appropinquaverat ad illam; et dixit, Domine, num gentem etiam justam occides.* Abimelech non appropinquaverat ad illam, significat quod in doctrina fidei non consultum sit verum rationale ullo modo: et dixit, Domine, num gentem etiam justam occides, significat num bonum et verum doctrinae exstingueretur.

2519. Quod Abimelech non appropinquaverat ad illam, significet quod in doctrina fidei non consultum sit verum rationale ullo modo, constat ex significatione Abimelechi, quod sit doctrina fidei, de qua n: 2504. 2509. 2510; et a significatione appropinquare ad illam, nempe Saram ut sororem, quod sit attingere, seu consulere aliquo modo verum rationale, quod est soror, n: 1495. 2508. Quod rationale non consultum sit ullo modo, causa est, quae prius dicta, quod doctrinalia fidei sint omnia ex Divino, quod infinite supra rationale humanum est; ex Divino accipit rationale suum bonum et suum verum; intrare potest Divinum in rationale, non autem vicissim; sicut anima intrare in corpus potest, et hoc formare, non autem corpus in animam; aut sicut lux potest intrare in umbram, et hanc modificare varie in colores, non autem umbra in lucem: sed quia apparet primum, quasi rationale adesse debeat, quia hoc est ipsum illud quod recipit, hic primum cogitationis fuit, annon etiam simul consuleretur; sed Dominus sibi Ipsi revelavit et respondit, quod sic doctrina nulla fieret; quare nec consultum fuit, quod hic significatur per quod Abimelech non appropinquaverat ad illam.

2520. Et dixit, Domine, num gentem etiam justam occides, quod significet num bonum et verum exstingueretur, constat a significatione gentis, quod sit bonum, de qua n: 1259. 1260. 1416; et quia praedicatur de gente Abimelechi, per quem significatur doctrina fidei, per gentem justam hic intelligitur tam bonum quam verum, utrumque enim est doctrinae. Quod haec dicta sint ex zelo affectionis seu amoris erga univer-

sum genus humanum, patet; amor ille cogitationes Domini, cum adhuc in humano materno fuit, dirigebat; et tametsi percipiebat ex Divino, quod Doctrina fidei non nisi ex origine coelesti sit, usque tamen, ut consuleretur Generi humano, quod non recipit aliquid, cujus non aliquam ideam ex rationali suo habere potest, ideo dictum, num gentem etiam justam occides, quo significatur num bonum et verum doctrinae exstingueretur; quod homo non recipiat aliquid, cujus non aliquam ideam ex rationali suo habere potest, constare potest ab ideis, quas homo fovet de arcanis Divinis, semper iis aliqua idea ex mundanis aut analogis mundanorum adhaeret, per quam retinetur in memoria, et per quam reproducitur in cogitationem, nam homo absque idea ex mundanis nihil usquam cogitare potest; ideo si Vera nude ex Divina origine proponerentur, nusquam reciperentur, sed excederent omnem ejus captum, ita quoque fidem, maxime eorum qui in externo cultu sunt: haec ut illustrentur, sint haec exempla: Ipsum Divinum non potest esse nisi in Divino, ita non nisi quam in Divino Humano Domini, et per hoc apud hominem; rationale si consuleretur, diceret quod Ipsum Divinum possit esse in humano cujusvis. Adhuc, quod non sit aliquod sanctum, quod non procedit a Domino, ita a Divino quod unum; rationale si consuleretur, diceret quod etiam aliunde. Adhuc, quod homo non vivat ex se, non bonum faciat ex se, non verum credat ex se, imo non cogitet ex se, sed bonum et verum ex Domino, malum autem et falsum ab inferno; et quod magis, infernum, hoc est, qui in inferno, nec cogitant a se, sed recipiunt ita bonum et verum Domini; rationale si consuleretur, haec rejiceret quia non caperet. Tum quod nullus remuneretur propter quod faciat bonum, et doceat verum, et quod externum nihil faciat, sed internum, quantum affectionis boni sit in facere bonum, et quantum inde affectionis veri in docere verum, et hoc quantum non ex se: ita in mille aliis. Quia rationale humanum tale est, ideo loquutum est in Verbo secundum hominis captum, etiam secundum genium; ideo est quod alius sit sensus Verbi internus, quam est ejus literalis; quod satis constare potest a Verbo Veteris Testamenti, ubi pleraque dicta sunt secundum captum et genium populi, qui tunc vivebat; idcirco tam pauca, ut vix aliqua, de vita post

mortem, de salute aeterna, deque interno homine; talis enim erat populus Judaicus et Israëliticus, apud quem tunc Ecclesia, ut si illa detegerentur, non solum non intelligerent, sed etiam subsannarent; similiter si iis detectum fuisset, quod Messias seu Christus venturus ad salvandum animas eorum in aeternum, hoc quoque ut nullum rejecissent, sicut etiam ab eadem gente constare potest hodie, coram qua si adhuc nominatur internum, aut spirituale, ac Messias quod non Rex erit maximus in terra, irridetur; haec causa fuit, quod Dominus similiter ac Prophetae passim loquutus sit, et caetera per parabolas, ut Ipse dicit apud Matthaeum, „Jesus dixit, per parabolas loquor illis, quia „videntes non vident, et audientes non audiunt, nec intelli„gunt," XIII: 13; videntes et audientes sunt ii qui intra Ecclesiam, qui tametsi vident et audiunt, usque non intelligunt: et apud Johannem, „Occaecavit eorum oculos, et obturavit „eorum cor, ut non videant oculis suis, et intelligant corde, et „convertant se, et sanem illos," XII: 40; quod se converterent et sanarentur, involvit, quod usque dein rejicerent, et sic prophanarent, quod secum habet damnationem aeternam, videatur n: 301. 302. 303. 582. 1008. 1010. 1059. 1327. 1328. 2051. 2426: sed usque Dominus interiora Verbi multis in locis detexit, at solum pro sapientibus.

2521. Vers: 5. *Nonne ille dixit mihi, soror mea haec; et ipsa etiam illa dixit, frater meus ille; in rectitudine cordis mei, et in immunitate manuum mearum, feci hoc.* Nonne ille dixit mihi, significat exculpationem quod ita cogitaverit: soror mea haec, significat quod rationale esset quod consuleretur: et ipsa etiam illa dixit, frater meus ille, significat quod ipsum rationale ita dictaret, quod bonum coeleste sibi adjunctum foret: in rectitudine cordis mei, significat quod ita cogitatum ex innocentia et simplici bono: et in immunitate manuum mearum feci hoc, significat ex affectione veri, et sic ex omni facultate.

2522. Nonne ille dixit mihi, quod significet exculpationem quod ita cogitaverit, constat a singulis in hoc versu, tum a significatione dicere, quod sit cogitare, de qua n: 2506.

2523. Quod soror mea haec, significet quod rationale esset quod consuleretur, nempe quod ita cogitaverit, constat ex significatione sororis in hoc Capite, quod sit verum rationale,

de qua n: 1495. 2508. In sensu interno Verbi tota vita Domini, qualis futura in mundo, describitur, etiam quoad perceptiones et cogitationes, praevisa enim haec fuerunt et provisa quia a Divino, ob causam etiam, ut illa praesentia sisterentur angelis tunc, qui Verbum secundum sensum internum percipiunt, et sic coram illis Dominus, et simul quomodo exuit successive humanum et induit Divinum; nisi haec per Verbum, tum quoque per omnes ritus in Ecclesia Judaica, sicut praesentia fuissent Angelis, debuisset Dominus in mundum venire statim post lapsum Antiquissimae Ecclesiae, quae homo seu Adam vocatur, propheticum enim tunc statim fuit de adventu Domini, Gen: III: 15; et quod magis, non salvari potuisset Genus humanum quod tunc. Quod ipsam vitam Domini spectat, illa fuit continua progressio Humani ad Divinum, usque ad absolutam unionem, ut pluries prius dictum; ut enim pugnaret cum infernis, et vinceret illa, debuit ex Humano, nam nulla pugna cum infernis est ex Divino, idcirco placuit Ipsi induere humanum sicut alius homo, infans esse sicut alius, adolescere in scientias et in cognitiones, quae repraesentata et significata sunt per peregrinationem Abrahami in Aegypto, Cap: XII, et nunc in Gerare, ita sicut alius homo excolere rationale, et sic umbram ejus discutere, et illud in lucem mittere, et hoc ex propria potentia: quod talis fuerit progressio Domini ab Humano ad Divinum, nulli dubium potest esse, si modo expendat, quod infans fuerit, et didicerit loqui sicut infans, ac sic porro; sed illa erat differentia, quod Ipsum Divinum in Ipso fuit, qui a Jehovah conceptus.

2524. Quod ipsa etiam illa dixit, frater meus ille, significet quod ipsum rationale dictaret quod bonum coeleste sibi adjunctum foret, constare potest a significatione sororis, quae est hic *ipsa illa*, quod sit rationale, n: 1495. 2508; et a significatione fratris, quod sit bonum veri, n: 367. 2508: ita enim se res habet, Divinum Bonum et Divinum Verum sibi unita sunt quasi conjugio, inde enim Conjugium Coeleste, et inde etiam usque ad inferiorem naturam amor conjugialis; at bonum et verum rationalis non conjuncta sunt sibi quasi conjugio, sed consanguinitate quali frater et soror; quia rationale quoad verum concipitur ab influxu Divini Boni in affectionem

scientiarum et cognitionum, videatur n: 1895. 1902. 1910; bonum autem rationalis per influxum Divini Boni in illud verum, quod ibi fit ipsum bonum charitatis, quod est frater fidei, seu quod idem, veri, n: 367. Sed cum bono et vero rationalis ita comparatum est, quod Bonum ejus sit ex Bono Divino, Verum autem non ex Vero Divino, nam Verum rationalis comparatur per scientias et cognitiones, quae insinuantur per sensualia externa et interna, ita per viam externam, inde est quod veris illius adhaereant ex sensualibus plures fallaciae, quae faciunt quod vera non sint vera; sed usque dum Divinum Bonum influit in illa, et concipit illa, tunc apparent sicut vera, et agnoscuntur sicut vera, tametsi non sunt nisi quam apparentiae veri: ipsum bonum tunc in istis veris modificatur secundum umbras ibi, et fit tale bonum, quale est verum; hoc est arcanum unum, quod in his verbis latet, quod rationale ita dictaret quod Bonum coeleste sibi adjunctum foret.

2525. Quod in rectitudine cordis mei, significet quod ita cogitatum ex innocentia et simplici bono, constare potest a significatione rectitudinis, tum cordis: rectitudo in Lingua originali exprimitur per vocem, quae significat etiam integritatem et perfectionem, tum quoque simplicitatem; cor autem significat amorem et charitatem, quae sunt boni, ut notum est; inde est, quod ex rectitudine cordis sit ex innocentia et simplici bono.

2526. Et in immunitate manuum mearum feci hoc, quod significet ex affectione veri, et sic ex omni facultate, constat ex significatione immunitatis, tum manuum; immunitas in Lingua originali exprimitur per vocem, quae etiam significat munditiam et puritatem; manus praedicantur de vero, et significant potentiam, ita facultatem, n: 878. Quod itaque ex rectitudine cordis et immunitate manuum feci hoc, significent quod cogitatum ex innocentia et simplici bono, et ex affectione veri, sic ex omni facultate, inde est, quia ex innocentia bonum est bonum, et ex bono verum est verum, quae cum insunt suo ordine, tunc est omnis facultas; quod haec involvantur illis verbis, patet, nam rectum seu integrum aut perfectum cor, quo significatur bonum, non est nisi innocentia sit in bono, ut dictum, inde fit simplex bonum; ac immunes seu mundae aut purae manus,

quae praedicantur de veris, non sunt nisi bonum sit in veris, ut quoque dictum, hoc est, nisi sit affectio veri; cum ex his, etiam est ex omni facultate seu potentia, quae quoque per manus significatur, n: 878.

2527. Vers: 6. *Et dixit ad eum Deus in somnio, etiam Ego novi, quod in rectitudine cordis tui feceris hoc, et prohibui etiam Ego te a peccando Mihi, propterea non dedi tibi ad attingendum ad illam.* Dixit ad eum Deus in somnio, significat perceptionem minus obscuram: etiam Ego novi quod in rectitudine cordis tui feceris hoc, significat, hic ut prius, quod ita cogitatum ex innocentia et ex simplici bono, ita quod non in culpa: et prohibui etiam Ego te a peccando Mihi, significat quod nihil noxae illatum: propterea non dedi tibi ad attingendum ad illam, significat quod nihil rationale consultum.

2528. Dixit ad eum Deus in somnio, quod significet perceptionem minus obscuram, constat ab illis quae supra n: 2514, dicta et explicata sunt. Quod in hoc Capite dicatur Deus, non autem Jehovah, modo in Versu ultimo, est causa quia agitur de spiritualibus, hoc est, doctrinalibus fidei, tunc enim Deus nominatur, cum autem agitur de coelestibus, seu amore et charitate, tunc nominatur Jehovah, videatur n: 709. 732. 2001.

2529. Etiam Ego novi quod in rectitudine cordis tui feceris hoc, quod significet quod ita cogitatum ex innocentia et ex simplici bono, constat ab illis quae supra n: 2525. 2526, dicta sunt, ubi eadem verba. Quod non etiam dicatur, ut supra, ex immunitate manuum, est ex arcana causa, quia in affectione veri, quae per immunitatem manuum significatur, aliquid humani inesset; Verum enim Domino etiam per humanum nativitatis ejus insinuatum fuit, Bonum autem a solo Divino, ut constare potest ab existentia rationalis quoad bonum et quoad verum, n: 2524.

2530. Quod prohibui etiam Ego te a peccando Mihi, significet quod nihil noxae illatum, nempe quod in Doctrina fidei rationale non sit consultum, ut quoque mox sequitur, constare potest absque explicatione.

2531. Quod propterea non dedi tibi ad attingendum ad illam, significet quod nihil rationale sit consultum, constat a si-

gnificatione dare ad attingendum, quod sit consulere, ut quoque appropinquare ad illam supra Vers: 4, n: 2519; et a significatione Sarae ut sororis, quae hic est *illa*, quod sit rationale, de qua n: 1495. 2508. Ut ulterius sciatur, quomodo se habet cum doctrina fidei, quod illa sit spiritualis ex origine coelesti, sciendum, quod illa sit Verum Divinum ex Bono Divino, ita in totum Divina: quod Divinum est, incomprehensibile est, quia supra omnem intellectum, etiam angelicum; sed usque hoc Divinum, quod in se incomprehensibile, per Divinum Humanum Domini, influere potest in rationale hominis, et dum influit in ejus rationale, ibi recipitur secundum vera quae ibi, ita diversimode et aliter apud unum quam apud alterum; quantum itaque vera, quae apud hominem, sunt magis genuina, tantum etiam perfectius recipitur Divinum quod influit, et tantum illustratur intellectuale hominis: in Verbo Domini, sunt ipsa Vera; at in sensu ejus literali sunt Vera, quae accommodata sunt ad captum eorum qui in externo cultu sunt; at in sensu ejus interno, sunt Vera accommodata iis qui interni homines sunt, qui nempe quoad doctrinam et simul vitam sunt angelici, eorum rationale inde illustratur in tantum, ut illustratio comparetur splendori stellarum et solis, Dan: XII: 3. Matth: XIII: 43; inde patet, quanti interest, ut interiora vera sciantur et recipiantur; haec Vera sciri quidem possunt, sed nusquam recipi, nisi ab illis qui in amore aut in fide in Dominum sunt; Dominus enim sicut est Divinum Bonum, ita est Divinum Verum, proinde est ipsa Doctrina, nam quicquid est in Doctrina verae fidei, Dominum spectant, spectant etiam Regnum coeleste, et Ecclesiam, et quae sunt Regni coelestis et Ecclesiae, sed illa sunt omnia Ipsius, ac sunt fines [5] intermedii, per quos spectatur ultimus, hoc est, Dominus: quod Dominus sit ipsa Doctrina quoad verum et bonum, ita qui solus spectatur in doctrina, Ipse docet apud Johannem, „Jesus dixit, Ego sum Via, Veritas et „Vita," XIV: 6. 7, [5] ubi Via est doctrina, Veritas omne quod est doctrinae, Vita ipsum bonum quod vita est veri; et quod amor aut fides in Ipsum recipiat, apud Johannem, „Proprii „Ipsum non receperunt; quotquot vero receperunt, dedit illis „potestatem, ut filii Dei essent, credentibus in Nomen Ipsius; „qui non ex sanguinibus, neque e voluntate carnis, neque e

voluntate viri, sed ex Deo nati sunt," I: 11. 12. 13, a Deo nati sunt illi qui in amore et inde in fide.

2532. Vers: 7. *Et nunc reduc uxorem viri, quia propheta ille, et orabit pro te, et vives; et si non tu reducas, scito quod moriendo moriaris tu, et omnis qui tibi.* Nunc reduc uxorem viri, significat quod spirituale verum doctrinae immune redderet a rationali: quia propheta ille, significat quod sic doceretur: et orabit pro te, significat quod sic revelabitur: et vives, significat quod sic vita doctrinae: et si non tu reducas, significat, hic ut prius, si non spirituale verum doctrinae immune redderet a rationali: scito quod moriendo moriaris tu, significat quod nulla doctrina veri et boni: et omnis qui tibi, significat omnia, quae ejus, una.

2533. Quod nunc reduc uxorem viri, significet quod spirituale verum doctrinae immune redderet a rationali, constat a significatione uxoris, quod sit spirituale verum, de qua n: 2509. 2510: et a significatione viri, quod sit ipsa doctrina, Abrahamus enim, per quem Dominus in illo statu repraesentatur, cum nominatur Vir, significat coeleste Verum, quod idem est ac Doctrina ex origine coelesti, nam vir in sensu interno est intellectuale, videatur n: 158. 265. 749. 915. 1007. 2517; inde patet, quod reducere uxorem viri, sit spirituale verum doctrinae immune reddere; quod sit a rationali, est quia Abimelechus, qui reduceret, significat doctrinam spectantem rationalia, seu quod idem rationalia doctrinae, n: 2510. Supra dictum, quod tametsi doctrina fidei in se sit Divina, et sic supra omnem captum humanum, etiam angelicum, usque tamen in Verbo secundum captum hominis rationali modo dictata est; hoc se habet sicut parens, qui docet infantes pueros et puellas, is cum docet, exponit omnia et singula secundum genium eorum, tametsi is ex interiori aut altiori cogitat, alioquin foret docere quod non discitur, aut sicut projicere semen in petram: etiam sicut Angeli, qui in altera vita instruunt simplices corde, tametsi Angeli in sapientia coelesti et spirituali sunt, usque tamen non supra captum eorum, quos docent, se elevant, sed loquuntur simpliciter cum illis, at assurgendo per gradus sicut instruuntur; si enim ex Angelica sapientia loquerentur, simplices ne hilum caperent, ita nec ducerentur ad vera et bona

fidei; similiter foret, si Dominus non secundum captum hominis rationali modo in Verbo docuisset; sed usque Verbum est elevatum ad intellectum angelicum in sensu ejus interno; attamen in summa illa elevatione, in qua est coram Angelis, est infinite infra Divinum; inde patet, quale Verbum est in sua origine, ac sic in se, ac ita quod plura ubivis involvat, quam universum coelum quoad parum ejus capax sit comprehendere, tametsi tam leve et tam rude apparet in [6] litera. Quod Dominus sit Verbum, quia ab Ipso Verbum, et ipse in Verbo, constat apud Johannem, „In principio erat Verbum, et Verbum erat „apud Deum, et Deus erat Verbum; in Ipso vita erat, et vita „erat lux hominum: Verbum Caro factum est, et habitavit „in nobis, et vidimus gloriam Ipsius, gloriam sicut Unigeniti „a Patre, plenus gratia et veritate," I: 1. 4. 14: videatur etiam Apoc: XIX: 11. 13. 16: et quia Dominus est Verbum, etiam est Doctrina, nam alia Doctrina, quae est ipsa Divina, non datur.

2534. Quod quia propheta ille, significet quod sic doceretur, constat a significatione Prophetae; propheta in Verbo multoties legitur, et in sensu literae significat illos quibus revelatio, tum abstracte ipsam revelationem, sed in sensu interno significat docentem, tum abstracte ipsam doctrinam; et quia Dominus est, ut dictum, ipsa doctrina, seu Verbum quod docet, Ille Propheta nominatur, sicut etiam apud Mosen, „*Prophetam* e medio tui, e fratribus, sicut me, suscitabit Jehovah Deus tuus, huic obedietis," Deut: XVIII: 15. 18; sicut me, dicitur, quia Dominus per Mosen, aeque ac per Abrahamum, Isacum, Jacobum, Davidem, et plures repraesentatus est; et quia expectaverunt Ipsum, ideo apud Johannem, „Homines videntes, quod fecit signum Jesus, dixerunt, quia hic „est revera *Propheta*, qui venturus est in mundum," VI: 14. Quia Dominus in supremo sensu est Propheta, et testimonium Jesu est spiritus *prophetiae*, Apoc: XIX: 10, inde est, quod Propheta in sensu interno Verbi significet docentem, tum abstracte doctrinam, quod ab his locis manifeste constare potest; apud Lucam, „Tu puer *Propheta Altissimi* vocaberis," I: 76; [7] ita Sacharias de Johanne Baptista filio, qui quod non fuerit Propheta, sed praeparans viam docendo et evangelizando de

adventu Domini, ipse dicit, „Quaesiverunt illum quid es, an „Elias es tu, sed dixit non sum; an *Propheta* es tu, respon„dit non; quare dixerunt illi, quis es, dixit, ego vox clamantis in deserto, rectam facite viam Domini," Joh: I: 21. 22. 23: apud Matthaeum, „Multi dicent in die illo, Domine, Do„mine, nonne per Nomen tuum *Prophetavimus*," VII: 22, ubi quod prophetare sit docere, patet: apud Johannem, „Opor„tet te rursus *Prophetare*, super populos, et gentes, et lin„guas, et reges multos," Apoc: X: 11; prophetare pro docere; quid populi, gentes, linguae, reges, passim dictum et ostensum est: apud Eundem, „Gentes Civitatem sanctam con„culcabunt menses 42, [8] dabo autem duobus testibus meis, ut „*Prophetent* dies 1260, induti saccis," XI: 2. 3; ubi etiam prophetare pro docere; apud Mosen, „Dixit Jehovah ad Mosen, „vide, dedi te deum Pharaoni, et Aharon frater tuus erit *Pro„pheta* tuus," Exod: VII: 1, ubi propheta pro docente aut dicente quod Moses dicturus: apud Joëlem, „Effundam spiri„tum meum super omnem carnem, et *Prophetabunt* filii vestri „et filiae vestrae," III: 1, prophetabunt pro docebunt: apud Esaiam, „Effudit super vos Jehovah spiritum soporis, et oc„clusit oculos vestros, *Prophetas* et capita vestra, *videntes* „obtexit, et facta vobis visio omnium, sicut verba libri obsi„gnati, quem dant scienti literas, dicendo, lege quaeso istum, „et dicet, non possum, quia obsignatus est," XXIX: 10. 11; ubi per prophetas intelliguntur illi, qui verum docent, et videntes qui verum vident, qui obtegi dicuntur, cum nihil veri sciunt, et nihil veri vident; quia prophetae antiquis temporibus dicebantur qui docebant, ideo quoque Videntes dicti, quia Videre significabat intelligere, n: 2150. 2325; quod dicti *Videntes*, videatur 1 Sam: IX: 9. 2 Sam: XXIV: 11; tum quoque *Viri Dei*, ex significatione Viri, n: 158. 265. 749. 915. 1007. 2517, quod dicti Viri Dei, videatur 2 Reg: I: 9 ad 16. Cap: IV: 7. 9. 16. 21. 22. 25. 27. 40. 42. Cap: V: 8. 14. 20. Cap: XIII: 19. Cap: XXIII: 16. 17. [9] Quod per Prophetas in sensu interno significentur docentes, constat apud Jeremiam toto Capite XXIII; et apud Ezechielem toto Capite XIII, ubi de Prophetis in specie agitur, tum etiam multis in locis alibi, ubi nominantur: inde etiam per Pseudopro-

phetas significantur illi qui falsa docent, ut apud Matthaeum, „In consummatione saeculi, multi *Pseudoprophetae* exsurgent, „et seducent multos, surgent falsi Christi, et *falsi Prophetae*, „et dabunt signa magna, et in errorem inducent, si possibile, „etiam electos," XXIV: 11. 24, ubi per Pseudoprophetas et falsos prophetas non alii significantur; similiter per *Pseudoprophetam* in Apoc: XVI: 13. Cap: XIX: 20. Cap: XX: 10. Quantum obscuratur sensus internus Verbi ab ideis, quae captae sunt ex repraesentativis Ecclesiae Judaicae, inde quoque constare potest, quod quoties memoratur Propheta in Verbo, illico obveniat idea prophetarum, quales fuerunt illo tempore, quae idea multum obstat, ut appercipiatur quid per illos significatur; at quo quis sapientior est, eo facilius idea ex repraesentativis illis capta removetur; ut pro exemplo, ubi Templum memoratur, qui sapientius cogitant, non percipiunt templum quod Hierosolymae, sed Templum Domini; ubi mons Sionis vel Sion, non illud quod fuit Hierosolymae, sed Regnum Domini; et ubi Hierosolyma, non illam quae fuit in tribu Benjaminis et Jehudae, sed Hierosolymam sanctam et coelestem.

2535. Quod orabit pro te, significet quod sic revelabitur, constat a significatione Orare: Oratio in se spectata est loquutio cum Deo, et tunc aliqua intuitio interna eorum quae sunt orationis, cui correspondet quoddam simile influxus in perceptionem seu cogitationem ejus mentis, sic ut sit quaedam aperitio internorum hominis versus Deum; sed hoc cum differentia secundum statum hominis, et secundum rei essentiam, quae est orationis; si ex amore et fide, et modo coelestia et spiritualia sunt, de quibus et pro quibus oratur, tunc in oratione existit aliquid instar revelationis, quod manifestatur in orantis affectione quoad spem, solatium, aut internum quoddam gaudium; inde est, quod orare in sensu interno significet revelari; hic adhuc magis, quia dicitur de propheta, et per Prophetam intelligitur Dominus, cujus Oratio non aliud fuit quam loquela interna cum Divino, et simul tunc revelatio; quod revelatio, patet apud Lucam, „Factum est, cum Jesus baptizaretur, et „*Oraret*, quod aperiretur coelum," III: 21: apud Eundem, „Factum est, cum Jesus assumens Petrum, Jacobum, et Jo-„hannem, ascendit in montem ad *Orandum;* cum Ipse *Ora-*

„ret, facta est species faciei Ipsius alia, et vestimentum Ipsius „album fulgurans," IX: 28. 29: apud Johannem, „cum oraret dicendo," „Pater glorifica tuum Nomen; exiit tunc vox „e coelo, et glorificavi, et rursus glorificabo," XII: 27. 28; ubi quod Oratio Domini fuerit loquela cum Divino, ac tunc revelatio, patet.

2536. Et vives, quod significet quod sic vita doctrinae, constare potest absque explicatione.

2537. Et si non tu reducas, quod si non spirituale verum immune redderet a rationali, constat ex illis quae mox supra n: 2533, dicta sunt, ubi eadem verba.

2538. Scito quod moriendo moriaris, quod significet quod nulla doctrina veri et boni, etiam constare potest ab illis quae supra n: 2516 dicta sunt, ubi quoque similia verba: pariter, quod omnis qui tibi, significet omnia quae ejus, nempe doctrinae, una; quod omnis significet omne seu omnia in sensu interno, inde est, quia personae in Verbo significant res, ita omnis qui Abimelecho, omne seu omnia quae doctrinae. Ex his nunc patet, quis sensus internus est verborum, quae in hoc Versu, nempe quod spirituale verum doctrinae immune redderet a rationali, et quod ita doceretur, ac Ipsi revelabitur, et sic vita doctrinae; at si non spirituale verum immune redderet a rationali, quod doctrina veri et boni nulla foret quoad omnia et singula ejus: Se habet ita cum Doctrina, quantum humani, hoc est, quantum sensualis, scientifici, et rationalis est, ex quibus creditur quod ita sit, tantum est nulla doctrina; at quantum sensuale, scientificum, et rationale removetur, hoc est, absque illis creditur, tantum vivit doctrina, nam tantum influit Divinum; sunt humani propria quae impediunt influxum et receptionem: sed aliud est credere ex rationali, scientifico et sensuali, seu consulere illa ut credatur; et aliud est confirmare et corroborare illud quod creditur, per rationalia, scientifica, et sensualia; quae differentia sit, patebit in sequentibus, de illis enim in sensu interno in hoc Capite, etiam agitur.

2539. Vers: 8. *Et mane surrexit Abimelech in matutino, et vocavit omnes servos suos, et loquutus est omnia verba illa in auribus eorum, et timuerunt viri valde.* Mane surrexit Abimelech in matutino, significat perceptionem claram, et con-

firmationis lucem ex coelesti bono: et vocavit omnes servos suos, significat rationalia et scientifica: et loquutus est omnia verba illa in auribus eorum, significat exhortationem ad confirmantia inde, usque ut obedirent: et timuerunt viri valde, significat quod etiam usque ut aversarentur.

2540. Mane surrexit Abimelech in matutino, quod significet perceptionem claram, et confirmationis lucem ex coelesti bono, constat a significatione mane surgere; tum Abimelechi, ut et matutini; quid mane significat, ostensum est n: 2333. 2405, hic quod perceptionem claram patet inde, tum a serie, quod perceptio primum fuerit obscura, n: 2513. 2514; ac dein quod minus obscura, n: 2528: quid Abimelech, quod significet doctrinam fidei spectantem rationalia, videatur supra n: 2509. 2510: et quid matutinum, patet a significatione mane; hic quia dicitur, surrexit mane in matutino, non modo significat perceptionem claram, sed etiam confirmationis lucem a coelesti bono; est enim coeleste bonum ex quo lux veri confirmans; inde nunc constare potest, quod illa significentur. Quod tantum in sensu interno agitur de Perceptione quae Domino cum in Humano fuit, ac de cogitatione de rationali in doctrina fidei, est causa quae supra quoque dicta, tum quod Angelicum sit distincte varia cogitare de vita Domini in mundo, et quomodo exuerit rationale humanum, et id Divinum ex propria potentia fecerit; ac simul de doctrina charitatis et fidei qualis est cum rationale se immiscet, praeter plura quae interiora Ecclesiae et hominis sunt, et inde dependent; haec homini, cui curae et cordi mundana et corporea, apparent sicut levia, et fortassis sicut ad nihilum ei conducentia, at eadem haec Angelis, quibus curae et cordi coelestia et spiritualia, sunt pretiosa; eorum ideae et perceptiones de his ineffabiles sunt: inde patet, quod plurima, quae levia sunt homini, quia captum ejus transcendunt, sint aestimatissima Angelis, quia intrant in lucem eorum sapientiae; et vicissim, quae aestimatissima homini, quia mundana ac ita intrant in captum ejus, levia sint Angelis, egrediuntur enim e luce sapientiae eorum: sensus internus Verbi se habet respective ita multis in locis.

2541. Et vocavit servos suos, quod significet rationalia et scientifica, constat ex significatione Servorum in Verbo, de

qua in sequentibus ad Vers: 14, n: 2567. Sunt in homine, qui in Regno Domini, seu qui Regnum Domini est, coelestia, spiritualia, rationalia, scientifica, et sensualia, haec inter se subordinata sunt; coelestia et spiritualia primas tenent, ac Domini sunt, rationalia illis subordinata sunt et inserviunt, scientifica his iterum subordinata sunt et serviunt, sensualia demum his seu scientificis; quae inserviunt seu serviunt sunt respective servi, et vocantur in Verbo servi; quod talis subordinatio sit, homo qui ex sensualibus et scientificis solum cogitat, ignorat, et qui aliquid de iis scit, usque obscurissimam ideam habet, quia in corporeis adhuc est, Angeli autem distinctissimam, millia enim imo myriades idearum distinctarum apud Angelos non nisi quam unam obscuram apud homines sistunt, ut pro exemplo de his, quod Abimelechus vocavit servos suos, et loquutus est omnia verba in auribus eorum, et quod timuerint viri valde, percipiunt Angeli arcaniora, quam usquam homo capit, imo quam credere potest, nempe quomodo Dominus redegerit rationalia et scientifica ad obedientiam, et quidem ita, quod non ipsa rationalia et scientifica, sed affectiones assurgentes adversus doctrinae coelestia et spiritualia, nam his subjugatis rationalia et scientifica ad obedientiam redacta sunt; et simul tunc in ordinem: haec sunt Angelis inter communissima, quae fortassis homini sunt inter ejus obscurissima, aut non intelligibilia.

2542. Et loquutus est omnia verba illa in auribus eorum, quod significet adhortationem ad confirmantia inde, usque ut obedirent, constare potest a serie rerum in sensu interno, tum a significatione aurium; ex serie rerum, sunt plura confirmantia, quae accedunt ad quodcunque quod rationale agnoscit, aliunde enim non agnoscit quam ex confirmantibus, inde est cum rationalia ad obedientiam rediguntur, ad confirmantia fit exhortatio, ea enim semper usque instant et quasi exsurgunt: ex significatione aurium, aures in sensu interno Verbi significant obedientiam, ex causa etiam correspondentiae, quae est inter audire et obedire, quae quoque correspondentia latet in ipsa voce Audire, et magis in Auscultare, cujus correspondentiae origo est ex altera vita, ubi qui obedientes sunt et obtemperantes, ad Auris provinciam pertinent, imo ipsi Auditui correspon-

dent, quod est arcanum nondum notum: sed haec melius patebunt, ubi de Correspondentia, ex Divina Domini Misericordia, in sequentibus agetur: quod Aures illa significent, ex pluribus locis in Verbo constare potest, pro tempore licet modo afferre, quod apud Esaiam, „Impingua cor populi hujus, et „*Aures* ejus aggrava, et oculos ejus obline, ne forte videat „oculis suis, et *auribus suis audiat*, et cor ejus intelligat," VI: 10, ibi videre oculis est intelligere, et audire auribus, est percipere affectione, proinde obedire: ac ubi Dominus dicit, „Qui „habet *aurem ad audiendum*, *audiat*," Matth: XI: 15. Cap: XIII: 9 43. Luc: VIII: 8. Cap: XIV: 35, non aliud significatur.

2643. Quod timuerunt viri valde, significet quod usque ut aversarentur, constat ex significatione timere hic, et a significatione virorum: timere seu timor plura in se, sicut omnis affectus, involvit, tametsi apparet simplex, nempe jacturam vitae, famae, honoris, lucri in mundanis; at jacturam boni et veri, et inde vitae, in coelestibus; et quia haec, etiam involvit aversationem pro illis quae destruere ea conantur, et hoc quo magis homo in affectione boni et veri est; ipsi affectioni opposita est aversatio, quare hic per timere significatur aversari; quanta aversatio fuerit Domino, constat ex zelo, in quo dicta sunt illa quae in Versu nunc sequente, qui zelus fuit pro Doctrina ut incontaminata esset ab omni rationali et scientifico: quod Viri significent rationalia et scientifica, seu intellectualia quaecunque, n: 158. 265. 749. 915. 1007, ostensum est.

2644. Vers: 9. *Et vocavit Abimelech Abrahamum, et dixit illi, quid fecisti nobis, et quid peccavi tibi, quod adduxisti super me et super regnum meum peccatum grande; facta quae non fient fecisti mecum.* Vocavit Abimelech Abrahamum et dixit illi, significat cogitationem Domini ex doctrina fidei: quid fecisti nobis, et quid peccavi tibi, significat redarguitionem sui quod sic cogitaverit: quod adduxisti super me et super regnum meum peccatum grande, significat quod sic doctrina fidei et omnia doctrinalia in discrimine essent: facta quae non fient fecisti mecum, significat horrorem.

2645. Vocavit Abimelech Abrahamum et dixit illi, quod significet cogitationem Domini ex Doctrina fidei, constare pot-

est ex repraesentatione Abimelechi, tum Abrahami, et a significatione dicere, de quibus aliquoties prius. Quid sit cogitare ex doctrina fidei, non potest ad captum exponi, nam perceptio ejus rei non cadere potest quam in ideas angelicas, quibus id sistitur in tanta luce cum repraesentativis coelestibus, ut vix aliquid describi possit; ut constare potest, si diceretur, quod Cogitatio fuerit ex intellectuali vero, quod supra rationale quod inde spectavit; sed quod perceptio, ex qua cogitavit, fuerit ex Divino Vero.

2546. Quid fecisti nobis, et quid peccavi tibi, quod significet redarguitionem sui quod sic cogitaverit, constare potest ex affectu et zelo in his verbis, de quo mox prius n: 2543, propter id quod rationale et scientificum vellet exsurgere et intrare, et sic aliquid commune habere in doctrina fidei, quae est Divina.

2547. Quod adduxisti super me et super regnum meum peccatum grande, quod significet quod sic doctrina fidei et omnia doctrinalia in discrimine essent, constat a significatione Abimelechi, qui hic est *me*, quod sit doctrina fidei, et ex significatione regni, quod sit verum doctrinae seu doctrinale. Quod Regnum in sensu interno significet vera doctrinae, et in sensu opposito falsa doctrinae, constat a Verbo, ut apud Jeremiam, „Formator omnium ille, et sceptrum haereditatis Ipsius, Jehovah Zebaoth nomen Ipsius; malleus Tu Mihi, arma belli, et dispergam in Te *gentes*, et perdam in Te *Regna*," LI: 19. 20; ubi de Domino, qui quod non dispersurus gentes, nec perditurus regna, constat, sed quod illa quae per gentes et regna significantur, nempe mala et falsa quae sunt doctrinae: apud Ezechielem, „Ecce accepturus filios Israëlis ab inter gentes quo abiverunt, et congregabo eos e circuitu, et adducam eos in terram suam, faciam eos in *Gentem* unam in terra, in montibus Israëlis, et Rex unus erit omnibus illis in Regem, et non erunt amplius in duas *Gentes*, et non dividentur amplius in duo *Regna*," XXXVII: 21. 22; Israël pro Ecclesia spirituali, Gens pro bono istius Ecclesiae seu doctrinae, quod gentes sint bona, videatur n: 1259. 1260. 1416. 1849; Regnum pro veris illius; quod per gentes et regna ibi aliud quam gentes et regna significetur, patet, nam dicitur de filiis Israëlis

seu Israëlitis, quod congregandi et adducendi super terram, qui tamen dispersi inter gentes abiverunt in gentes: apud Esaiam, „Confundam Aegyptum cum Aegypto, et pugnabunt vir contra „fratrem suum, et vir contra socium suum, *urbs* contra *ur-„bem*, *Regnum* contra *Regnum*," XIX: 2, ubi Aegyptus pro ratiociniis ex scientificis de veris fidei, n: 1164. 1165. 1186; urbs pro doctrinali, hic haeretico, n: 402. 2268. 2450, Regnum pro falso doctrinalis, inde urbs contra urbem, et regnum contra regnum, pro quod haereses et falsa inter se pugnatura; similiter ac per haec quae Dominus de Consummatione saeculi loquutus, apud Matthaeum, „Excitabitur *Gens* contra *Gen-„tem*, et *Regnum* contra *Regnum*, XXIV: 7: pro quod mala contra mala, et falsa contra falsa. Quae Daniel prophetavit de quatuor Regnis, Cap: II: 37 ad 46, Cap: VII: 17 ad f: et de Regnis Mediae et Persiae, Cap: VIII: 20 ad f: de Regnis Regis meridei et regis septentrionis, Cap: XI: et quae Johannes in Apocalypsi etiam de Regibus et Regnis, nihil aliud significant, et per Regna ibi modo status Ecclesiae quoad vera et falsa intelliguntur; status monarchici et regnorum terrae in sensu literae, sunt status Ecclesiae et Regni Domini in sensu interno, in quo sensu nihil nisi quam spiritualia et coelestia sunt, Verbum enim Domini in se spectatum non est nisi spirituale et coeleste, sed ut legatur et capiatur ab homine quocunque, illa quae coeli sunt per talia quae in terra, traduntur.

2648. Facta quae non fient fecisti mihi, quod significet horrorem, constat ex affectu in his verbis, tum a serie, quod nempe aversatus n: 2648; tum quod ex zelo redarguerit, n: 2546; hic nunc quod horruerit.

2649. Vers: 10. 11. *Et dixit Abimelech ad Abrahamum, quid vidisti, quod feceris verbum hoc. Et dixit Abraham, quia dixi, verumtamen nullus timor Dei in loco hoc, et occident me propter verbum uxoris meae.* Dixit Abimelech ad Abrahamum, significat ulteriorem cogitationem ex doctrina fidei: quid vidisti quod feceris verbum hoc, significat intuitionem in causam: dixit Abraham, significat perceptionem quae responsum: quia dixi, verumtamen nullus timor Dei in loco hoc, significat cogitationem inde, quod nullum respectum haberent veri spiritualis in eo statu in quo sunt: et occident me

propter verbum uxoris meae, significat quod sic coelestia fidei quoque perirent si cogitarent quod solum spirituale verum conjungi potuisset coelesti bono.

2550. Dixit Abimelech ad Abrahamum, quod significet ulteriorem cogitationem ex doctrina fidei, constat ex illis supra n: 2545, ubi paene eadem verba; hic quia iterum dictum est, significat ulteriorem cogitationem, et quidem de causa: quid cogitatio ex doctrina fidei, videatur etiam ibi.

2551. Quid vidisti quod feceris verbum hoc, quod significet intuitionem in causam, patet absque explicatione, tum ab iis quae sequuntur, ubi causa dicitur. Quod ita ordine in sensu interno sistatur, quomodo Dominus perceperit et cogitaverit de doctrina fidei, et de rationali num consuleretur, causa est, quia angelicum est de illis in tali serie cogitare, Verbi sensus internus est imprimis pro Angelis, ita eorum perceptionibus et cogitationibus adaptatus; in suis delectabilibus, imo beatis et felicibus sunt, cum de Domino, Ipsius Divino et Humano, et de hoc quomodo Divinum factum, cogitant, nam circumfunduntur sphaera coelesti et spirituali, quae plena est Domino, ita ut dici queat quod sint in Domino, inde nihil beatius et felicius est illis, quam secundum illa quae sphaerae sunt et affectionis inde, cogitare; simul etiam tunc instruuntur et perficiuntur, in eo imprimis, quomodo Dominus per gradus, sicut adolevit, humanum, in quod natus, Divinum ex propria potentia fecerit, ita quomodo per scientias et cognitiones, quas Sibi Ipsi revelavit, rationale suum perfecit, umbras ejus successive discussit, et illud in Divinam lucem immisit: haec et innumerabilia alia, sistuntur coram Angelis coelesti et spirituali modo cum mille et mille repraesentativis in luce vitae, cum Verbum legitur. Sed haec, quae Angelis tam pretiosa, sunt hominibus sicut levia, quia supra captum, ita in umbra eorum intellectus; et vicissim, quae sunt hominibus pretiosa, ut sunt illa in quibus mundana, sunt Angelis levia, quia infra statum, ita in umbra eorum sapientiae; ita, quod mirum, quae veniunt in umbram hominis, et paene in ejus contemtum, illa transeunt in lucem Angelorum, et in affectionem, ut sunt plura quae sensus interni Verbi sunt.

2552. Dixit Abraham, quod significet perceptionem quae

responsum, constat ex significatione dicere in historicis Verbi, de qua multoties prius, ut n: 1791. 1815. 1819. 1822. 1898. 1919. 2061. 2080. 2238. 2260. 2271. 2287. Quod cogitatio Domini ex doctrina fidei, significetur per quod dixit Abimelech ad Abrahamum, at perceptio quae responsum, per quod dixit Abrahamus, ita se habet, Perceptio est superius et fuit Domino ex ipso Divino, sed Cogitatio est inferius, et fuit Domino ex ipso intellectuali; et quia perceptio erat ex qua cogitatio, ita responsum cogitationis erat ex perceptione; hoc illustrari potest per aliquod instar apud hominem, homo coelestis non potest cogitare nisi ex perceptione, et homo spiritualis non nisi ex conscientia, n: 2515; perceptio illius sicut conscientia est ex Domino, et non ipsi apparet unde est, sed cogitatio ejus est ex rationali et apparet ei sicut ex se; ita quoque cum cogitat de aliqua re ex rationali, tunc conclusio cogitationis seu responsum venit ex perceptione seu ex conscientia; proinde respondetur ei a Domino secundum statum ejus vitae, affectionem, et doctrinae verum conformiter implantatum seu impressum.

2553. Quia dixi, verumtamen nullus timor Dei in loco hoc, quod significet cogitationem inde, quod nullum respectum haberent veri spiritualis in eo statu in quo sunt, constat ex significatione timoris Dei, quod sit respectus Veri Divini seu spiritualis; et a significatione loci, quod sit status, de qua n: 1273. 1274. 1275. 1377. Ipsa res ita se habet; homo non capere potest aliquod doctrinale pure spirituale et coeleste, hoc est, Divinum, quia transcendit infinite captum ejus, ita quoque fidem; omnes cogitationes hominis terminantur in naturalibus quae sunt ejus sensualium, quicquid non ex his et secundum haec dicitur, hoc non comprehenditur, sed perit, sicut visus interminatus, in quodam oceano aut universo; quare si doctrinalia coram homine exponerentur aliter, prorsus non reciperentur, ita nullus respectus pro illis haberetur, quod satis constare potest ex singulis in Verbo, ibi ipsa pure Divina ob eandem causam naturaliter imo sensualiter exponuntur, ut quod Jehovae sint aures, sint oculi, sint facies, sint affectiones sicut homini, sit ira, et plura: hoc adhuc magis eo tempore cum Dominus venit in mundum, tunc ne quidem sciebant quid coeleste et spirituale, ne quidem quod internum; solum terrestria

inde deprompsit. Quod haec ignorata sint huc usque, est quia non creditum fuit, quod omnia affectionum, perceptionum, et cogitationum, influant, malarum ab inferno, et probarum e coelo, ita quod nexum habeant cum illis quae extra sunt, cum tamen ita se habet, quod homo quoad spiritum suum ita conjunctus sit cum illis qui extra eum, ut si privaretur nexu inde, ne quidem momento viveret; quod etiam sciri potest inde, quod inconnexum nusquam detur, et quod inconnexum pereat momento.

2557. Quod filia patris mei illa, verumtamen non filia matris meae, significet quod rationale conceptum sit ex bono coelesti ut a patre, non autem ex spirituali vero ut a matre, constare potest a conceptione rationalis, quod nempe fiat per influxum boni coelestis Divini in affectionem scientiarum, de qua n: 1895. 1902. 1910. Hic duo arcana sunt, unum quod rationale hominis concipiatur a Bono coelesti Divino ut a patre, et quod aliter nullum rationale existat; alterum est, quod rationale non concipiatur a spirituali vero ut a matre: quod Primum attinet, nempe quod rationale hominis concipiatur a Bono coelesti Divino ut a patre, et quod aliter nullum rationale existat, constare potest ab illis quae prius n: 1895. 1902. 1910, dicta sunt, tum ab illis quae unicuique homini nota esse possunt, si reflectit; notum enim est, quod homo in nullam scientiam, nec in ullum rationale nascatur, sed modo in facultatem recipiendi illa; tum quod dein per gradus omnia discat et imbuat, et hoc imprimis per sensualia auditus et visus, et sicut discit et imbuit, ita rationalis fiat; quod haec fiant per viam corporis, hoc est, externam, quia per auditum et visum, patet: at quod homo non novit, quia super id non reflectit, est, quod jugiter aliquid ab interiori influat, quod recipit illa quae ita intrant et insinuantur, et disponit in ordinem; quod influit, et recipit, ac disponit, est Bonum coeleste Divinum, quod a Domino, inde vita eorum, inde ordo, et inde consanguinitates et affinitates inter singula, ut dictum est; ex his constare potest, quod rationale hominis sit a Bono coelesti Divino ut a patre, secundum verba in hoc versu, « est filia patris mei illa. » Alterum quod attinet, nempe quod rationale non conceptum sit ex spirituali vero ut a matre, constare potest ex illis quae n: 1902 dicta

sunt: si enim verum spirituale influeret ab interiori, sicut bonum, tunc nasceretur homo in omne rationale, et simul in omne scientificum, sic ut non opus haberet quicquam addiscere; sed quia homo talis est, quod ex haereditario sit in omni malo, et inde in omni falso, at ita, si ipsa vera quoque influerent, illa adulteraret et falsificaret, ac sic homo periret in aeternum, provisum est a Domino, ut nihil veri influat per internum hominis, sed modo per externum ejus: ex his constare potest, quod rationale hominis non sit ex spirituali vero, ut a matre, secundum verba in hoc Versu, verumtamen non filia matris meae. Secundum similem ordinem placuit Domino, ut quoque Rationale Ipsius formaretur, ob causam, ut Humana apud se Divina ex propria potentia faceret, et Divinum spirituale Verum Divino coelesti Bono, et Divinum coeleste Bonum Divino spirituali Vero, implantaret et uniret.

2558. Quod facta mihi in uxorem, significet quod verum spirituale conjunctum sit coelesti media rationalitate, constat a repraesentatione Sarae ut uxoris Abrahami, quod sit verum spirituale conjunctum bono coelesti, de qua n: 2507; et ex repraesentatione ejusdem, ut sororis, quod sit verum rationale, de qua n: 2508; inde significatur, per quod ex sorore facta sit uxor, quod media rationalitate verum spirituale conjunctum sit coelesti: quomodo haec se habent, constare potest ex illis quae mox supra n: 2557, dicta sunt.

2559. Factum quando fecerunt discedere me Deus e domo patris mei, quod significet cum relinqueret scientificum et apparentias inde, cum jucundis eorum, quae hic sunt domus patris, constat a significatione discedere, quod sit relinquere; et a significatione domus, quod sit bonum, n: 2233. 2234, hic bonum jucundi ex scientificorum et rationalium apparentiis, omne enim jucundum apparet ut bonum: quod hic per domum patris significentur jucunda scientificorum et rationalium, proinde apparentiarum eorum, ex eo venit, quia praedicantur de Abrahamo, cum discessit e domo patris sui, tunc enim Abraham cum domo patris sui coluit alios deos, videatur n: 1356. 1992, inde est, quod dicatur in plurali, *fecerunt discedere me Deus*; dicendum, quod etiam secundum linguam originalem, *fecerunt errare me dii*, sed quia Dominus repraesentatur per Abraha-

mum, dicetur, fecerunt discedere me deus: quia prima scientifica et inde rationalia apud Dominum fuerunt humana, imbuta haereditario ex matre, ita non pure Divina, inde est quod per primum statum Abrahami repraesententur; sed quousque repraesentationes vadunt, videatur n: 665. 1097. fin: 1361. 1992.

2560. Et dixi illi, quod significet cogitationem tunc, constat a significatione dicere, quod sit cogitare, de qua prius aliquoties.

2561. Quod haec bonitas tua quam facies mecum, significet quod inde tunc haberet hoc solatium, constare potest ab illis quae praecedunt, et ab illis quae sequuntur, ita absque ulteriore explicatione.

2562. Ad omnem locum quo venerimus, quod significet omnia quae concluderet postea de vero rationali, constat a significatione loci, quod sit status, de qua n: 1273. 1274. 1275. 1377; status rei, de qua hic agitur, est status conclusionis de vero rationali, quod diceretur rationale verum adjunctum esse coelesti bono, ut sequitur.

2563. Quod dic mihi frater meus ille, significet quod diceretur quod rationale verum adjunctum esset coelesti bono, constare potest ab illis supra n: 2524, ubi paene eadem verba.

2564. Vers: 14. *Et accepit Abimelech gregem et armentum, et servos et ancillas, et dedit Abrahamo; et restituit illi Sarah uxorem ejus.* Accepit Abimelech, significat quod doctrina fidei: gregem et armentum, significat [quod] locupletata sit bonis rationalibus et bonis naturalibus: et servos et ancillas, significat quod etiam veris rationalibus et veris naturalibus, tum affectionibus eorum: et dedit Abrahamo, significat quod Domino: et restituit illi Sarah uxorem ejus, significat quando Divinum spirituale adjunctum erat Divino coelesti.

2565. Quod accepit Abimelech, significet quod doctrina fidei, constat a significatione Abimelechi, quod sit doctrina fidei, de qua n: 2504. 2509. 2510.

2566. Quod gregem et armentum, significet quod locupletata sit bonis rationalibus et bonis naturalibus, constat a significatione gregis et armenti; grex vocantur illi intra Ecclesiam, qui vere rationales sunt, hoc est, interni homines; inde

est, quod per gregem significentur quoque abstracte ipsa bona rationalia seu interna, de qua significatione gregis, videatur n: 343. 415. 1565; Armentum autem vocantur illi intra Ecclesiam, qui naturales sunt, hoc est, externi homines; inde etiam per armentum significantur quoque abstracte ipsa bona naturalia seu externa, de qua significatione armenti, videatur n: 2180; quod per Bestias talia significata sint, n: 45. 46. 142. 143. 246. 714. 715. 776. 1823. 2179, ostensum est: quod accepit Abimelech et dedit, significat quod doctrina fidei locupletata sit, nam, ut dictum, per Abimelechum significatur doctrina fidei.

2567. Quod servos et ancillas, significet quod etiam veris rationalibus et veris naturalibus, tum affectionibus eorum, constat ex significatione servorum et ancillarum; servi et ancillae passim nominantur in Verbo, et per illa in sensu interno significantur ea quae inferiora et viliora sunt respective, ut sunt rationalia et naturalia respective ad spiritualia et coelestia; per vera naturalia intelliguntur scientifica omnis generis, nam haec sunt naturalia: quod per servos et ancillas in Verbo illa significentur, patet a sensu interno verborum ubi nominantur, ut apud Esaiam, „Miserebitur Jehovah Jacobi, et eliget adhuc „Israëlem, et ponet eos super humo sua, et adhaerebit pere„grinus eis, et adjungent se domui Jacobi, et accipient eos po„puli, et deducent eos ad locum suum, et haereditabunt sibi „illos domus Israëlis super humo Jehovae in *Servos* et *Ancil„las*,“ XIV: 1. 2; ibi Jacobus pro Ecclesia externa, Israël pro interna, peregrini pro illis qui instruuntur in veris et bonis, n: 1463. 2025; servi et ancillae pro veris naturalibus et rationalibus cum affectionibus eorum, quae servitura Ecclesiae per Jacobum et Israëlem intellectae; quod non hic Jacob et Israël, seu Judaei et Israëlitae, intellecti sint, patet, hi enim dispersi inter gentes facti sunt gentes, Judaei adhuc hoc fovent et exspectant, et quidem secundum literam, quod nempe peregrini adhaerebunt, quod populi eos deducent, et erunt illis in servos et ancillas, cum tamen ne quidem minimum de Judaeis et Israëlitis in propheticis Verbi, ubi nominantur, intelligitur; quod manifestum iis esse potest etiam ex eo, quod de Israële aeque ac de Jehuda passim dicatur quod reducerentur. Apud Eundem,

„Ecce Jehovah evacuans terram, et exaniniens eam, et deprava-
„bit facies ejus, et dispergere faciet habitatores ejus, et erit si-
„cut populus ita sacerdos, sicut *Servus* ita dominus ejus, sicut
„*Ancilla* ita domina ejus," XXIV: 1. 2: hic Terra pro Eccle-
sia, n: 662. 1066. 1067. 1850, quae evacuatur et exinanitur, et
ejus facies depravatur, et habitatores disperguntur, cum amplius
non vera et bona interiora, quae sunt populus et sacerdos, nec
vera et bona exteriora, quae sunt servus et ancilla, quod fit cum
externa dominantur super interna: apud Eundem, „Producam e
„Jacobo semen, et ex Jehuda haeredem montium meorum, et
„possidebunt eam electi mei, et *Servi* mei habitabunt ibi," LXV:
9; ibi Jacobus pro Ecclesia externa, Jehudas pro Ecclesia in-
terna coelesti, electi pro bonis, servi pro veris ejus: apud Joë-
lem, „Effundam spiritum meum super omnem carnem, et pro-
„phetabunt filii vestri et filiae vestrae; etiam super *Servos* et
„*Ancillas* in diebus illis effundam spiritum meum," III: 1. 2;
ubi de Regno Domini, prophetare pro docere, n: 2534, filii
pro ipsis veris, n: 489. 491. 533. 1147, filiae pro ipsis bonis,
n: 489. 490. 491; servi et ancillae pro veris et bonis inferiori-
bus, super quae spiritus effundi dicitur, quando accedunt et
confirmant; hic et alibi, quod per servos et ancillas talia signi-
ficentur, non ita apparet, tam ex idea communi servorum et
ancillarum, quam ex historico apparente: apud Johannem,
„Vidi unum Angelum stantem in sole, qui clamavit voce magna
„dicens avibus volantibus in medio coelo; comedatis carnes Re-
„gum, et carnes chiliarchorum, et carnes fortium, et carnes
„equorum et sedentium super illis, et carnes omnium libero-
„rum et *Servorum* et parvorum et magnorum," Apoc: XIX:
17. 18; quod hic non sint carnes regum, chiliarchorum, for-
tium, equorum, sedentium super iis, liberorum et servorum,
quas comederent, patet, sed quod vera Ecclesiae interna et
externa, quae iis carnes facta. Quod Servi significent vera, et
ancillae bona, quae inserviunt, et sic serviunt veris et bonis
spiritualibus et coelestibus, manifestius constat a Legibus in Ec-
clesia repraesentativa latis pro Servis et Ancillis, quae Leges
omnes spectant statum Ecclesiae et Regni Domini in communi
et particulari, et quomodo vera et bona inferiora, quae sunt
naturalia et rationalia, servitura sint spiritualibus et coelestibus,

ita Divinis: ut quod *Servus Hebraeus* et *Serva Hebraea*, septimo anno esset liber, et quod tunc donaretur de grege, de area, et torculari; Exod: XXI: 2. 6. Deut: XV: 12 ad 15. Jerem: XXXIV: 9 ad 14. [10] Quod „uxor esset libera, si cum eo in servitium intraverit, si autem dominus dederit ei uxorem, quod uxor et liberi essent domini," Exod: XXI: 3. 4. Quod „frater pauper emtus non serviret serviliter, sed sicut mercenarius et inquilinus, jubilaeo, una cum liberis exiret," Levit: XXV: 39 ad 43. Si frater emeretur a peregrino inquilino, quod posset redimi, et quod exiret anno jubilaei, Levit: XXV: 47 seq: Quod ex gentibus circum, emerentur Servi et Ancillae, et ex filiis inquilinorum peregrinantium, quodque ii essent possessio eorum perpetua, quibus imperarent, non autem filiis Israëlis, Levit: XXV: 44. 45. 46. Quod servus si non vellet exire servitio, subula per aurem ejus ad ostium daretur, et esset servus perpetuus; similiter etiam si ancilla, Exod: XXI: 6. Deut: XV: 16. 17. Si quis percusserit Servum suum aut Servam suam baculo, ut moreretur, quod vindicaretur; at si supervixerit die vel diebus, quod liber esset, quia argentum ejus, Exod: XXI: 20. 21. Si percusserit oculum aut dentem servi, quod exiret liber, Exod: XXI: 26. 27. Si bos Servum aut Ancillam feriret, ut moreretur, quod penderet 30 siclos domino ejus, et bos lapidaretur, Exod: XXI: 32. Quod non concluderetur Servus, qui se eripuerit a Domino, sed habitaret in loco ubi volupe, nec affligeretur, Deut: XXIII: 16 17. Quod Servus emtus argento et circumcisus comederet Pascha, Exod: XII: [44.] 45. Quod filia alicujus emta non exiret servitio, sicut servi; si mala, quod dominus non venderet eam alienigenae: si desponsaretur filio, quod esset sicut filia; si alteram acceperit, quod alimentum, tegumentum, et debitum conjugiale non diminueret; si haec non fecerit, quod gratis servitio exiret, Exod: XXI: 7 ad 12: Hae omnes Leges originem ducunt a legibus veri et boni in coelo, et ad illas se in sensu interno referunt, sed partim per correspondentia, partim per repraesentativa, et partim per significativa, at postquam Ecclesiae repraesentativa et significativa, quae extima ac infima cultus fuerunt, abolita sunt, etiam illarum necessitas cessavit; si itaque Leges istae, ex Legibus ordinis veri et boni, et ex repraesentativis ac ex significa-

tivis, evolverentur, pateret, quod per Servos nihil aliud significetur, quam vera rationalia et scientifica, quae vera inferiora sunt, ac ideo servire debent Veris spiritualibus, et quod per Ancillas bona eorum, quae quia etiam inferiora sunt, quidem servire debent, sed alio modo, quare quaedam leges latae de Ancillis differunt a legibus latis de servis; nam vera in se spectata sunt magis servi quam bona eorum. Per *Jus Regium* apud Samuelem, nec aliud in sensu interno significatur, quam Jus veri, et quoque jus falsi, cum dominari incipit super verum et super bonum, quod constare potest ab explicatione verborum, per quae descriptum est, „Hoc erit *Jus Regis* qui regnabit super „vos, filios vestros sumet, et ponet sibi ad currus suos, et ad „equites suos, et current ante currus ejus; filias vestras sumet „in aromatarias, et in coquas, et in pistrices; *Servos* vestros, „et *Ancillas* vestras, et juvenes vestros optimos, et asinos ve„stros, sumet et faciet ad opus suum; gregem vestrum deci„mabit; tandem *vos eritis in servos:* et clamabitis in die isto „propter Regem vestrum, quem elegistis vobis, et non respon„debit Jehovah vobis in die isto," 1 Sam: VIII: 11. 13. 16. 17. 18: quod per Regem significetur Verum, videatur n: 1672. 2015. 2069, ita in opposito sensu, non vera, hoc est, falsa; per Filios quos poneret sibi ad currus et ad equites suos, significantur vera doctrinae, quae inservitura principiis falsi, quae sunt currus et equites; per Filias, quas sumeret in aromatarias, coquas, et pistrices, significantur bona doctrinae, per quae jucundabit illa, et faventia faciet; per Servos et Ancillas, juvenes, et asinos, per quos faciet opus suum, significantur rationalia et scientifica, quibus confirmabit illa; per Gregem quem decimabit, significantur reliquiae boni quas violabit; et per quod essent in servos, significatur quod facturus, ut coelestia et spiritualia Verbi et doctrinae, loco quod dominarentur, falsis ejus principiorum, et malis ejus cupiditatum, confirmandis, inservitura; nam nihil non infunditur principiis falsi ut confirmans, false applicando, sinistre interpretando, pervertendo, rejiciendo illa quae non favent; quare additur, si clamaveritis in die illo propter Regem vestrum, quem elegistis vobis, non respondebit Jehovah in die isto.

2568. Supra in hoc Capite dictum, quod doctrina nulla

fieret, si consuleretur rationale, n: 2516. 2538, et quod nec consultum fuerit, n: 2519. 2531; hic autem dicitur, quod doctrina fidei locupletata sit bonis et veris tam rationalibus quam naturalibus; haec primo intuitu apparent sicut forent sibi adversa et contraria, sed usque non sunt: quomodo apud Dominum fuit, dictum est; at quomodo apud hominem, dicendum; apud hominem prorsus aliud est ex rationalibus spectare doctrinam fidei, et aliud ex doctrina fidei spectare rationalia; ex rationalibus spectare doctrinam fidei, est non prius credere Verbo seu doctrinae quae inde, quam cum ex rationalibus persuadetur quod ita sit; at ex doctrina fidei spectare rationalia, est primum credere Verbo seu doctrinae inde, et dein eadem confirmare per rationalia; illud est inversus ordo, et facit ut nihil credatur, hoc autem est genuinus ordo, et facit ut melius credatur; illud est, quod morieris propter mulierem, quibus significatur, quod doctrina fidei nulla fieret si consuleretur rationale, n: 2516. 2538, hoc autem, quod Abimelech dedit gregem et armentum, et servos et ancillas, quibus significatur quod doctrina fidei locupletata sit bonis et veris rationalibus et naturalibus: de his multum agitur in Verbo in sensu ejus interno, imprimis ubi de Aschure et de Aegypto, ex causa, quia dum doctrina fidei spectatur ex rationalibus, hoc est, non prius creditur quam homo ex illis persuadetur quod ita sit, quod tunc non modo nulla fiat, sed etiam negetur quicquid ibi; at dum ex doctrina fidei spectantur rationalia, hoc est, quod credatur Verbo, et dein eadem confirmentur per rationalia, quod tunc doctrina vivat, et affirmetur quicquid ibi: sunt itaque duo principia, unum quod ducit ad omnem insipientiam et insaniam, alterum quod ducit ad omnem intelligentiam et sapientiam; illud principium est negare omnia, seu dicere corde suo quod non credere possit illa, priusquam convincatur ab illis quae capere aut sentire potest, hoc principium est quod ducit ad omnem insipientiam et insaniam, et dicendum est Principium negativum; alterum principium est affirmare illa quae doctrinae ex Verbo sunt, seu apud se cogitare et credere quod vera sint quia Dominus dixit, hoc principium est quod ducit ad omnem intelligentiam et sapientiam, et dicendum est Principium affirmativum: qui ex Principio negativo cogitant, quo plus consu-

lant rationalia, quo plus scientifica, et quo plus philosophica, eo plus conjiciunt et praecipitant se in tenebras, usque tandem ut negent omnia, causae sunt, quia nemo capere potest ex inferioribus superiora, hoc est, ex illis spiritualia et coelestia, minus adhuc Divina, quia transcendunt omnem intellectum, et praeterea involvuntur tunc singula negativis ex principio; vicissim autem, qui ex principio affirmativo cogitant, ii possunt se confirmare per quaecunque rationalia, et per quaecunque scientifica, imo per philosophica, per quae usquam possunt, sunt enim ea omnia illis confirmantia, et dant eis ideam pleniorem rei. Praeterea sunt, qui in dubio sunt antequam negant, et sunt qui in dubio antequam affirmant; qui in dubio sunt antequam negant, sunt ii qui inclinant ad vitam mali, quae vita cum aufert, tunc quantum cogitant de illis, tantum negant; qui autem in dubio sunt antequam affirmant, sunt ii qui inclinant ad vitam boni, ad quam cum flecti se patiuntur a Domino, tunc quantum tum cogitant de iis, tantum affirmant. Quia de his ulterius in Versibus qui sequuntur, agitur, licet, ex Divina Domini Misericordia, ea ibi plenius illustrare; videatur n: 2588.

2569. Quod dedit Abrahamo, significet quod Domino, constat a repraesentatione Abrahami, quod sit Dominus, de qua multoties prius. Et restituit illi Sarah uxorem ejus, quod significet quando Divinum spirituale adjunctum esset Divino coelesti, constat a significatione Sarae uxoris, quod sit Verum Spirituale adjunctum Bono coelesti, de qua n: 2507: quis sensus internus verborum in hoc Versu sit, ex dictis patet, nempe quod Domino, cum unitum in Ipso Humanum Divino et Divinum Humano, fuerit Omniscientia non modo Divinorum coelestium et spiritualium, sed etiam infracoelestium et infraspiritualium, hoc est, rationalium et naturalium; nam ex Divino, ut ex Sole omnis lucis, singula ut praesentia videntur.

2570. Vers: 15. *Et dixit Abimelech, ecce terra mea coram te, in bono in oculis tuis habita.* Dixit Abimelech, ecce terra mea coram te, significat perceptionem Domini de doctrina amoris et charitatis: in bono in oculis tuis habita, significat quod in omni esset ubi bonum.

2571. Dixit Abimelech, ecce terra mea coram te, quod

significet perceptionem Domini de doctrina amoris et charitatis, constat a significatione dicere, quod sit cogitare, de qua n: 2506; et a significatione terrae, quod hic sit doctrina amoris et charitatis; Terra in sensu interno varia significat, n: 620. 636. 1066, [1] at quid significat, ex serie rerum constat; significat enim Externum hominem Ecclesiae, cum Coelum Internum, n: 82. 913. 1411. 1733; significat etiam tractum ubi Ecclesia, n: 662. 1066; significat ipsam Ecclesiam, tum universaliter Regnum Domini in coelis et in terris, ex eo quod terra Canaan seu terra sancta illud repraesentabat, n: 1437. 1585. 1607: idem quoque Novum coelum et nova terra, n: 1733. 1850. 2117. 2118; et quia hominem Ecclesiae, Ecclesiam, et Regnum Domini, etiam significat illud quod essentiale eorum est, nempe amorem in Dominum et charitatem erga proximum, nam inde pendent, n: 537. 540. 547. 553. 2130; proinde doctrinam amoris et charitatis, quae est Ecclesiae, et quae hic est terra Abimelechi, nam per Abimelechum ut Regem significatur doctrina fidei, ut ostensum, per terram autem ejus, unde et ubi ille, doctrina amoris et charitatis, unde et ubi fides. Quod hactenus cogitatio Domini fuerit de doctrina fidei, nunc autem de doctrina amoris et charitatis, inde est, quia Dominus Humanum adjunxit Divino per vera, quae sunt fidei, tametsi simul per Divina Bona, quae sunt amoris, in veris, secundum ordinem, per quem etiam homo fit spiritualis et coelestis, sed non Divinus qui vitam habet in se, ut Dominus: at cum in Domino conjugium Divinum Veri et Boni, ac Boni et Veri, factum, quod significatur per quod Abimelechus restituit Saram uxorem Abrahamo, n: 2569, tunc cogitatio fuit de doctrina amoris et charitatis, hoc quoque secundum ordinem, cum enim homo factus est spiritualis et coelestis, tunc non amplius cogitat ex vero sed ex bono, at non ex Divino Bono unito Divino Vero, sicut Dominus: haec causa est, quod nunc primum nominetur doctrina amoris et charitatis, tametsi doctrina fidei in se spectata eadem est, et semper perceptio et cogitatio Domini fuerit ex Amore Divino in singulis fidei. Inde est, quod doctrina amoris et charitatis sit ipsa Doctrina Divina, et illa quae in Antiquissimis Ecclesiis exculta, quae quia unum faciebat cum doctrina fidei, rejecerunt illos qui separabant, videatur n: 4217.

2672. Quod in bono in oculis tuis habita, significet quod in omni esset ubi bonum, in proximo sensu quod in bono doctrinae, constare potest a significatione oculorum, qui significant intellectuale, quod est doctrinae; et ex significatione habitare, quod est vivere, n: 1293, hic Esse, quia praedicatur de Domino. Esse in omni ubi bonum, est esse in omniscientia omnium Divinorum, coelestium, spiritualium, rationalium, et naturalium, et hoc ex Divino amore, Divino enim Amori inest omniscientia omnium illorum, n: 2500. Praeterea Doctrinae datur bonum et verum; doctrinae bonum est amor et charitas, doctrinae verum est fides; qui in doctrinae bono sunt, hoc est, in amore et charitate, sunt in doctrinae vero, hoc est, in fide: sed aliud est, in bono esse, seu in amore et charitate, et aliud in doctrinae bono; infantes qui in amore erga parentes sunt et in charitate erga alios infantes, in bono sunt, non autem in doctrinae bono, proinde non in doctrinae vero seu fide; at in doctrinae bono sunt illi qui per vera fidei regenerati sunt, hi quantum in bono, tantum in veris sunt, hoc est, quantum in amore et charitate, tantum in fide, proinde tantum in sapientia et intelligentia: Angeli quia in amore in Dominum et in amore mutuo, etiam in omni vero sunt, ita in omni sapientia et intelligentia, non solum rerum coelestium et spiritualium, sed etiam rationalium et naturalium; ex amore enim, quia a Domino, sunt in ipsis principiis seu fontibus rerum, hoc est, in finibus et causis; ex principiis, seu finibus et causis, videre, est e coelo omnia quae infra sunt, etiam quae in terra; se habet hoc comparative sicut qui in alto monte, ac in turri speculatoria ibi, is circumspicere potest ad plura milliaria illa quae infra sunt, cum illi qui infra, et magis qui in valle aut in sylva, vix possunt ad totidem passus: ita se quoque habet cum illis qui in doctrinae bono sunt, respective ad illos qui in doctrinae vero separato a bono, tametsi hi putant se longius videre quam illi, sed usque nihil boni vident, nec quicquam veri nisi levissime in superficie, et hoc conspurcatum falsis: verumtamen sapientia et intelligentia Angelorum est finita, et respective ad Divinam Domini finitissima, et vix quicquam; ut constare potest ex eo, quod inter Infinitum et finitum non detur ratio, at usque communicatio ex Divina Omnipotentia; et ex eo quod Dominus sit ip-

sum Bonum, et ipse Amor, proinde ipsum Esse boni, et ipsum Esse amoris qui apud Angelos, ita ipsum Esse sapientiae et intelligentiae eorum. Inde etiam patet, quod Dominus in coelo et in terra sit in omni ubi bonum; nimium falluntur, qui putant quod Dominus sit in vero separato a bono, non est nisi quam in bono, et inde in vero, hoc est, in amore et charitate, et inde in fide.

2573. Vers: 16. *Et Sarae dixit, ecce dedi mille argenti fratri tuo, ecce illud tibi velamen oculorum omnibus qui tecum, et cum omnibus; et vindicata est.* Et Sarae dixit, significat perceptionem ex vero spirituali: ecce dedi mille argenti fratri tuo, significat abundantiam veri rationalis bono coelesti adjuncti: ecce illud tibi velamen oculorum omnibus qui tecum, significat quod vera rationalia sint instar velaminis aut amictus veris spiritualibus: et cum omnibus, significat quod et vera quae inde: et vindicata, significat quod sic nulla culpa et nulla noxa.

2574. Et Sarae dixit, quod significet perceptionem ex vero spirituali, constat ex repraesentatione Sarae ut uxoris, quod sit Verum spirituale Divinum, de qua n: 2507; et ejusdem ut sororis, quod sit verum rationale, de qua n: 2508; et a significatione dicere, quod sit percipere, de qua n: 2506: hic dictum Sarae ut uxori, tum ut sorori, ut uxori quia restituta est, n: 2569, ut sorori quia dicitur, dedi mille argenti *fratri tuo;* et quod dictum ab Abimelecho, hoc perceptum a Sarah in illo statu, ideo per dicere Sarae significatur percipere ex Vero spirituali. Haec quod arcaniora involvant, quam ad captum possint exponi, patet; quae si aliqualiter modo exponerentur, necessum erit ut plura prius explicentur, quae adhuc ignorantur, ut quid Verum spirituale, quid perceptio ex Vero spirituali, quod perceptio ex Vero spirituali fuerit Soli Domino, quod Dominus, sicut verum rationale implantavit bono rationali, ita verum spirituale bono coelesti, ita continue Humanum Divino, ut in singulis esset Conjugium Humani cum Divino, ac Divini cum Humano; haec et plura praecedent, antequam ad captum explicari possint illa quae in hoc Versu; sunt haec imprimis adaequata mentibus angelicis, quae in intelligentia talium sunt, pro quibus sensus internus Verbi; illis haec repraesentantur

coelesti modo, et per haec, et per illa quae in hoc Capite, insinuatur, quomodo Dominus humanum, quod a matre, per gradus ejecerit, usque tandem ut ejus filius non esset amplius, quod pro matre nec agnoverit, patet apud Matth: XII: 46. 47. 48. 49. Marc: III: 31. 32. 33. 34. 35. Luc: VIII: 20. 21. Joh. II: 4; et quomodo Humanum ex propria potentia fecerit Divinum, usque ut unus esset cum Patre, ut Ipse docet apud Joh. XIV: 6. 8. 9. 10. 11, et alibi; haec per myriades idearum et repraesentationum, omnium ineffabilium, sistuntur a Domino Angelis in clara luce; causa est, quod mentibus eorum, ut dictum, adaequata sint, ac quod in beatitudine intelligentiae et felicitate sapientiae suae sint, cum in his; et praeterea, quia sunt Angeli, qui, dum homines fuerunt, ceperunt ideam de Humano Domini, sicut de humano apud alium hominem, ut ii cum Angelis coelestibus in altera vita simul esse possint, (ideae enim inspiratae affectione boni conjungunt in altera vita), talia per sensum internum Verbi discutiuntur, et sic perficiuntur: inde constare potest, quam pretiosa sunt Angelis, quae in sensu interno Verbi, tametsi fortassis ut levia apparitura homini, qui in tam obscura idea est de similibus, ut vix aliqua.

2575. Ecce dedi mille argenti fratri tuo, quod significet abundantiam infinitam veri rationalis bono adjuncti, constat ex significatione Mille, quod sit multum et innumerum, hic infinitum seu infinita abundantia, quia praedicatur de Domino, de qua ejus significatione infra; a significatione Argenti, quod sit verum rationale, de qua n: 1551. 2048; et a significatione fratris, quod sit coeleste bonum vero rationali, ut frater sorori, adjunctum, n: 2524. 2567; inde patet, quod dedi mille argenti fratri tuo, significet abundantiam infinitam veri rationalis bono adjuncti; quod bono data, quod est frater, non autem vero, est quia a bono verum, non vicissim: de infinita illa abundantia, videatur n: 2572. Quod Mille in Verbo significent multum ac innumerum, et cum praedicantur de Domino, quod infinitum, patet ab his locis; apud Mosen, „Ego Jehovah Deus „tuus, Deus zelotes, visitans iniquitatem patrum super filios, „super tertios, et super quartos, osoribus meis; et faciens mi„sericordiam *Millibus* amantibus Me, et custodientibus prae„cepta mea," Exod: XX: 5. 6. Cap: XXXIV: 7. Deut: V: 9.

10: et apud Jeremiam, „Jehovah faciens misericordiam in „*Millenos*, et retribuens iniquitatem patrum in sinum filiorum „eorum post eos," XXXII: 18, ubi per millia et millenos non significatur aliquod definitum, sed infinitum, Misericordia enim Domini est infinita, quia Divina: apud Davidem, „Currus Dei „binae *myriades*, *Milleni duplicati*, Dominus in illis, Sinai „in sanctitate," Psalm: LXVIII: 18; ubi myriades et milleni pro innumerabilibus: apud Eundem, „Cadet a latere tuo *Mille*, „et *Myrias* a dextra tua, ad te non accedet," Psalm: XCI: 7; ubi mille et myrias etiam pro innumerabilibus; et quia de Domino, qui per Davidem in Psalmis intelligitur, pro omnibus qui inimici sunt: apud Eundem, „Penuaria nostra plena de„promentia de cibo ad cibum, greges nostri parientes *Mille*, et „*decem Mille* in plateis nostris," Psalm: CXLIV: 13; etiam ibi mille, et decem mille seu myrias, pro innumerabilibus: apud Eundem, „*Mille* anni in oculis tuis, sicut dies heri, cum trans„iit," Psalm: XC: 4; Mille anni pro quod absque tempore, ita pro aeterno, quod est infinitum temporis: apud Esaiam, „*Mille unum* a coram increpatione unius, a coram increpatione „quinque, fugietis, donec remaneatis sicut malus super capite „montis," XXX: 17; ubi mille unum, seu chilias, pro multis absque definito numero, quinque pro paucis, n: 649: apud Mosen, „Jehovah Deus patrum vestrorum addat super vos, „sicut vos, *Mille vicibus*, et benedicat vobis," Deut: I: 11: ubi mille vices pro innumeris, sicut in communi sermone, in quo etiam Mille pro multis dicuntur, sicut quod millies dictum, quod mille modis factum; similiter apud Josuam, „Vir unus „de vobis persequetur *Mille*, quia Jehovah Deus vester pugnat „vobis," XXIII: 10. Quia mille definitus est numerus in calculo, apparet in Propheticis, imprimis cum historice connexa sunt, quod mille significent mille, cum tamen significant absque certo numero multos seu innumerabiles; historica enim talis naturae sunt, ut determinent ideas ad significationes proximas et proprias vocum, sicut etiam ad Nomina, quae ibi, cum tamen per numeros, aeque ac per nomina, in Verbo significentur res, ut constare potest ex illis, quae de Numeris prius, n: 482. 487. 575. 647. 648. 755. 813. 1963. 1988. 2075. 2252, [II] ostensa sunt; inde est quod etiam aliqui autument per mille annos in

Apocalypsi, Cap: XX: 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7, mille annos seu mille tempora significari, ex causa, ut dictum, quia Prophetica ibi historice descripta sunt, cum tamen per Mille annos ibi nihil nisi multum indeterminatum, tum alibi quoque infinitum temporis seu aeternum, significatur.

2576. Quod ecce illud tibi velamen oculorum omnibus qui tecum, significet quod vera rationalia sint instar velaminis aut amictus veris spiritualibus, constat a significatione velaminis, de qua mox sequitur, et a significatione oculorum, quod sint intellectualia, ut patet a perplurimis locis in Verbo; tum a significatione videre, quod sit intelligere, n: 2150. 2325; quisque videre potest, quod in singulis in hoc Versu, arcana sint, quae non patefieri possunt, nisi a sensu quodam interiori; ut, quod dederit mille argenti, et hoc dicatur non marito sed fratri ejus, quod illud esset velamen oculorum, et ei, et omnibus qui cum illa, tum cum omnibus, et quod sic vindicata; plures quidem conjecturae historicae ex sensu literae deduci possent, sed omnes illae non habent aliquid spirituale, minus Divinum, quale tamen est Verbum. Quod Vera rationalia sint instar velaminis seu amictus veris spiritualibus, ita se habet; quae intima sunt hominis, illa sunt ejus animae, quae autem exteriora sunt, illa sunt ejus corporis; intima hominis sunt bona et vera, ex quibus anima suam vitam habet, alioquin anima non esset anima; exteriora inde trahunt suam vitam, et sunt omnia corporis instar, seu quod idem est, sunt velaminis aut amictus instar; quod imprimis constare potest ab illis quae in altera vita apparent, ut ab Angelis cum sistuntur videndi, eorum interiora elucent a facie, exteriora repraesentantur tam in corpore, quam in amictu eorum, usque adeo, ut quilibet ibi ex solo amictu scire possit, quales sunt, sunt enim reales substantiae, ita essentiae in forma; cum Angelis, qui visi, et quoad facies et amictus descripti in Verbo, similiter se habet, ut qui visi in sepulchro Domini, Matth: XXVIII: 3. Marc: XVI: 5; et viginti quatuor seniores circum thronum, Apoc: IV: 4.[12], et alii, nec solum cum Angelis, sed etiam cum omnibus reliquis, tametsi inanimata, quae memorantur in Verbo, eorum exteriora sunt velamen aut amictus, sicut cum Arca foederis et cum Tentorio quod circumcirca, Arca ibi, quae intimum, repraesentabat

ipsum Dominum, nam ibi Testimonium, at Tentorium, quod extra, repraesentabat Regnum Domini, Velamina ibi, seu Vela et Tegumenta, omnia et singula repraesentabant exteriora coelestia et spiritualia in Ipsius Regno, nempe in Tribus coelis; quod constare potest inde, quod forma ejus ostensa sit Mosi in monte Sinai, Exod: XXV: 9. Cap: XXVI: 30; inde sanctitatem suam habuit, non autem ab auro, et argento, et a sculpturis, quae ibi: quia nunc agitur de veris rationalibus, quod sint instar velaminis aut amictus Veris spiritualibus, et apud Mosen describitur Tentorium, quoad *Velamina* ejus aut Tegumenta, etiam quoad Vela, quae ante introitus, licet, illustrationis causa, exponere, quid in specie per *Vela* ibi significatum sit; quid autem per Tegumenta circumcirca, alibi, ex Divina Domini Misericordia, dicetur: Vela ibi fuerunt tria, Primum quod fecit discrimen inter Sanctum et Sanctum sanctorum; Alterum, quod vocatur Tegumentum pro janua tentorii; Tertium, quod Tegumentum pro porta atrii: de ipso Velo, quod Primum, ante arcam, ita apud Mosen; „Facies *Velum*, ex „hyacinthino, et purpura, et coccineo dibapho, et xylino in„tertexto, opus excogitationis, facies illud cum Cherubis: et „dabis illud super quatuor columnis Schittim, obductis auro, „et unci earum ex auro; super quatuor basibus argenti; et da„bis *Velum* sub ansulis; et inferes eo, intra *Velum*, Arcam Te„stimonii, et distinguet Velum vobis inter Sanctum et Sanctum „sanctorum," Exod: XXVI: 31. 32. 33. 34. Cap. XXXVI: 35. 36: hoc Velum repraesentabat apparentias proximas et intimas boni et veri rationalis, in quibus sunt *Angeli Tertii Coeli*, quae apparentiae descriptae sunt per hyacinthinum, purpuram, coccineum dibaphum, et xylinum intertextum, in quibus color ruber repraesentabat bona amoris, et albus vera ejus; similiter etiam aurum et argentum, quibus obducebantur columnae, et ex quibus unci et bases; quod colores repraesentent, videatur n: 1042. 1043. 1053. 1624; quod aurum sit bonum amoris, n: 113. 1551. 1552; quod argentum sit verum, n: 1551. 2048: inde constare potest, quid significat, quod Velum Templi discissum sit, Matth: XXVII: 51. Marc: XV: 38. Luc: XXIII: 45, nempe quod Dominus intraverit in Ipsum Divinum omnibus apparentiis discussis, et quod simul aperuerit aditum

ad ipsum Divinum per Suum Humanum Divinum factum. De Altero, seu Tegumento pro janua tentorii, ita apud Mosen, „Facies *Tegumentum* ad ostium tentorii, ex hyacinthino, et „purpura, et coccineo dibapho, et xylino intertexto, opus acu„pictoris: et facies ad *Tegumentum* quinque columnas schittim, „et obduces eas auro, unci earum ex auro, et fundes iis quin„que bases aeris," Exod: XXVI: 36. 37. Cap: XXXVI: 37. 38: per hoc Tegumentum repraesentatae sunt apparentiae boni et veri, quae prioribus inferiores seu exteriores sunt, seu mediae rationalis, in quibus sunt *Angeli Secundi Coeli;* quae apparentiae paene similiter descriptae sunt, cum differentia tamen, quod pro illo Tegumento quinque columnae et quinque bases essent, per quem numerum significatur parum respective, nam hae apparentiae non ita cohaerent, aut ita coelestes sunt, ac apparentiae intimi seu Tertii Coeli; de numero quinque quod parum, videatur n: 649. 1686; et quia hae apparentiae spectant naturalia, mandatum quod bases funderentur ex aere, per aes enim repraesentabatur et significabatur bonum rationale, n: 425. 1551. De Tertio, seu Tegumento pro porta atrii, ita apud Mosen, „Portae atrii *Tegumentum*, viginti cubitorum, „ex hyacinthino et purpura, et coccineo dibapho, et xylino in„tertexto, opus acupictoris; columnae eorum quatuor, bases „harum quatuor, omnes columnae atrii circumcirca cinctae ar„gento, unci earum ex argento, sed bases earum ex aere," Exod: XXVII: 16. 17. Cap: XXXVIII: 18. 19; per hoc Tegumentum repraesentatae sunt apparentiae boni et veri adhuc inferiores seu exteriores, quae sunt infimae rationalis, in quibus sunt *Angeli Primi Coeli;* hae apparentiae, quia correspondent interioribus, descriptae sunt similiter, cum differentia tamen, quod columnae non obductae auro, sed cinctae argento, et quod unci essent ex argento, quibus significantur vera rationalia ex scientificis ortum immediate ducentia, et bases ex aere, quibus significantur bona naturalia: inde constare potest, quod nihil non ibi repraesentativum coelestium et spiritualium Regni Domini fuerit, seu quod ad omnem typum coelestium et spiritualium in Tribus Coelis facta sint; tum quod Velamina seu Tegumenta significaverint illa, quae instar corporis seu amictus sunt circum seu extra Intimum. Praeterea quod

Velamina, Tegumenta, Amictus seu Vestes significent Vera inferiora respective, constare potest a multis locis in Verbo; ut apud Ezechielem, „Byssus in acupictura ex Aegypto fuit *Ex-„pansum* tuum, hyacinthinum et purpura ex insulis Elisha *Te-„gumentum* tuum," XXVII: 7; ubi de Tyro, per quam significantur cognitiones interiores coelestium et spiritualium, proinde qui in illis sunt, n: 1201; acupictura ex Aegypto pro scientifico, quod Aegyptus sit scientificum, n: 1164. 1165. 1186. 1462; hyacinthinum et purpura ex insulis Elisha, quod tegumentum, pro ritualibus correspondentibus cultui interno, n: 1156: apud Eundem, „Descendent desuper soliis suis omnes „principes maris, et removebunt *Amicula sua*, et *Vestes acu-„picturae suae* exuent, terroribus induentur, super terra se-„debunt," XXVI: 16; etiam de Tyro, amicula et vestes acupicturae pro cognitionibus ex scientificis, ita pro veris inferioribus: apud Eundem, „*Vestivi* te acupicto, et calceavi te taxo, „et *accinxi* te bysso, et *obtexi* te serico, et ornavi te ornamen-„to, et dedi armillas super manus tuas, et torquem super gut-„tur tuum. Sumsisti de *Vestibus* tuis, et fecisti tibi excelsa „variegata, et scortata es super illis; sumsisti *Vestes acupicti*, „et texisti eas," XVI: 10. 11. 16. 18; de Hierosolyma, quae est Ecclesia spiritualis, descripta qualis antiquitus, et qualis postea cum perversa; ejus spiritualia inferiora, et doctrinalia, sunt vestes acupicti, byssi, serici: apud Esaiam, „Dominus „Jehovah Zebaoth removens ex Hierosolyma omnem baculum „panis, et baculum aquae; tunc apprehendet vir fratrem suum „domus patris sui, *Vestis* tibi, princeps eris nobis: excipiet „in die isto, dicendo, non ero alligans, et in domo mea non „panis, et non *Vestis*, ne ponatis me principem populi. Sca-„bie afficiet Dominus verticem filiarum Zionis; et in die illo re-„movebit Dominus ornatum compedum, et reticulorum, et lu-„nularum, et collariorum, et catenularum, et bracteolarum: „et tiaras, et periscelides, et alligamenta, et domos animae, „et inaures: annulos, et ornamenta nasi, *Mutatorias Vestes*, „et *Amicula*, et *pepla*, et aciaria, specula, et sindones, et „cidares, et palliola," III: 1. 6. 7. 17 ad 24. Hierosolyma pro Ecclesia spirituali, Jehuda pro Ecclesia coelesti, baculus panis et baculus aquae, qui removebitur, pro bono et vero;

vestis quae principi, pro veris, quae sunt doctrinae; amictus et ornatus varii filiarum Zionis, qui enumerantur, sunt omnes et singuli genera et species boni et veri, quibus privarentur; nisi singula, quae memorantur, aliquid peculiare Ecclesiae significarent, non forent [13] Verbi, in cujus unaquavis voce Divinum; praedicantur de filiabus Zionis, per quas quod illa quae Ecclesiae sunt significentur, videatur n: 2362; apud Eundem, „Excitare, excitare, indue robur tuum, Zion, indue *Vestes* „*decoris tui*, Hierosolyma, civitas sanctitatis, quia non addet, „veniat in te amplius praeputiatus et immundus," LII: 1. 2. Zion pro Ecclesia coelesti, Hierosolyma pro spirituali, vestes decoris pro sanctis fidei: apud Eundem, „Telae eorum non „sunt ad *Vestem*, neque *teguntur* operibus eorum, opera eo„rum, opera iniquitatis," LIX: 6; telae pro fictis veris quae non sunt ad vestem, vestis pro veris exterioribus doctrinae et cultus, inde dicitur, neque teguntur operibus: apud Eundem, „Gaudendo gaudebo in Jehovah, exultabit anima mea in Deo „meo, quia induet me *Vestibus salutis*, *Amiculo justitiae* „texit me," LXI: 10; vestes salutis pro veris fidei, amiculum salutis pro bono charitatis: apud Johannem, „Habes pauca „nomina etiam in Sardibus, quae non polluerunt *Vestimenta* „sua, et ambulabunt Mecum in albis, quia digni sunt: qui vi„cerit, is induetur *Vestimentis albis*," Apoc: III: 4. 5: apud Eundem, „Beatus qui vigilat, et servat *Vestimenta* sua, ut „non ambulet nudus," Apoc: XVI: 15: apud Eundem, „Su„per thronis vidi viginti et quatuor seniores sedentes, indutos „*Vestimentis albis*," Apoc: IV: 4. [12]; ubi quod vestimenta non sint vestimenta, patet, sed spiritualia quae sunt veri: similiter quod Dominus dixit de consummatione saeculi, quod non reverterentur retro ad tollendum *Vestimenta*, Matth. XXIV: 18. [14] Marc: XIII: 16, ubi quod vestimenta sint vera, videatur n: 2454: tum quod de non induto *veste nuptiarum*, Matth: XXII: 11. 12; et quod de Johanne, „Quid exivistis „videre, num hominem *splendidis Vestimentis* indutum, qui „splendida gerunt, in domibus Regum sunt," Matth: XI: 8. Luc: VII: 25; pro quod non in externis doctrinae et cultus, sed in internis, quare addit, „quid exivistis videre, num prophetam, „dico vobis, etiam magis quam propheta," ib: [Matth: XI:]

vers: 9, propheta pro externis doctrinae et cultus. Quia Vestes vera omnis generis significabant, mandatum erat, quod filii Israëlis, cum exirent Aegypto, mutuo peterent aurum et argentum, et *Vestes*, et ponerent super filiis, Exod: III: 22. Cap: XII: 35. 36. tum quod *Vestes plurium generum* seu mixtae non induerentur, Levit: XIX: 19. Deut: XXII: 11: Et quod facerent sibi peniculamenta in *oris Vestium*, ponerent ibi filum hyacinthinum, et cum id viderent, recordarentur praeceptorum, et facerent ea, Num: XV: 38. 39. 40: Discindebant etiam olim *Vestes*, ut patet Jos: VII: 6. Jud: XI: 35. 1 Sam. IV: 12. 2 Sam: I: 2. 11. 12. Cap: III: 31. Cap: XIII: 30. 31. Cap: XV: 32. 1 Reg: XXI: 27. 2 Reg: V: 7. 8. Cap: VI: 30. Cap: XXII: 11. 14. 19. Es: XXXVI: 22. Cap: XXXVII: 1; quod significabat Zelum pro doctrina ac vero, quod sic laceratum; tum humiliationem, quod nihil apud eos, quod significatur per ornatum vestium. Quod per Velamina, Tegumenta, Amictus aut Vestes talia significentur, etiam a prophetia Jacobi, tunc Israëlis, patet, „Ligabit ad vitem pullum suum, et ad vitem „nobilem filium asinae suae; lavabit in vino *Vestimentum* suum, „et in sanguine uvarum *Velamen* suum," Gen: XLIX: 11; quid haec significant, nemo scire potest, nisi ex sensu interno, quid nempe vitis, vitis nobilis, pullus, filius asinae, vinum, sanguis uvarum, vestimentum, et velamen; quod de Domino, qui ibi vocatur Schiloh, manifestum est; agitur ibi de Jehudah, per quem repraesentatur Divinum coeleste Domini; per vestimentum quod lavaret in vino, et per velamen quod in sanguine uvarum, significatur Ipsius Rationale et Naturale, quod Divinum faceret: similiter apud Esaiam, „Quis hic veniens ex „Edom, infectus *Vestes* ex Bozra, hic honorabilis in *Vestitu* „*suo*, incedens in multitudine roboris sui: quare rubicundus „quoad *Vestem* tuam, et *Vestis* tua sicut calcantis in torculari; „et torcular calcavi solus ego, et de populis non quisquam me„cum: sparsa est victoria eorum super *Vestes meas*, et omne „*Indumentum* meum pollui," LXIII: 1. 2. 3; ubi etiam Vestes et Indumentum pro Humano Domini, quod per pugnas tentationum et victorias Divinum ex propria potentia fecit, quare dicitur, torcular calcavi solus ego, et de populis non quisquam Mecum: quod Isacus odoraretur *odorem Vestium Esavi*,

et sic benediceret, Gen: XXVII: 27, simile involvit. Ipsum Sanctum Divini Humani Domini, etiam fuit Vestimentum, quod apparuit sicut Lux, et sicut Album fulgurans, cum transformatus, de quo ita apud Matthaeum, „Cum Jesus transformatus, splenduit facies Ipsius sicut Sol, *Vestimenta* Ipsius facta „sunt sicut Lux," XVII. 2: apud Lucam, „Jesus cum oraret, „facta est species faciei Ipsius alia, Ipsius *Vestimentum album* „*fulgurans*," IX: 29: et apud Marcum, „Cum Jesus trans„formatus, *Vestimenta Ipsius* facta *splendentia*, alba valde „sicut nix, cujusmodi fullo super terra non potest dealbare," IX: 3. Vestes sanctitatis, quibus indutus Aharon, cum intraret intra velum, quae erant lini, simile repraesentabant, Levit: XVI: 2. 4: pariter Vestes sanctitatis quae ad gloriam et decus, ac Ministerii, de quibus Exod: XXVIII: 2 ad f. Cap: XXXIX: 1 ad f; in illis ne hilum erat, quod non repraesentabat.

2577. Et cum omnibus, quod significet quod et vera quae inde, nempe scientifica et sensualia, constat ab illis quae supra dicta sunt, atque ipsa serie, dicitur enim mox supra, ecce illud tibi velamen oculorum *omnibus* qui tecum, per quae significantur vera rationalia, quae instar velaminis veris spiritualibus sunt, et nunc iterum dicitur, *cum omnibus*, quibus ideo significantur vera adhuc inferiora, quae sunt ex rationalibus, haec non alia sunt, quam quae vocantur vera scientifica, et vera sensualia; quod ex rationalibus sint vera scientifica et vera sensualia, constat ex ordine influxus, interiora influunt in exteriora, seu quod idem, superiora in inferiora, non autem vicissim; apparet quidem aliter, nempe quod per sensualia et scientifica homo rationalis fiat, sed hoc est fallacia, Bonum a Domino per facultatem rationalem hominis jugiter influit et occurrit, et sibi adoptat scientifica, et quantum eorum sibi adoptare potest, et rite disponere, tantum rationalis fit: hoc similiter se habet, ac cum bono et veris quae dicuntur fidei; bonum a Domino influit in vera, et ea sibi adoptat, et quantum eorum sibi adoptare potest, tantum spiritualis fit homo; tametsi apparet, sicut vera, quae dicuntur fidei, influant, et hominem spiritualem reddant: apparentia haec etiam est causa, quod tantum hodie colatur verum quod est fidei, et non cogitetur de bono, quod est charitatis.

2578. Quod vindicata, significet quod sic nulla culpa, et nulla noxa, constat ab omnibus illis, quae praecedunt, quorum haec est clausula.

2579. Vers: 17. *Et oravit Abraham ad Deum, et sanavit Deus Abimelechum, et uxorem ejus, et ancillas ejus, et pepererunt.* Oravit Abraham ad Deum, significat revelationem: et sanavit Deus Abimelechum, significat doctrinae integritatem quoad bonum: et uxorem ejus, significat quoad verum: et ancillas ejus, significat quoad affectiones doctrinalium: et pepererunt, significat fertilitatem.

2580. Oravit Abraham ad Deum, quod significet revelationem, constat a significatione orare cum praedicatur de Domino, quod sit revelari, de qua n: 2535; et a repraesentatione Abrahami, quod sit Dominus, de qua pluries. In sensu literae sunt duo, nempe alius qui oravit, et alius ad quem oravit, nam dicitur oravit Abraham ad Deum, at in sensu interno, non sunt duo, sed unus, erat enim in Ipso Deus seu Jehovah, qui revelavit, nam a Jehovah conceptus: sed quantum humani materni, tantum fuit alius: haec quomodo se habent, usque ad intellectum aegre cadere possunt in ideas, in angelicas quidem, quae sistuntur in luce coeli, non ita in humanas, quae nisi illuminatae ab illis quae sunt lucis mundi, non percipiunt; minus adhuc in illorum, quibus omne quod est lucis coeli, caligo est, ut sit nihil.

2581. Et sanavit Deus Abimelechum, quod significet doctrinae integritatem quoad bonum, constat a significatione sanare, quod sit integrum facere; et a repraesentatione Abimelechi, quod sit doctrina fidei spectans rationalia, n: 2510: quod sit quoad bonum, patet ex eo, quod etiam uxor ejus dicatur sanata, per quod significatur doctrinae integritas quoad verum; cum enim in Verbo maritus vocatur maritus, ut et cum nominatur, tunc ille significat bonum, et uxor verum; cum vero maritus dicitur vir, tunc is significat verum, et uxor bonum, de quo etiam n: 915. 1468. 2517.

2582. Et uxorem ejus, quod significet quoad verum, constat a significatione uxoris, quod sit verum, de qua mox supra, n: 2581.

2583. Et ancillas ejus, quod significet quoad affectiones

doctrinalium inde, constat a significatione ancillarum, quod sint affectiones rationalium et scientificorum, de qua n: 1895. 2567, [15] hic doctrinalium, quia praedicantur de doctrina fidei, fuerunt enim Abimelechi, per quem significatur doctrina fidei, n: 2509. 2510; omnia enim se praedicate habent ad illa, de quibus agitur.

2584. Et pepererunt, quod significet fertilitatem, constat a significatione parere et partus; in sensu interno Verbi non sunt nisi quam spiritualia et coelestia, quae significantur, quare ubi nominatur conceptio seu concipere, partus seu parere, nativitas seu nasci, generatio seu generare, tum qui gignunt ut pater et mater, et qui gignuntur ut filii et filiae, non nisi quam in spirituali sensu intelliguntur, nam Verbum in se est spirituale et coeleste; ita hic quoque parere, quo significatur fertilitas quoad illa, quae sunt doctrinae: quod per partus in Verbo non alii partus intelligantur, constare potest ab his locis: apud Samuelem, „Saturi pane conducti sunt, et famelici cessarunt, „usque dum *sterilis peperit septem*, *multiprolis* defecit; Jehovah occidit et vivificat, descendere facit in infernum, et ascen„dere facit," 1 Sam: II: 5. 6: apud Jeremiam, „Languet „*pariens septem*, exspirat animam suam; occidit sol ejus, dum „adhuc dies," XV: 9: apud Esaiam, „Canta *sterilis*, non *pe„perit;* persona cantu et jubila, non *parturivit*, quia multi filii „desolatae, prae filiis maritatae, dixit Jehovah," LIV: 1: apud Davidem, „Vox Jehovae *parturire facit* cervas, et de„nudat sylvas; et in templo Ipsius omnis Ipsius dicit gloriam," Psalm: XXIX: 9: apud Esaiam, „Erubesce Zidon, quia dixit „mare, munimentum maris, dicendo, non *parturivi*, non *pe„peri*, nec educavi juvenes, et adolescere feci puellas, sicut „cum fama Aegypto, *parturient*, secundum famam Tyri," XXIII: 4. 5: apud Eundem, „Antequam *parturit*, *parit*, et „antequam venit dolor ei, *enixa est masculum;* quis audivit „sicut hoc, quis vidit sicut illa, num *parturit* terra die uno, et „num *parere faciam*, dixit Jehovah; an Ego *parere faciens*, „et occludam, dixit Deus tuus," LXVI: 7. 8. 9: apud Jeremiam, „Interrogate quaeso, et videte, si *pariens mas;* quare „vidi omnem virum manus ejus super lumbis suis, sicut *parien„tis*," XXX: 6: apud Ezechielem, „Dabo ignem in Aegypto,

„et *parturiendo parturiet* Sin, et No sit," XXX: 16: apud Hoscheam, „Ephraim, sicut avis avolabit gloria eorum, a *par-„tu*, et ab *utero*, et a *conceptione*," IX: 11; apud Eundem, „Dolores *parturientis* venerunt Ephraimo, is filius non sapiens, „quia tempore non stabit in *fractura matricis* filiorum," XIII: 13: apud Johannem, „Mulier circumdata sole, et luna sub „pedibus ejus, et super capite ejus corona stellarum duodecim; „*in utero gerens*, clamavit *parturiens*, et cruciata ad *parien-„dum*: draco stetit coram muliere, quae *paritura erat*, ut „quando *peperisset* filium suum, devoraret; *peperit* itaque fi-„lium masculum, qui pasturus erat omnes gentes virga ferrea; „sed raptus est puer ad Deum, et thronum Ipsius," Apoc: XII: 1. 2. 4. 5. Ex his omnibus locis quisque videre potest, quod non alii conceptus et partus significentur, quam qui sunt Ecclesiae; similiter ex his quae de Abimelecho dicuntur, quod sanaret Deus Abimelechum, uxorem ejus, et ancillas ejus, et *pepererunt*; et quod *claudendo clauserit* Jehovah *omnem uterum* domus Abimelechi, propter verbum Sarae, uxoris Abrahami; quid in sensu interno per haec significatur, constare potest ab explicatione eorum, nempe quod status doctrinae fidei, qualis est, dum spectatur a veris Divinis, et qualis est dum spectatur a rationali, quod nempe, cum a veris Divinis, hoc est, a Verbo, tunc omnia et singula tam rationalia quam scientifica confirment; aliter cum ab humanis, hoc est, a ratione et scientia, quod tunc nihil boni et nihil veri concipiatur; nam spectare a Verbo, est a Domino, at spectare a ratione et scientia, est ab homine, ex illo est omnis intelligentia et sapientia, ex his est omnis insania et stultitia.

2585. Vers: 18. *Quia claudendo clausit Jehovah propterea omnem uterum domus Abimelechi, propter verbum Sarae, uxoris Abrahami.* Quia claudendo clausit Jehovah propterea omnem uterum domus Abimelechi, significat sterilitatem doctrinae: propter verbum Sarae, significat per rationale si se conjunxisset: uxoris Abrahami, significat ut verum spirituale conjungeretur bono coelesti.

2586. Quia claudendo clausit Jehovah propterea omnem uterum domus Abimelechi, quod significet sterilitatem, nempe doctrinae, constat a significatione claudendo claudere uterum,

quod sit inhibere ipsam conceptionem; et a significatione domus Abimelechi, quod sit bonum doctrinae fidei; inde quod sterilitas significetur, patet. Quod supra in hoc Capite dictum sit Deus, hic autem primum Jehovah, est quia Deus dicitur ubi de Vero, at Jehovah ubi de Bono, agitur; omnis conceptio doctrinae est ex Bono ut Patre, at partus per Verum ut a Matre, ut aliquoties prius dictum est; hic agitur de Conceptione quae quia ex Bono, nominatur Jehovah, supra autem de partu, qui quia per Verum, dicitur Deus, ut in Versu praecedente, „Sanavit *Deus* Abimelechum, uxorem ejus, et ancillas ejus, „et *pepererunt;*" similiter etiam alibi in Verbo, ubi agitur de Conceptione, ut apud Esaiam, „*Jehovah* ab *utero* vocavit me: „dixit *Jehovah* formator meus ab *utero;* tunc pretiosus ero *Je*„*hovae;* et *Deus* meus erit robur meum," XLIX: 1. 5, robur praedicatur de vero, quare dicitur Deus: apud Eundem, „Sic dixit *Jehovah*, factor tuus, et formator tuus ab *utero*," XLIV: 2. 24, et alibi; ideo quoque dicitur domus Abimelechi, per quam significatur bonum doctrinae fidei, quod domus sit bonum, videatur n: 2048. 2233. 2234; et quod Abimelechus doctrina fidei, n: 2509. 2510. Quod arcanum Divinum sit in eo, quod pepererunt; et quod clausi sint uteri domus Abimelechi, propter Saram, patet, quod arcanum nusquam nisi per sensum internum detegitur.

2587. Propter verbum Sarae, quod significet per rationale si se conjunxisset, constat a repraesentatione Sarae, ut sororis, quod sit verum rationale, de qua n: 2508; verbum Sarae significat omnem rem transactam, quod nempe soror dicta, quod Abimelechus acceperit illam, sed quod non appropinquaverit ad illam: quid porro haec significant, in mox sequentibus dicetur.

2588. Uxoris Abrahami, quod significet ut Verum spirituale conjungeretur Bono coelesti, constat a repraesentatione Sarae ut uxoris, quod sit Verum spirituale conjunctum Bono coelesti, de qua n: 1468. 1901. 2063. 2065. 2172. 2173. 2198. 2507, et a repraesentatione Abrahami, quod sit Bonum coeleste conjunctum Vero spirituali, de qua n: 2011. 2172. 2198. 2501: sive dicas Verum spirituale et Bonum coeleste, sive Dominum, idem est, quia Dominus est ipsum Verum et

ipsum Bonum, ac ipsum Conjugium Veri et Boni ac Boni et Veri. Quomodo haec se habent, constare quidem potest ab explicatione, sed quia inter obscura sunt, quae hodie, licet quantum fieri potest illa illustrare: de Doctrina fidei hic agitur, de qua Dominus in pueritia cogitavit, scilicet num liceret in illam intrare per rationalia, et sic sibi de illa ideas formare; quod hoc cogitatum, erat ex amore consulendi Generi humano, quod tale est, ut quod non rationali modo capit, non credat; sed percepit ex Divino, quod hoc non fieri deberet, quare ex Divino illam sibi revelavit, et tunc inde etiam omnia in universo, quae subjecta sunt, nempe quae rationalium, et quae naturalium. Quomodo se habet cum doctrinalibus fidei apud homines, supra n: 2568, dictum est, nempe quod duo principia sint, ex quibus cogitant, negativum et affirmativum; quodque ex principio negativo illi, qui nihil credunt nisi convincantur per rationalia et scientifica, imo per sensualia; et quod ex affirmativo illi, qui credunt quod vera sint, quia Dominus dixit in Verbo, ita qui fidem habent Domino: qui in negativo sunt, quod verum sit quod in Verbo, dicentes corde, quod tunc credere velint, cum per rationalia et scientifica persuadentur, cum iis ita est, quod nunquam credant, imo nec si per ipsa sensualia corporis, ut per visum, et auditum, et per tactum, convincerentur, semper enim nova ratiocinia formarent contra illa, ita tandem exstinguendo prorsus omnem fidem, ac simul lucem rationalis vertendo in tenebras, quia in falsa: qui autem in affirmativo sunt, hoc est, qui credunt quod vera sint, quia Dominus ita dixit, cum illis ita est, quod per rationalia, et scientifica, etiam per sensualia, jugiter confirmentur, ac ideae eorum illustrentur, et corroborentur; nam homo non aliunde habet lucem, quam per rationalia et scientifica, quisque etiam hoc facit; apud hos Doctrina sic vivendo vivit, et de iis dicitur, quod *sanentur* et *pariant*; apud illos autem Doctrina moriendo moritur, et de illis dicitur, quod *claudendo claudatur uterus*: ex his patet, quid sit per rationalia intrare in doctrinam fidei, et quid ex doctrina fidei intrare in rationalia, sed haec per exempla illustrentur: Ex doctrina Verbi est, quod primum et principale doctrinae sit amor in Dominum, et charitas erga proximum, illi qui in affirmativo in hoc sunt, possunt intrare in

quaecunque libet rationalia, et scientifica, imo sensualia, quisque secundum suam dotem, suam scientiam, et suam experientiam, imo quo plus intrant, eo plus confirmantur, nam universa natura confirmationis plena est: at qui hoc primum et principale doctrinae negant, et volunt prius convinci, quod ita sit per scientifica et rationalia, ii nusquam, quia negant corde, se patiuntur convinci, et continue pro alio principio, quod essentiale credunt, stant; ac iidem demum per confirmationes sui principii, tandem ita se occaecant, ut ne quidem scire possint quid amor in Dominum, et quid amor erga proximum; et quia se confirmant in contrariis, etiam tandem in eo, quod non alius amor dari queat, in quo jucundum, quam sui et mundi, et hoc eousque, si non doctrina, usque vita, amorem infernalem amplectantur loco amoris coelestis: cum illis autem, qui non in negativo, nec in affirmativo sunt, sed in dubitativo antequam negant vel affirmant, se habet ut supra n: 2568, [16] dictum, nempe quod qui ad vitam mali inclinant, in negativum cadant, qui autem ad vitam boni, in affirmativum ferantur. Sit etiam pro exemplo; inter primaria doctrinae fidei est, quod omne bonum a Domino, et omne malum ab homine seu a seipso; qui in affirmativo sunt quod ita sit, ii confirmare se possunt per multa quae rationalia sunt et scientifica, ut quod nusquam aliquod bonum influere possit quam ab Ipso Bono, hoc est, a fonte Boni, ita a Domino; quodque principium boni non aliunde esse possit, illustrando se per omnia, quae in se, in aliis, in communi, imo in universo creato, vere bona sunt, at qui in negativo sunt, ii in contrariis, per omnia quae usquam cogitant, se confirmant, usque adeo tandem, ut non sciant quid bonum, inter se disceptando quid summum, alte ignorando quod bonum coeleste et spirituale quod a Domino, sit, per quod vivificatur omne bonum quod infra est, et quod inde jucundum vere jucundum sit; quidam etiam, quod nisi a se bonum nusquam possit aliunde. Sit iterum pro exemplo, quod, qui in amore in Dominum et charitate erga proximum sunt, possint vera doctrinae recipere, et fidem habere Verbo, non autem qui in vita amoris sui et mundi sunt, seu quod idem, quod, qui in bono sunt, possint credere, non autem qui in malo; qui in affirmativo sunt, hoc possunt innumeris rationaliter et scienti-

fice confirmare; rationaliter quod verum et bonum concordent, non autem verum et malum, et quod sicut in malo etiam ex malo omne falsum sit, et si aliquibus usque verum, quod sit in labiis non in corde; scientifice ex multis, quod vera fugiant mala, et quod mala respuant vera: qui autem in negativo sunt, se confirmant in eo, quod unusquisque, qualiscunque sit, tametsi in continuo odio, in vindictae jucundis, ac in dolis, vivit, possit sicut alii credere, et hoc usque dum bonum vitae prorsus e doctrina rejiciant, quo rejecto non credunt quicquam. Ut adhuc pateat, quomodo se habet, sit exemplum, qui in affirmativo sunt, quod Verbum ita scriptum sit, ut sensum internum habeat, qui non apparet in litera; ii possunt multis se etiam per rationalia confirmare, ut quod per Verbum nexus homini cum coelo; quod correspondentiae dentur naturalium cum spiritualibus, et quod haec non ita appareant; quod ideae interioris cogitationis prorsus aliae sint, quam ideae materiales quae cadunt in voces linguae; quod homo dum in mundo etiam in coelo possit esse, quia natus ad utramque vitam, per Verbum quod pro utroque; quod lux quaedam Divina influat, apud quosdam, in intellectualia, et in affectiones, cum legitur Verbum; quod necessum sit, ut aliquod scriptum sit, quod descenderit e coelo, et sic quod illud non tale possit esse in sua origine, quale in litera; quod sanctum non possit esse, nisi a sanctitate quadam, quae intus; etiam potest per scientifica se confirmare, ut quod olim fuerint in repraesentativis, et quod Antiquae Ecclesiae scripta talia fuerint: etiam quod inde quoque scripta plurium inter gentes; et quod stylus inde veneratus sit ut sanctus in Ecclesiis, ac ut doctus apud gentes; plurium etiam libri possunt memorari: at qui in negativo sunt, haec omnia, si non negant, usque non credunt; et sibi persuadent quod Verbum sit quale in litera, apparens quidem mundanum, sed usque quod spirituale sit, ubi autem spirituale latet, non curant, at volunt ex multiplici causa; et hoc confirmare possunt multis. Ut ad captum simplicium etiam sistatur, sit etiam scientificum pro exemplo; qui in affirmativo sunt, quod visus non sit oculi sed quod sit spiritus, qui per oculum, ut per sui corporis organum, videt illa quae in mundo sunt, ii se confirmare possunt multis, ut ex loquelis quae audiuntur quod se referant ad vi-

sum quendam interiorem, et in illum transmutentur, quod fieri nequiret nisi visus interior esset; tum quicquid cogitatur, hoc videatur visu interiori, a quibusdam clarius et a quibusdam obscurius; praeter quod imaginativa se sistant visualibus non absimilia; ut et nisi spiritus qui in corpore, videat id quod oculus ut organum haurit, quod spiritus in altera vita nihil potuisset videre, cum tamen non aliter esse possit, quam is visurus innumerabilia et stupenda, quae oculus corporis nusquam potest; praeterea reflectere potest super somnia, imprimis prophetarum, in quibus aeque plura visa sunt, et hoc non per oculos; demum si philosophica sapiat, per hoc, quod exteriora non intrare possint in interiora, ut composita non in simplicia, ita non illa quae sunt corporis in illa quae sunt spiritus, sed vicissim; praeter perplura alia, ut tandem persuasus sit, quod spiritui sit visus, non oculo nisi a spiritu: at qui in negativo sunt, haec omnia vel dicunt naturalia, vel phantasias; et cum eis dicitur, quod spiritus multo perfectiori visu polleat et fruatur quam homo in corpore, irrident, et inter nugas rejiciunt, credentes quod tunc in tenebris victuri cum privantur visu oculi, cum prorsus contrarium sit, quod tunc in luce. Ab his exemplis patet, quid sit a veris intrare in rationalia et scientifica, et quid a scientificis et rationalibus in vera, quod nempe illud sit secundum ordinem, hoc autem contra ordinem; et cum fit secundum ordinem, quod illustretur homo, cum autem fit contra ordinem, quod occaecetur; inde liquet, quantum interest, ut vera sciantur, et credantur, a veris enim illustratur homo, a falsis autem occaecatur; a veris patet campus rationali immensus et fere illimitatus, a falsis autem, tametsi non ita apparet, paene nullus respective; inde sapientia tanta Angelis, quia in veris sunt, verum enim est ipsa lux coeli. Qui se occaecarunt per id, quod nihil credere voluerint, quod non sensibus caperent, usque tandem ut nihil crediderint, olim dicti sunt Serpentes arboris scientiae, ex sensualibus enim et inde fallaciis, quae facile cadunt in captum et fidem hominis, multum ratiocinati sunt, et plures seduxerunt, videatur n: 195. 196: in altera vita internoscuntur facile, ab aliis spiritibus, ex eo, quod de omnibus, quae sunt fidei, ratiocinentur num ita sit, quibus si millies et millies ostenditur quod ita sit, usque contra unum-

quodvis confirmans movent dubia negativa, et hoc si foret in aeternum; sunt ideo occaecati usque adeo, ut non iis sensus communis, hoc est, capere possint quid bonum et verum; et tamen unusquisque eorum putat, quod prae omnibus in universo sapiat, in eo ponentes sapientiam, ut, quod Divinum est, possint infringere, et deducere a naturali; multi, qui fuerunt aestimati ut sapientes in mundo, prae aliis tales sunt; quo plus enim aliquis ingenii dote et scientia pollet, et in negativo est, eo plus reliquis insanit; at quo plus aliquis ingenii dote et scientia pollet, et in affirmativo est, eo plus sapere potest: rationale per scientias excolere, nusquam negatum est; sed vetitum obfirmare se contra vera fidei, quae sunt Verbi. De his multum agitur in sensu interno Verbi imprimis Prophetici, ubi agitur de Aschure et Aegypto, per Aschurem enim significatur Ratiocinatio, n: 119. 1186; et per Aegyptum Scientia, n: 1164. 1165. 1186. 1462: *De iis, qui per scientifica et rationalia intrare volunt in doctrinalia fidei et Divina, ac inde insaniunt*, ita apud Esaiam, „Confundam *Aegyptum* in *Aegypto*, „et pugnabunt vir contra fratrem suum, et vir contra socium „suum, urbs contra urbem, et regnum contra regnum: et exhaurietur spiritus *Aegypti* in medio ejus, et consilium ejus „absorbebo: deficient aquae a mari, et fluvius exsiccabitur et „exarescet; et recedent flumina, comminuentur et exsiccabuntur fluvii *Aegypti*; calamus et ulva marcescent; omne semen „fluminis exarescet. Jehovah commiscuit in medio ejus spiritum perversitatum, et errare fecerunt *Aegyptum* in omni opere ejus, secundum errare ebrium in vomitu suo," XIX: 2. 3. 5. 6. 7. 14: apud Eundem, „Vae filiis refractariis, qui abeunt ad descendendum in *Aegyptum*, sed os meum non interrogarunt, ad roborandum se robore *Pharaonis*, et ad confidendum in umbra *Aegypti*: et erit vobis robur *Pharaonis* „in pudorem, et fiducia in umbra *Aegypti* in ignominiam," XXX: 1. 2. 3: apud Eundem, „Vae descendentibus in *Aegyptum* pro auxilio, et super equis innituntur, et confidunt super „curru quod multus, sed non respiciunt ad Sanctum Israëlis, „et Jehovam non quaerunt. Et Jehovah extendet manum suam, „impinget auxilians, et cadet adjutus, et simul omnes illi consumuntur: et cadet *Aschur* gladio non viri, et gladius non

„hominis comedet eum," XXXI: 1. 3. 8: apud Jeremiam, „Duo mala fecit populus meus, me deseruerunt, fontem aquarum vivarum, ad excidendum sibi foveas, foveas fractas, quae „non continent aquas. Nonne servus Israël, si natus domus [17] „ille, quare factus est in praedam; annon hoc facis tibi, „deserendo te Jehovah Deum tuum, tempore cum ducit te in „viam; et nunc quid tibi cum via *Aegypti* ad bibendum aquas „Schichoris, aut quid tibi cum via *Aschuris* ad bibendum aquas „fluvii: o generatio, vos videte Verbum Jehovae, num desertum fui Israëli, num terra tenebrarum, quare dixerunt po „pulus meus, dominabimur, non veniemus ultra ad te, cur „abis strenue ad mutandum viam tuam, etiam ab *Aegypto* pudefies, sicut pudefacta es ab *Aschure*," II: 13. 14. 17. 18. 31. 36: apud Eundem, „Audite verbum Jehovae, reliquiae „Jehudae, sic dixit Jehovah Zebaoth Deus Israëlis, si vos ponendo posueritis facies vestras ad veniendum in *Aegyptum*, „et veneritis ad peregrinandum ibi; et erit, gladius, a quo „vos timentes vobis, ibi prehendet vos in terra *Aegypti*, et „fames de qua vos verentes, ibi adhaerebit vobis in *Aegypto*, „ut ibi moriamini: et erunt omnes viri, qui posuerunt facies „suas ad veniendum in *Aegyptum*, ad peregrinandum ibi, morientur gladio, fame et peste, et non erit illis superstes aut „evadens, a coram malo, quod Ego adducens super vos," XLII: 15. 16. 17, seq: apud Ezechielem, „Et cognoscant „omnes habitatores *Aegypti*, quod Ego Jehovah; propterea „quod illi fuerunt baculus arundinis domui Israëlis, in prehendendo te illum in vola, confringeris, et findes illis omnem „humerum, et in innitendo vos super te, frangeris, et stare „facies eis omnes lumbos: propterea sic dixit Dominus Jehovih, „ecce Ego adducens super te gladium, et exscindere faciam ex „te hominem et bestiam, et erit terra *Aegypti*, in desolationem et vastitatem, et scient quod Ego Jehovah, propterea „quod dixit, fluvius mihi, et ego feci," XXIX: 6. 7. 8. 9, seq: apud Hoscheam, „Fuit Ephraim sicut columba stulta, „*Aegyptum* invocabant, *Aschur* abiverunt; cum ibunt, expandam super eos rete meum; vae illis, quia divagati sunt a „me," VII: 11 12. 13: apud Eundem, „Ephraim pascens ventum, et persequens eurum, omni die mendacium, et vasta-

„tionem multiplicat, et foedus cum *Aschure* pangunt, et oleum „in *Aegyptum* defertur," XII: 2: apud Eundem, „Israël „scortatus est sub deo suo, dilexisti quaestum super omnibus „areis frumenti: revertetur Ephraim in *Aegyptum*, et in *Assur* immundum comedent; quia ecce abiverunt prae devastatione, *Aegyptus* congregabit eos, Moph sepeliet eos, desiderabile argento eorum spina possidebit, carduus in tentoriis „eorum: percussus est Ephraim, radix eorum exaruit, fructum „non facient; etiam cum genuerint, et interficiam desideria „ventris eorum, rejiciet eos Deus meus, quia non audiverunt „Ipsum, et erunt vagi inter gentes," IX: 1. 3. 6. 16. 17: apud Esaiam, „Vae *Aschur*, virga irae meae, et baculus is, „in manu eorum, indignationis meae, ille non rectum cogitat, „et cor ejus non rectum meditatur, quia ad perdendum in corde „ejus, et ad exscindendum gentes non paucas, siquidem dicit, „nonne principes mei simul reges: visitabo super fructum elationis cordis regis *Aschuris*, quia dixit, in robore manus meae „feci, et in sapientia mea, quia intelligens sum, et removebo „terminos populorum, et thesauros eorum depraedabor, ac „dejiciam, ut potens, habitatores; propterea mittet Dominus „dominorum Zebaoth in pingues ejus maciem, et loco gloriae „ejus incendendo incendetur incendium ignis," X: 5. 7. 8. 12. 13. 16: in his omnibus locis, per Aschurem, ut ostensum, significatur ratiocinatio; per Aegyptum et Pharaonem scientia; per Ephraimum intellectuale, et describitur ibi et pluries alibi, quale fit rationale hominis, cum ex negativo ratiocinatur de veris fidei: simile involvit, cum Rabshake missus a Rege *Aschuris* loquutus contra Hierosolymam et Hiskiam Regem, quod Angelus Jehovae in castris Regis *Aschuris* tunc percusserit centum et octoginta et quinque millia, de quibus apud Esaiam Cap: XXXVI et XXXVII, quibus significatur qualis strages rationalium hominis fit, cum contra Divina ratiocinatur, utcunque homo sibi apparet, quod tunc sapiens sit. Ratiocinatio haec vocatur etiam passim Scortatio cum filiis Aegypti, et cum filiis Aschuris, ut apud Ezechielem, „*Scortata es cum filiis Aegypti*, vicinis tuis, magnis carne, et multiplicasti *scortationem* „tuam, et *scortata es cum filiis Aschuris*, absque ut satiata „sis," XVI: 26. 28. Cap: XXIII: 3. 5 ad 21; videatur ne

2466. *De iis autem qui ex Doctrina fidei intrant in rationalia et scientifica, et inde sapiunt;* apud Esaiam, „In die illo „erit altare Jehovae in medio terrae *Aegypti*, et statua, juxta „terminum ejus, Jehovae, et erit in signum et in testem Jehovae Zebaoth in terra *Aegypti;* nam clamabunt ad Jehovam „propter oppressores, et mittet illis Servatorem et Principem, „et liberabit eos, et notus fiet Jehovah *Aegypto*, et cognoscent *Aegyptii* Jehovam in die illo, et facient sacrificium et „mincham, et vovebunt votum Jehovae, et reddent," XIX: 18 ad 21: apud Eundem, „In die illo erit semita ab *Aegypto* „ad *Aschurem*, et veniet *Aschur* in *Aegyptum*, et servient „*Aegyptii Aschuri;* in die illo erit Israël tertius *Aegypto* et „*Aschuri*, benedictio in medio terrae, cui benedicet Jehovah „Zebaoth, dicendo, benedictus populus meus *Aegyptus*, et „opus manuum mearum *Aschur*, et haereditas mea Israël," XIX: 23. 24. 25; ubi de Ecclesia spirituali, cujus spirituale est Israël, Rationale est Aschur, et Scientificum est Aegyptus, quae tria constituunt Ecclesiae illius intellectualia, quae ita succedunt, quare dicitur in die illo erit Israël tertius Aegypto et Aschuri, et benedictus populus meus Aegyptus, opus manuum mearum Aschur, et haereditas mea Israël: apud Eundem, „Erit „in die illo, clangetur in buccina magna, et venient pereuntes „in terra *Aschuris*, et expulsi in terra *Aegypti*, et incurvabunt se Jehovae in monte sanctitatis, in Hierosolyma," XXVII: 13: apud Eundem, „Sic dixit Jehovah, labor *Aegypti*, et „merces Kuschi et Sabaeorum, virorum mensurae, apud te „transibunt, et tibi erunt, post te ibunt, et ad te incurvabunt „se, ad te orabunt, tantummodo in te Deus, et nullus alius „praeterea Deus," XLV: 14; Kusch et Sabaei sunt cognitiones, n: 117. 1171: apud Sachariam, „*Aegyptus* ascendet „Hierosolymam, ad adorandum Regem Jehovam Zebaoth," XIV: 17. 18: apud Micham, „Ego in Jehovam respicio, expecto Deum salutis meae, audiet me Deus meus, dies ad aedificandum macerias tuas, dies hic, et usque ad Te venient „inde ab *Aschure*, et urbes *Aegypti*, et inde ab *Aegypto* „usque ad fluvium," VII: [7.] 11. 12: apud Ezechielem, „Sic „dixit Dominus Jehovih, a fine quadraginta annorum congregabo *Aegyptum* ex populis, quo dispersi fuerunt, et reducam

„ captivitatem *Aegypti*," XXIX: 13. 14: apud Eundem, „Ecce *Aschur* cedrus in Libano, pulchra ramo, et sylva umbrosa, „ et excelsa altitudine, et inter implexa fuit ramus ejus; aquae „ crescere fecerunt eam, cum fluviis suis vadens circum plantationem ejus, et aquaeductus suos emisit ad omnes arbores „ agri; propterea alta facta est altitudo ejus prae omnibus arboribus agri, et multiplicati sunt rami ejus, et longi facti rami „ ejus ab aquis multis: in ramis ejus nidificarunt omnis avis coelorum, et sub ramis ejus pepererunt omnis fera agri, et in umbra ejus habitarunt omnes gentes magnae; et pulchra facta „ est in magnitudine sua, in longitudine ramorum suorum, quia „ fuit radix ejus apud aquas multas: cedri non occultarunt eam „ in horto Dei; abietes non pares fuerunt ramis ejus, omnis arbor in horto Dei non par fuit illi in pulchritudine ejus: pulchram feci eam in multitudine ramorum ejus, et aemulatae „ sunt ei omnes arbores Eden, quae in horto Dei," XXXI: 3 ad 8: describitur hic Ecclesia Antiquissima, quae coelestis, quale ejus rationale fuit, et sic sapientia et intelligentia, quia Ecclesia illa ex Divinis illa quae infra erant, intuebatur, ita ex ipsis bonis vera, et inde quae subjecta sunt; Aschur et Cedrus est Rationale; implexa inter quae rami sunt scientifica; fluvii et aquae sunt bona spiritualia, apud quae radix; altitudo et longitudo ramorum est extensio ejus; hortus Dei est Ecclesia spiritualis; arbores Eden sunt perceptiones: inde et ex superioribus patet, quale est Rationale, et quale Scientificum hominis, cum subordinantur veris Divinis, et inserviunt illis confirmando. Quod rationalia et scientifica inserviant illis qui in affirmativo sunt, pro mediis sapiendi, repraesentatum et significatum est per quod mandatum filiis Israëlis, ut mutuo peterent ab *Aegyptiis* vasa auri, et vasa argenti, et vestes, Exod: III: 22. Cap: XI: 2. Cap: XII: 35. 36: Similiter per quod passim in Verbo dicatur, quod gentium bona, domos, vineas, et oliveta, et plura possiderent; ut et quod ipsum aurum et argentum, quod ereptum gentibus, sanctum fieret, ut apud Esaiam, „Visitabit Jehovah Tyrum, et redibit ad quaestum meretricium „ suum, et scortabitur cum omnibus regnis terrae super faciebus humi; et fiet mercatura ejus, et quaestus meretricius ejus „ *Sanctum Jehovae*, non recondetur et non reponetur, quia

„habitantibus coram Jehovah erit mercatura ejus ad comeden„dum ad satietatem, et ad tegumentum antiquum," XXIII: 17. 18; mercatura Tyri pro cognitionibus, n: 1201, quae illis qui in negativo, pro quaestu meretricio, at illis, qui in affirmativo, pro sancto: Simile etiam intelligitur per Domini verba, „Facite vobis amicos ex mammona injustitiae, ut quan„do defeceritis, suscipiant vos in aeterna habitacula: si in in„justo mammona fideles non existitis, quis verum vobis con„credet," Luc: XVI: 9. 11.

De Gentium et Populorum, qui extra Ecclesiam nati sunt, statu et sorte in altera vita.

2589. *Communis opinio est, quod illi, qui extra Ecclesiam nati sunt, qui Ethnici et Gentiles vocantur, non possint salvari, ex causa, quia non habent Verbum, ac ita ignorant Dominum, absque Quo nulla salus: sed usque ex illo solo sciri potest, quod illi quoque salventur, quia Domini Misericordia est universalis, hoc est, erga singulos; quod illi aeque nascantur homines, sicut qui intra Ecclesiam, qui pauci sunt respective; quodque eorum culpa non sit, quod ignorent Dominum: qualis itaque eorum status et sors est in altera vita, ex Divina Domini Misericordia, mihi ostensum est.*

2590. *Multis instructus sum, quod Gentiles, qui moratam egerunt vitam, ac obedientes fuerunt, inque charitate mutua vixerunt, ac secundum religiosum suum acceperunt instar conscientiae, in altera vita accepti sint, ac ibi cum sollicita cura ab Angelis instruantur in bonis et veris fidei; illi, cum instruuntur, modeste, intelligenter, et sapienter se gerunt, et facile recipiunt, et imbuuntur, nulla enim principia contra vera fidei sibi formarunt, quae discutienda, minus scandala contra Dominum, sicut plures Christiani qui vitam mali egerunt; praeterea tales non odio habent alios, non vindicant injurias, nec machinationes et dolos nectunt, imo Christianis bene volunt, cum vicissim hi illos contemnunt, etiam, quantum possunt, violant, sed eximuntur eorum immisericor-*

diae a Domino, et tutantur. Ita enim se cum Christianis et Gentilibus habet in altera vita, quod Christiani, qui agnoverunt vera fidei, et simul vitam boni egerunt, prae Gentilibus recipiantur, sed tales hodie pauci sunt; Gentiles autem, qui in obedientia et charitate mutua vixerunt, recipiantur prae Christianis, qui non ita bonam vitam egerunt. Omnes enim illi, in universo terrarum orbe, ex Misericordia Domini, recipiuntur et salvantur, qui in bono vixerunt, ipsum enim bonum est quod recipit verum, bonum vitae est ipsa humus seminis, hoc est, veri; malum vitae nusquam recipit; quamvis illi qui in malo sunt, instruerentur mille modis, imo tametsi instructissimi fierent, usque tamen vera fidei apud eos non ultra vadunt, quam in memoriam, nec penetrant ad affectionem, quae cordis; quare etiam vera illorum memoriae dissipantur, et nulla fiunt, in altera vita.

2591. *Sed sunt inter Gentiles, sicut inter Christianos, Sapientes et simplices; ut instruerer quales sunt, cum illis et his datum est loqui, quandoque per horas et dies; sed qui sapientes, hodie vix aliqui sunt, sed perplures antiquis temporibus, imprimis in Antiqua Ecclesia, a qua sapientia emanavit ad plures gentes; ut scirem quales fuerunt, cum quibusdam in familiari sermone esse datum: qualis itaque eorum sapientia prae hodierna fuit, ex his, quae sequuntur, constare potest.*

2592. *Fuit apud me quidam, qui olim inter sapientiores fuit, et quoque inde notus in Orbe Erudito, cum quo de variis loquutus sum; et quia cognovi, quod sapiens fuerat, sermo fuit cum illo de Sapientia, de Intelligentia, de Ordine, de Verbo, et demum de Domino: de Sapientia dixit, quod non alia sapientia detur, quam quae est vitae, et quod de alia re sapientia praedicari nequeat: de Intelligentia, quod illa sit inde: de Ordine, quod Ordo sit a Supremo Deo, et quod vivere in illo ordine, sit sapiens et intelligens esse: quod Verbum attinet, cum praelegerem illi aliquid ex Propheticis, delectatus est quam maxime, praecipue ex eo, quod singula Nomina, et singulae voces, significarent interiora, miratus valde, quod Eruditi hodie non delectentur tali studio; percepi manifeste, quod interiora ejus cogitationis seu mentis aperta*

essent, et tunc simul quibusdam Christianis, qui aderant, clausa, regnabat enim apud hos invidia contra eum, et incredulitas quod Verbum esset tale; imo cum pergerem legere Verbum, dixit, quod non adesse posset, quia sanctius perciperet, quam ut possit sustinere, ita enim interius afficiebatur; contra autem Christiani dicebant aperta voce, quod adesse possent, ex causa quia interiora iis clausa essent, et sancta eos non afficerent. Tandem fuit sermo cum illo de Domino, quod natus sit homo, sed conceptus a Deo, et quod exuerit humanum, et induerit Divinum, et quod Ille sit Qui universum regit, ad haec respondit, quod plura sciat de Domino, et appercepit suo modo, quod non aliter fieri potuisset, si salvaretur Genus humanum; interea quidam Christiani mali infundebant varia scandala, sed illa non curabat, dicens, quod non mirum sit, quia imbuerunt in vita corporis de illis non talia, sicut decet, et quod antequam talia discussa fuerint, non admittere possent illa quae confirmant, sicut ii qui ignorant. Hic fuerat Gentilis.

2593. *Loqui etiam datum est cum aliis, qui antiquis temporibus vixerunt, et qui tunc inter sapientiores fuerunt; visi primum antrorsum ad distantiam, ac ibi potuerunt appercipere interiora cogitationum mearum, ita plura plene, ex una idea cogitationis potuerunt scire integram seriem, et illam delectabilibus sapientiae cum repraesentationibus amoenis implere, inde perceptum, quod inter sapientiores essent, et dictum quod ab Antiquis; ac ita propius accesserunt, cumque tunc praelegerem illis aliquid ex Verbo, summopere delectati sunt; ipsam delectationem et jucunditatem eorum percipere dabatur, quae maxime inde erat, quod omnia et singula, quae audiebant ex Verbo, coelestium et spiritualium repraesentativa et significativa essent; dicebant, quod suo tempore, cum in mundo vixerunt, modus eorum cogitandi et loquendi, tum quoque scribendi, talis fuerit, et quod hoc sapientiae eorum studium.*

2594. *Quod autem Gentiles, qui hodie in tellure, attinet, illi non ita sapientes sunt, sed pleraque simplices corde; at usque recipiunt sapientiam in altera vita ii ex illis, qui in charitate mutua vixerunt, de quibus haec, quae sequuntur, referre licet.*

2595. *Audiebam gyrum quendam sonorum, sed crassiorem solito, ex sonoro illico cognovi, quod ex gentibus essent; dicebatur mihi ab angelis, quod essent gentiles, qui ante 3 vel 4 dies resuscitati sunt; audiebatur gyrus vel chorus per plures horas, et perceptum, quod etiam per breve illud tempus, quo audiebatur, magis et magis perficerentur; quod cum miratus, dicebatur, quod illi in choros, ita in consensus, possint initiari per unam noctem, cum plerique Christiani vix per 30 annos: gyri seu chori sunt, cum loquuntur plures simul, omnes sicut unus, et unusquisque sicut omnes: sed de gyris seu choris, ex Divina Domini Misericordia, alibi dicetur.*

2596. *Unus Chorus ad distantiam a me fuit quodam mane, ex chori repraesentationibus cognoscere datum, quod essent Chinenses, sistebant enim speciem hirci lanati, tum placentam ex miliis, et cochleare ebenum, ut et ideam urbis natatilis; desiderabant propius ad me venire, et cum se applicarent, dicebant quod soli apud me esse vellent, ut sua cogitata aperirent; sed dicebatur eis, quod soli non essent, et quod alii, qui indignantur, quod soli esse vellent, cum tamen hospites; indignatione eorum percepta, in cogitationem lapsi sunt, num praevaricati sint contra proximum, et num quicquam sibi vindicaverint quod aliorum esset: (Cogitationes in altera vita omnes communicantur:) commotionem eorum percipere datum, erat agnitionis quod forte eos laeserint, tum pudoris inde, et una aliarum affectionum probarum, inde quod charitate essent praediti, cognoscebatur: mox loquutus cum illis, tandem etiam de Domino, cum Ipsum nominarem Christum, repugnantia quaedam apud eos percepta est, sed causa detegebatur, quod traxerint id e mundo, ex eo, quod noverint Christianos pejus vivere quam illi, et in nulla charitate; at cum Dominum simpliciter nominarem, tunc interius commoti sunt: instruebantur dein ab Angelis, quod Christiana doctrina prae omni alia in universo orbe, amorem et charitatem praescribat, sed quod pauci sint, qui secundum illam vivunt.*

2597. *Sunt Gentiles, qui, cum vixerunt in mundo, ex conversatione et fama cognoverunt, quod Christiani pessimam vitam agant, in adulteriis, in odiis et rixis, in ebrietate, et*

similibus, quae illi horruerunt, quia talia contra eorum leges, mores, et religiosa; illi in altera vita aliis timidiores sunt recipiendi vera fidei; sed instruuntur ab Angelis, quod doctrina Christiana, ac ipsa fides, prorsus aliud doceat, et quod illi minus quam Gentiles secundum doctrinalia vivant; quae cum appercipiunt, vera fidei recipiunt, et Dominum adorant, sed serius.

2598. *Cum legi Cap:* XVII *et* XVIII *Judicum de Micha, quod Danis filii abstulerint ejus sculptile, theraphim, et Levitam, tunc erat spiritus ex gentilibus, qui in vita corporis sui adoraverat sculptile; is cum attente audiret quid factum Michae, et in quo dolore fuit propter sculptile suum, quod abstulerunt Danitae, etiam illum superveniebat et afficiebat dolor, usque adeo, ut vix sciret prae interiore dolore quid cogitaret; qui dolor perceptus, et simul percepta innocentia in singulis ejus affectionibus: Christiani etiam spiritus aderant, et observabant, et mirati sunt, quod sculptilis adorator tanta misericordiae et innocentiae affectione moveretur: postea boni spiritus cum eo loquuti sunt, dicentes, quod sculptile non esset adorandum, et quod hoc intelligere posset quia homo, sed quod cogitare debeat extra sculptile de Deo Creatore et Gubernatore universi coeli et universae terrae, et quod ille Deus esset Dominus: cum haec dicebantur, percipere dabatur ejus adorationis affectum interiorem, qui mecum communicabatur, multo sanctiorem, quam apud Christianos; ex quo constare potuit, quod Gentiles facilius in coelum veniant, quam Christiani hodie qui non afficiuntur, secundum Domini verba apud Lucam, Cap:* XIII: 29. 30*; nam in statu, in quo erat, potuit imbui omnibus fidei, et illa cum interiore affectione recipere; apud eum erat misericordia quae est amoris, et in ejus ignorantia erat innocentia, quae cum adsunt, omnia fidei sicut sponte recipiuntur, et hoc cum gaudio: receptus est dein inter Angelos.*

2599. *Fuit etiam alius inter Gentiles, qui in bono charitatis vixerat, is cum Christianos spiritus audivit ratiocinantes de credendis (ratiocinantur multo plenius et acutius inter se spiritus quam homines, imprimis de bonis et veris, quia illa sunt alterius vitae:) ille miratus, quod ita disceptarent,*

dixit se non illa velle audire, nam ratiocinabantur ex fallaciis, instruens eos ita, si sum bonus, quae vera sunt, ex ipso bono possum scire, et quae non scio, possum recipere.

2600. *Gentiles probi in altera vita, utplurimum secundum status eorum vitae, et secundum eorum religiosum, quantum hoc fieri potest, instruuntur, ita diversis modis, hic solum tres licet referre.*

2601. *Quidam ex illis rediguntur in statum tranquillitatis quasi cujusdam somni, et tunc videntur sibi civitates parvas aedificare, ac in medio earum recondere aliquod arcanum, quod volunt ut a nemine violetur; civitates illas donant aliis, cum precibus ne violent arcanum in medio earum; innocentia sic illis insinuatur, tum charitas, cum idea quod arcanum sit de Domino; in hoc statu tenentur satis diu; est status ignorantiae, in qua innocentia: tutantur ab infantibus, ne quisquam eis damnum inferat. Cum illis loquutus sum, et statu eorum innocentiae et charitatis multum affectus, tum sollicitudine quomodo recondunt arcanum, ac timore sancto ne violetur.*

2602. *Una Gens est, dictum quod ex Indiis, cui hoc religiosum, quod colant Maximum Deum eo ritu, ut, cum adorant illum, primum se magnifaciant, sed mox sicut vermiculos substernant; tum quod super universum, quod credunt circumgyrari, sit Maximus ille Deus, spectans inde quid faciant: quia religiosa illis talia fuerant, in altera vita reducuntur in illa; cum quibus, cum talia sibi imaginati, loquutus: sunt quoad plurimam partem modesti, obedientes, ac simplices corde. Illi successive ab illa phantasia per Angelos liberantur; instruuntur enim secundum religiosum suum, quod Maximus Deus sit Dominus, et quod se magnifacere queant ex eo quod possint Ipsum adorare, et quod usque instar vermiculorum sint, et quod Dominus e supremo videat omnia et singula: ita per religiosum suum convenienter in cognitiones boni et veri perducuntur.*

2603. *Sunt quidam Gentiles ex illis regionibus, ubi nigri sunt, qui secum e vita e mundo trahunt, quod velint duriter tractari, credentes quod nemo in coelum possit venire, quam per punitiones et afflictiones; et quod dein laetiora, quae*


paradisiaca vocant, accipiant: illi, quia talia ex religioso secum habent, in altera vita etiam primum duriter tractantur a quibusdam, quos vocant diabolos, ac postea feruntur in paradisiaca, de quibus n: 1622, sed instruuntur ab Angelis, quod punitiones et afflictiones in bonum illis a Domino versae sint, sicut apud eos qui in tentationibus sunt; tum quod paradisiaca non sint coelum, sed affectio coelestium et spiritualium, quae in illis; et quod in quadam via veritatis fuerint, sed in umbra ignorantiae. Diu mecum loquuti sunt; quando in statu afflictionum erant, loquela eorum tunc erat quasi cum quodam collisu, ita distincta ab aliorum; sed illis peractis, cum ad paradisiaca sublati, non illis talis loquela amplius, sed paene Angelica. Ex religioso etiam suo habent, quod credunt, quod interiora habere velint, dicebant, cum duriter tractantur quod tunc nigri sint, at quod postmodum exuant nigredinem, ac induant candorem, scientes quod Animae eorum candidae sint, sed corpora nigra.

2604. *Commune est, quod Gentiles, qui adorarunt aliquem deum sub imagine aut statua, vel aliquod sculptile, dum in alteram vitam veniunt, introducantur ad quosdam, qui loco eorum deorum seu idolorum sunt, ex causa, ut phantasias suas exuant, apud quos cum per aliquot dies fuerunt, inde auferuntur. Qui adorarunt homines, etiam quandoque ad eos, vel ad alios qui loco eorum, introducuntur; sicut plures ex Judaeis, ad Abrahamum, Jacobum, Mosen, Davidem, sed cum appercipiunt, quod tale humanum iis sicut aliis, ac nihil opis ferre possint, pudefiunt, et ad sua loca secundum vitam feruntur. Inter Gentes in altera vita diliguntur maxime Africani; hi enim facilius reliquis recipiunt bona et vera coeli: volunt imprimis dici obedientes, non vero fideles, dicunt quod Christiani, quia fidei doctrinam habent, possint fideles nominari, ii vero non, nisi illam recipiant, aut, ut dicunt, recipere possint.*

2605. *Loquutus sum cum quibusdam, qui in Ecclesia Antiqua fuerunt, et qui tunc noverunt de Domino quod venturus, ac imbuti bonis fidei, sed usque desciverunt, et facti idololatrae; erant antrorsum versus sinistrum, in loco tenebricoso, et in statu miserabili; loquela eorum fuit sicut tibia-*

lis, unius toni, paene absque cogitationis rationali; dicebant, quod ibi fuerint per multa saecula, et quod inde quandoque eximantur, ut inserviant aliis pro aliquibus usibus, qui viles sunt. Ex illis cogitare datum de pluribus Christianis, qui non exterius sed interius idololatrae sunt, ac corde negant Dominum, ita quoque vera fidei, qualis sors eos in altera vita maneat.

FINIS.



PARS SECUNDA.

LIBRI GENESEOS

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

2606. Verbum Veteris Testamenti olim vocatum fuit *Lex et Prophetae*, per Legem intellecta fuerunt omnia Historica, quae sunt Libri quinque Mosis, Josuae, Judicum, Samuelis, et Regum; per Prophetica, omnia prophetica, quae sunt Esaiae, Jeremiae, Ezechielis, Danielis, Hoseae, Joëlis, Amosi, Obadiae, Jonae, Michae, Nahum, Habakuk, Zephaniae, Haggai, Sachariae, Malachiae, tum quoque Psalmi Davidis. Historica Verbi etiam dicuntur Moses, inde passim pro Lege et Prophetis, dicitur Moses et Prophetae; et Prophetica Elias, videatur Praefatio ad Cap: XVIII. Genes:

2607. Quod Historica attinet, sunt omnia historice vera, quae ibi; praeter quae in Primis Capitibus Geneseos, quae historica facta sunt, de quibus in Parte Prima: et tametsi historice vera sunt, usque sensum internum habent, et in eo sensu, sicut Prophetica, agunt unice de Domino, agunt etiam de Coelo et Ecclesia, et quae Coeli et Ecclesiae sunt, sed illa, sunt Domini, quare per illa spectant Dominum, inde sunt Verbum; historica ibi omnia sunt repraesentativa, et singula verba, quibus describuntur, sunt significativa: quod historica sint repraesentativa, constat ab illis, quae hactenus de Abrahamo explicata sunt, et constabit ab illis, quae de Isaco, de Jacobo, ejus duodecim filiis, de Aegypto, de peregrinatione populi in deserto, de ingressu ejus in terram Canaanem, et de reliquis, ex

Divina Domini Misericordia, explicanda sunt: quod singula verba, quibus describuntur, sint significativa, patet etiam ab illis, quae ostensa sunt, ut quod Nomina significent res, sicut Aegyptus scientiam, Aschur rationale, Ephraim intellectuale, Tyrus cognitiones, Zion Ecclesiam coelestem, Hierosolyma Spiritualem, et sic reliqua; similiter voces, sicut quod Rex significet verum, Sacerdos bonum, et quod in suo interno significatu sint reliquae, sicut Regnum, Urbs, Domus, Gens, Populus, Hortus, Vinea, Olivetum, Aurum, Argentum, Aes, Ferrum, Aves, Bestiae, Panis, Vinum, Oleum, Mane, Dies, Lux, et hoc constanter, tam in Libris historicis quam propheticis, tametsi a variis scripti sunt, et diversis temporibus; quod nusquam tam constans foret, nisi Verbum e Coelo descenderit. Exinde sciri potest, quod sensus internus sit in Verbo, praeter etiam ex eo, quod Divinum Verbum nusquam agere possit de meris hominibus, ut de Abrahamo, Isaco, Jacobo, posteritate eorum, quae pessima gentium fuit, de regibus eorum, uxoribus, filiis, filiabus, meretricibus, rapinis, et parilibus, quae in se spectata ne quidem digna sunt ut nominentur in Verbo, nisi per illa repraesentata et significata sint talia quae in Regno Domini, haec sunt Verbo digna.

2608. His similia sunt quoque plurima apud Prophetas, sicut illa, quae n: 1888, allata sunt; et hoc apud Esaiam; „Ejulabit Moabus, Moabus totus ejulabit, ob fundamenta Chir „Charesch, lugetis veruntamen attriti, nam agri Chesbonis de„fecerunt, Vitis Sibmae; domini gentium contundunt palmites, „usque a Jaëser pertigerunt, errarunt deserto, propagines ejus „divulsae sunt; transiverunt mare, propterea deflebo fletu Jaë„serem, vitem Sibmae; rigabo te lachryma mea Chesbon et „Elealeh, quia super vindemia, et quia super messe tua, he„dad cecidit," XVI: 7. 8. 9: et apud Jeremiam, „Vox cla„moris in Choronaim, devastatio et contritio magna, confracta „est Moab, audiri fecerunt clamorem minorennes ejus, quia „ascensu Luchith in fletu ascendit fletus, quia in descensu Cho„ronaim hostes clamorem confractionis audiverunt. Judicium „venit ad terram planitiei, ad Chalonem, et ad Jachzam, et „ad Maphaatam, et super Dibonem, et super Nebonem, et „super Bethdiblathaim, et super Kirjathaim, et super Bethga-

„mul, et super Bethmeon, et super Krioth, et super Boz„ram," XLVIII: 3. 4. 5. 21. 22. 23. 24: talia sunt perplurimis in locis prophetica Verbi; quae nisi sensum internum haberent, nullius usus forent; cum tamen necessum sit, ut Verbum quia Divinum, in se contineat leges Regni coelestis, in quod homo venturus.

2609. Quod autem *Praecepta* vitae attinet, ut sunt omnia Decalogi, et plura in Lege et Prophetis, illa, quia ipsi vitae hominis inserviunt, sunt usui in utroque sensu, tam in literali quam in interno; quae in sensu literali, fuerunt pro populo et populis istius temporis, qui interna non capiebant; quae in sensu interno, fuerunt pro Angelis, qui externa non curant: nisi Praecepta decalogi etiam continerent interna, nusquam cum tanto miraculo promulgata fuissent in monte Sinai; talia enim, quae ibi, ut quod honorandi parentes, non furandum, non occidendum, non adulterandum, non concupiscenda alterius, sunt quae etiam gentiles norunt, et in suis legibus praescripta habent, et quae filii Israëlis quatenus homines novisse debuerunt absque tali promulgatione; sed quia Praecepta illa inserviebant vitae in utroque sensu, et erant sicut formae externae productae ab internis, quae sibi correspondent, ideo e coelo super monte Sinai cum tanto miraculo descendebant, ac in sensu interno dicta et audita in Coelo, at in sensu externo dicta et audita in terra; ut pro exemplo, quod qui honorarent parentes iis prolongarentur dies super terra, Angeli, qui in coelo, per parentes percipiebant Dominum, per terram Ipsius Regnum, quod in aeternum sicut filii et haeredes possiderent, qui Ipsum ex amore et fide colunt: homines autem in terra, per parentes intelligebant parentes, per terram terram Canaanem, per prolongationem dierum annos vitae; quod non furandum, Angeli, qui in coelo, percipiebant, quod nihil adimerent Domino, et sibi justitiae et meriti aliquid tribuerent; homines autem in terra, quod non furandum; haec quod vera sint in utroque sensu, constat: adhuc, quod non occidendum, angeli in coelo percipiebant, quod non odio aliquem haberent, et quod non exstinguerent aliquid boni et veri apud aliquem; at homines in terra, quod non occidendi amici: ita in reliquis.

CAPUT XXI.

1. Et Jehovah visitavit Saram, quemadmodum dixit; et fecit Jehovah Sarae, quemadmodum loquutus est.

2. Et concepit et peperit Sarah Abrahamo filium senectuti illius, ad tempus statum, ut loquutus fuit cum illo Deus.

3. Et vocavit Abraham nomen filii sui nati sibi, quem peperit ei Sarah, Jischak.

4. Et circumcidit Abraham Jischakum filium suum, filium octo dierum, quemadmodum praecepit illi Deus.

5. Et Abraham filius centum annorum, cum nasceretur illi Jischak filius ejus.

6. Et dixit Sarah, risum fecit mihi Deus, omnis audiens ridebit mihi.

7. Et dixit, quis dixisset, Abrahamo, lactabit filios Sarah, quia peperi filium senectuti illius.

8. Et crevit natus, et ablactatus, et fecit Abraham convivium magnum, in die cum ablactavit Jischakum.

9. Et vidit Sarah filium Hagaris Aegyptiae, quem peperit Abrahamo, illudentem.

10. Et dixit Abrahamo, ejice ancillam hanc, et filium ejus, quia non haereditabit filius ancillae [hujus] cum filio meo, cum Jischako.

11. Et malum fuit verbum valde in oculis Abrahami ob causas filii sui.

12. Et dixit Deus ad Abrahamum, ne malum sit in oculis tuis super puerum, et super ancillam tuam; omne quod dicit ad te Sarah, audi voci ejus, quia in Jischako vocabitur tibi semen.

* * *

13. Et etiam filium ancillae in gentem ponam eum, quia semen tuum ille.

14. Et mane surrexit Abraham in matutino, et accepit panem, et lagenam aquae, et dedit ad Hagarem, posuit super humero ejus, et puerum, et emisit illam; et ivit et erravit in deserto Beerscheba.

15. Et consumtae sunt aquae e lagena, et conjecit puerum sub unum fruticum.

16. Et ivit, et sedit sibi e regione, elongando se circiter jactum arcus; quia dixit, ne videam mortem pueri, et sedit e regione, et sustulit vocem suam, et flevit.

17. Et audivit Deus vocem pueri, et clamavit Angelus Dei ad Hagarem e coelo, et dixit ei, quid tibi Hagar, ne timeas, quia audivit Deus vocem pueri, in quo ille ibi.

18. Surge, tolle puerum, et corrobora manum tuam in illo, quia in gentem magnam ponam illum.

19. Et aperuit Deus oculos ejus, et vidit puteum aquae, et ivit, et implevit lagenam aquae, et potavit puerum.

20. Et fuit Deus cum puero, et crevit, et habitavit in deserto, et fuit jaculator arcus.

21. Et habitavit in deserto Paran, et accepit illi mater ejus uxorem e terra Aegypti.

* * *

22. Et fuit in tempore illo, et dixit Abimelech, et Phicol princeps exercitus ejus, ad Abrahamum, dicendo, Deus tecum in omnibus quae tu faciens.

23. Et nunc jura mihi in Deum hic, si mentitus fueris mihi, et filio meo, et nepoti meo, secundum benignitatem, quam feci tecum, facias mecum, et cum terra, in qua peregrinatus es.

24. Et dixit Abraham, ego jurabo.

25. Et redarguit Abraham Abimelechum, ob causas putei aquae, quem eripuerunt servi Abimelechi.

26. Et dixit Abimelech, non novi, quis fecit verbum hoc, et etiam tu non indicasti mihi, et etiam ego non audivi, praeterquam hodie.

27. Et accepit Abraham gregem et armentum, et dedit Abimelecho, et percusserunt ambo illi foedus.

28. Et statuit Abraham septem agnas gregis solas eas.

29. Et dixit Abimelech ad Abrahamum, quid hae septem agnae illae, quas statuisti solas.

30. Et dixit, quia septem agnas accipies e manu mea, propterea sit mihi in testimonium, quod fodi puteum hunc.

31. Propterea vocavit locum illum Beerscheba, quia ibi juraverunt ambo illi.

32. Et percusserunt foedus in Beerscheba: et surrexit Abimelech, et Phicol princeps exercitus illius, et reversi sunt ad terram Philistaeorum.

33. Et plantavit lucum in Beerscheba, et invocavit ibi Nomen Dei aeternitatis.

34. Et peregrinatus est Abraham in terra Philistaeorum diebus multis.

CONTENTA.

2610. In sensu interno hic agitur primum de Divino Rationali Domini, quod repraesentatur per Jischakum, Vers: 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8.

2611. Deinde de Rationali mere humano, quod tunc separatum, quod est filius Hagaris Aegyptiae, Vers: 9. 10. 11. 12.

2612. Postquam hoc separatum, repraesentatur per eundem, nempe per filium Hagaris, ut et per matrem, Ecclesia spiritualis, de qua et cujus statu, Vers: 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21.

2613. De Rationalibus humanis adjunctis doctrinae fidei, quae in se est Divina, Vers: 22 ad finem.

2614. Doctrina cum illis adjunctis est Beerscheba, Vers: 14. 31 33.

SENSUS INTERNUS.

2615. Vers: 1. *Et Jehovah visitavit Saram, quemadmodum dixit, et fecit Jehovah Sarae, quemadmodum loquutus est.* Jehovah visitavit Saram, significat praesentiam Divini Coelestis in Divino spirituali: quemadmodum dixit, significat sicut perceperat: et fecit Jehovah Sarae, significat statum unitionis: quemadmodum loquutus est, significat sicut cogitavit.

2616. Jehovah visitavit Saram, quod significet praesentiam Divini coelestis in Divino spirituali, constat a significatione Jehovae, quod sit Divinum coeleste, hoc est, Divinum Bonum, seu ipsum Esse, quod quia est amoris et Misericordiae, est ipsum Bonum: ex significatione visitare, quod sit praesens esse: et ex significatione Sarae, quod sit Divinum Spirituale, hoc est, Divinum Verum, de qua n: 1468. 1901. 2063. 2065. 2507.

2617. Quemadmodum dixit, quod significet sicut perceperat, constat ex significatione dicere in historicis Verbi, quod sit percipere, de qua n: 2238. 2260. 2552.

2618. Et fecit Jehovah Sarae, quod significet statum unitionis, nempe Divini spiritualis Domini in Divino coelesti Ipsius, constat ex significatione facere, cum praedicatur de Divino Domini, quod sit omne effectus, proinde status; et ex significatione Jehovae, tum Sarae, de qua mox supra n: 2616. Quod statum unitionis Divini spiritualis Domini in Divino Coelesti Ipsius, attinet, est ipsum Conjugium Boni et Veri, unde Conjugium Coeleste, quod Conjugium est Regnum Domini in coelis et terris, ideo Regnum Domini toties in Verbo dicitur Conjugium, et comparatur Conjugio; causa, quae arcanum, est, quia ex Conjugio Divino Boni et Veri, et Divini Veri et Boni in Domino, est omnis amor conjugialis, et per hunc omnis amor coelestis et spiritualis: quae praeterea arcana involvuntur his verbis, „quod Jehovah visitavit Saram, quemadmodum dixit, et fecit Jehovah Sarae, quemadmodum loquutus est," non edici possunt, quia inexpressibilia, comprehendunt enim ipsum statum unitionis Divini Domini cum Humano Ipsius; apparentiae ejus sistuntur coram Angelis a Domino, per coelestes luces, et illustrantur per repraesentationes ineffabiles, sed nequeunt coram hominibus, quia erunt per talia, quae sunt lucis mundi, in quae non cadunt, imo per descriptionem ex talibus plus obscurantur.

2619. Quemadmodum loquutus est, quod significet sicut cogitavit, constat a significatione loqui, quod sit cogitare, de qua n: 2271. 2287; perceptio, quae significatur, per Jehovah dixit, fuit ex Divino Coelesti, cogitatio autem, quae significatur, per Jehovah loquutus, fuit ex Divino coelesti per Divinum spirituale, ideo est quasi repetitio in sensu lite-

rae, nempe quemadmodum dixit, et quemadmodum loquutus est: quid autem sit, percipere ex Divino coelesti, et cogitare ex Divino coelesti per Divinum spirituale, non cadit in captum etiam illustratissimum per illa quae sunt lucis mundi, inde patet, quomodo infinita reliqua possunt; quod ex perceptione sit cogitatio, videatur n: 1919. 2515: apud hominem, ita se habet, bonum est ex quo percipit, verum autem per quod cogitat; bonum est amoris et ejus affectionum, proinde est inde perceptio, verum autem est fidei, proinde est haec cogitationis; illud significatur in historicis Verbi per *dicere*, hoc autem per loqui; at cum solum Dicere legitur, tunc quandoque significat percipere, quandoque cogitare, quia dicere involvit utrumque.

2620. Vers: 2. *Et concepit et peperit Sarah Abrahamo filium senectuti illius, ad tempus statum, ut loquutus fuit cum illo Deus.* Concepit et peperit, significat quod esset et existeret: Sarah Abrahamo, significat ex unitione Divini spiritualis cum Divino coelesti Domini: filium, significat Divinum Rationale: senectuti illius, significat cum dies completi essent, ut exueretur humanum: ad tempus statum, significat cum Rationale tale esset ut reciperet: ut loquutus fuit cum illo Deus, significat sicut voluit.

2621. Quod concepit et peperit, significet quod esset et existeret, nempe, ut sequitur, Divinum Rationale ex unitione Divini spiritualis cum Divino coelesti Domini, constat ex significatione concipere et parere: quod non alii conceptus et partus in sensu interno Verbi intelligantur, quam spirituales et coelestes, videatur n: 2584; hic autem Divini, quia agitur de Rationali Domini Divino facto, de quo, nempe Domino, principaliter praedicatur Esse et Existere, nam Solus Est et Existit. Quod praeterea Esse et Existere attinet, apparent sicut forent paene idem, sed non sunt; unusquisque et unumquodvis a conceptione habet suum Esse, a partu autem suum Existere, ita, sicut conceptio est prior quam partus, est Esse prius quam Existere: Anima est ipsum Esse hominis, at sensitivum seu corporeum est illius Existere, nam illa existit in hoc: amor coelestis et spiritualis est ipsum Esse hominis qui regeneratur, at rationale et sensitivum cum imbutum est amore illo, est illius Exi-

stere; ita se habet cum omnibus et singulis in universo, nam nihil usquam datur, quod non habet suam conceptionem ut *Sit*, et suum partum ut *Existat;* quod ex eo etiam illustrari potest, sed coram Eruditis, omnis effectus habet suam causam, et omnis causa habet suum finem, finis est Esse causae, et causa est Existere finis; pariter causa est Esse effectus, sed effectus est Existere causae.

2622. Sarah Abrahamo, quod significet ex unitione Divini spiritualis cum Divino coelesti, constat ex repraesentatione Sarae, quod sit Divinum spirituale, seu Divinum Verum, de qua n: 1468. 1901. 2063. 2065. 2172. 2173. ['] 2198. 2507; et ex repraesentatione Abrahami, quod sit Divinum coeleste, seu Divinum bonum, de qua n: 1989. 2011. 2172. 2198. 2501: de unitione Divini spiritualis cum Divino coelesti, videantur quae supra n: 2618, dicta sunt.

2623. Filium, quod significet Divinum Rationale, constat a significatione filii: filius in Verbi sensu interno significat verum, n: 489. 491. 533; et quia verum est praecipuum in rationali, n: 2072. 2189, etiam per filium significatur rationale; hic autem Divinum Rationale, in quo principaliter est bonum; quod etiam Isacus, qui hic est filius, repraesentat, de quo in sequentibus.

2624. Senectuti illius, quod significet cum dies completi sunt ut exueretur humanum, constare potest a significatione Senectutis, quod sit status ut exueretur humanum, et indueretur Divinum, de qua n: 2198; erat enim tunc Abraham senex centum annorum, per quem numerum quod plenus status unitionis significetur, in explicatione ad Vers: 5, constabit.

2625. Ad tempus statum, quod significet cum Rationale esset tale ut reciperet, constare potest a significatione temporis: bina sunt, quae dum homo vivit in mundo, apparent essentialia, quia sunt propria naturae, nempe Spatium, et Tempus, inde vivere in spatio et tempore, est vivere in mundo seu natura, at haec bina nulla fiunt in altera vita; apparent usque in mundo spirituum tanquam aliqua, ex causa, quia Spiritus recentes a corpore ideam naturalium secum habent, sed usque dein percipiunt, quod non spatium et tempus ibi sint, sed pro illis Status, et quod spatiis et temporibus in natura, status in

altera vita correspondeant, spatiis status quoad esse, et temporibus status quoad existere, de spatio aut loco videatur n: 1274. 1379. 1380. 1382: inde unicuique potest evidens esse, qualem ideam habere possit homo, dum in mundo seu natura est, de illis quae sunt alterius vitae, ac de pluribus arcanis fidei; quod non prius illis credere velit, quam per illa quae sunt in mundo, imo per sensualia capiat, is enim non aliter autumare potest, quam si exueret ideam spatii et temporis, magis si ipsum spatium et tempus, quod prorsus nullus fieret, et sic quod ei nihil residuum foret, ex quo sentire et cogitare posset, nisi quoddam confusum incomprehensibile, cum tamen prorsus contrarium est: angelica vita est talis, quae omnium sapientissima et felicissima: haec causa est, quod per aetates in Verbo non significentur in sensu interno aetates, sed status, ita in hoc versu per senectutem, non senectus; tum quod per numeros non numeri, sed quidam status in specie, ut per numerum centum annorum, de quo in sequentibus: ex his nunc constare potest, quod per tempus statum, significetur status cum Rationale tale esset, ut reciperet. Quod ipsam rem attinet, nempe, quod esset et existeret, ex unitione Divini spiritualis cum Divino coelesti Domini, Divinum Rationale, cum dies completi essent ut exueretur humanum, et cum rationale tale esset ut reciperet, quae in sensu interno significantur per, „concepit et peperit Sarah Abrahamo filium senectuti illius, ad tempus statum,“ sciendum quod in intimo rationalis incipiat humanum, videatur n: 2106. 2194; et quod Dominus successive progressus sit ad unionem Humanae Essentiae cum Divina, et Divinae cum Humana, n: 1864. 2033. 2523; et hoc propria potentia, n: 1921. 2025. 2026. 2083; per continuas tentationes et victorias, n: 1737. 1813. 1690; et per continuas revelationes ex suo Divino, n: 1616. 2500; et hoc tandem ut expulerit omne humanum maternum, n: 1414. 1444. 2574; et quod sic Humanum suum quoad Rationale Divinum fecerit, secundum illa quae in hoc Versu: inde patet, quomodo intelligendum, cum dies completi sunt ut exueretur humanum, et cum rationale tale esset ut reciperet: aliqua idea ejus rei haberi potest ex illis quae fiunt apud eos qui regenerantur, coelestia quae sunt amoris, et spiritualia quae sunt fidei, non simul sed successive illis implan-

tantur a Domino, et cum per illa rationale hominis tale factum est, ut recipere possit, tunc primum regeneratur, utplurimum per tentationes in quibus vincit; haec dum fiunt, sunt dies completi, ut exuat veterem hominem, et induat novum; de regeneratione hominis videatur, n: 677. 679. 711. 848. 986. 1555. 2475.

2626. Ut loquutus fuit cum illo Deus, quod significet sicut voluit, constare potest a significatione loqui, quod sit cogitare, de qua n: 2271. 2287. [2] 2619; quod autem hic sit velle, est quia dicitur, quod Deus loquutus, nam cogitare Divinum est velle.

2627. Vers: 3. *Et vocavit Abraham nomen filii sui nati sibi, quem peperit ei Sarah, Jischak.* Vocavit Abraham nomen filii sui nati sibi, significat quale ejus quod Divinum: quem peperit ei Sarah, significat esse et existere ex Divino spirituali unito Divino coelesti; Jischak, significat Divinum Rationale.

2628. Vocavit Abraham nomen filii sui nati sibi, quod significet quale ejus, quod Divinum, constat ex repraesentatione Abrahami, quod sit Dominus quoad Divinum coeleste, seu Divinum Bonum, de qua multoties prius; ex significatione vocare nomen, quod sit quale, de qua n: 144. 145. 1754. 1896. 2009; et ex significatione filii, quod sit rationale, de qua n: 2623; tum a significatione nati sibi, quod sit existere a Divino; inde patet, quod vocavit Abraham nomen filii sui nati sibi, significet quale ejus quod Divinum. Ex his paucis verbis elucent tria arcana illis qui in sensu interno sunt, *Primum*, quod Divinum Humanum Domini ex Ipso Divino exstiterit, de quo in hoc Versu ulterius agitur. *Alterum*, quod Divinum Humanum Domini a Jehovah non modo conceptum, sed etiam natum sit, inde Dominus quoad Divinum Humanum vocatur Filius Dei, et Unigenitus, Joh: I: 14. 18. 50. Cap: III: 16. 18. 35. 36. Cap: V: 19 ad 27. Cap: VI: 69. Cap: IX: 35. Cap: X: 36. Cap: XI: 27. Cap: XIV: 13. 14. Cap: XVII: 1. Cap: XX: 31, similiter apud reliquos Evangelistas. *Tertium*, quod Divinum Humanum Domini sit Nomen Jehovae, hoc est, quale Ipsius, videatur Joh: XII: 28.

2629. Quem peperit ei Sarah, quod significet esse et existere ex Divino spirituali unito Divino coelesti, constat ex signi-

ficatione parere, quod sit existere, de qua n: 2621, et quia partus involvit conceptionem, et partus seu existere est ex Divino spirituali, et conceptio seu esse ex Divino coelesti, quae hic unita sunt, inde parere hic significat et esse et existere; tum ex repraesentatione Sarae, quod sit Divinum spirituale unitum Divino coelesti, de qua n: 1468. 1901. 2063. 2065. 2172. 2173. [1] 2198. 2507. Haec arcaniora sunt, quam ut possint describi, imo quam ut possint illustrari per aliqua, quae in mundo; sunt pro mentibus angelicis, quibus haec sistuntur per ineffabilia in luce coeli.

2630. Jischak, quod significet Rationale Divinum, constat ex illis, quae de Abrahamo, Isaco, et Jacobo, prius n: 1893. 2066. 2083, dicta sunt, nempe quod Abrahamus repraesentet Supremum Divinum, Isacus Divinum Rationale, et Jacobus Divinum Naturale Ipsius; ut quoque ex sequentibus constabit, ubi de Isaco.

2631. Vers: 4. *Et circumcidit Abraham Jischakum filium suum, filium octo dierum, quemadmodum praecepit illi Deus.* Circumcidit Abraham Jischakum filium suum, significat purificationem Rationalis: filium octo dierum, significat principium et continuum: quemadmodum praecepit Deus, significat secundum ordinem Divinum.

2632. Circumcidit Abraham Jischakum filium suum, quod significet purificationem Rationalis, constat a significatione Circumcidi, quod sit purificari, de qua n: 2039; et ex repraesentatione Jischaki, quod sit Rationale Divinum, de qua n: 2630. Quod primum Rationale Domini natum sit sicut apud alios, nempe per scientifica et cognitiones, prius dictum est ubi de Ismaële, per quem illud Rationale repraesentatur; hoc quia per scientifica et cognitiones, natum fuit, ita per viam externam, quae est sensualium, sicut apud alios, non potuit quin plura apud se habuerit ex mundanis, ideae enim Rationalis inde comparantur, et hoc magis, quia ei haereditarium a matre; illa mundana erant, et hoc haereditarium, quae Dominus successive a Rationali suo expulit, et hoc usque dum tale esset, ut recipere posset Divinum, n: 2624. 2625; tunc natum est Divinum Rationale Domini, quod per Isacum repraesentatur, n: 2630, et quidem non per viam externam, quae est sensualium,

ut Rationale prius, sed per viam internam ex Ipso Divino, n: 2628. 2629; hoc quia non una vice sed successive factum, n: 1690. 2033, purificatum est, et hoc continue, quod significatur per quod circumcidit Abraham filium suum, filium octo dierum: quod Dominus Rationale suum successive Divinum fecerit, et continue purificaverit, constat etiam apud Johannem, „Jesus dixit, Pater glorifica Nomen tuum, exiit igitur vox e „coelo, et glorificavi, et rursus glorificabo," XII: 28; quod glorificare sit Divinum facere, videatur n: 1603. 1999. Per Circumcisionem in Ecclesia Antiqua, nec aliud repraesentatum et significatum est, quam ut purificaretur homo ab amoribus sui et mundi, et hoc quoque successive et continue, videatur n: 2039. 2046 ad f: 2049. 2056, praecipue cum natus est novus, seu cum regeneratus, tunc enim per viam internam, hoc est, per bonum conscientiae, influit Dominus, ac separat successive et continue illa, quae ex haereditario et ex actuali malo adhaerent.

2633. Filium octo dierum, quod significet principium et continuum, constat ex significatione Octavi diei, quo circumcidebantur, quod sit principium quodcunque, ita continuum, de qua n: 2044.

2634. Quemadmodum praecepit Deus, quod significet secundum ordinem Divinum, constat ex significatione praecipere Deus, seu praeceptorum; praecepta Dei, seu quae praecepit Deus, sunt omnia et singula Divini ordinis, usque adeo, ut Divinus Ordo non sit nisi perpetuum praeceptum Dei; quare secundum praecepta Dei, et in praeceptis Dei, vivere, est secundum ordinem Divinum, et in ordine Divino; inde est, quod per praecepit Deus, hic significetur secundum ordinem Divinum. Secundum ordinem Divinum fuit, quod omnis masculus a nativitate octavo die circumcideretur, non quod circumcisio aliquid faceret, seu qui circumcisi prae incircumcisis intrarent in Regnum Dei; sed quia talis Ritus in Ecclesia Repraesentativa correspondebat purificationi cordis, de qua correspondentia, ex Divina Domini Misericordia, alibi dicetur: quod Cor, hoc est, interiora hominis, successive et continue a malis quae sunt cupiditatum, et a falsis quae sunt phantasiarum inde, purificanda, est secundum ordinem Divinum, praecepta de puri-

ficatione cordis sunt omnia et singula ordinis Divini; quantum itaque homo in praeceptis illis, tantum in ordine Divino, vivit; et quantum in hoc, tantum apud eum omnia a Domino disponuntur secundum ordinem qui ab Ipso in coelis, tam nempe ejus rationalia quam scientifica; inde fit homo exiguum coelum correspondens Maximo.

2635. Vers: 5. *Et Abraham filius centum annorum, cum nasceretur illi Jischak filius ejus.* Abraham filius centum annorum, significat plenum statum unitionis: cum nasceretur illi Jischak filius ejus, significat cum Rationale Domini Divinum factum.

2636. Abraham filius centum annorum, quod significet plenum statum unitionis, constat a significatione centum, quod sit plenum, de qua in mox sequentibus; et a significatione annorum, quod sit status, de qua n: 482. 487. 488. 493. 893, hic, status unitionis. Quid plenus status unitionis Divini Domini cum Humano Ipsius, seu quod idem, cum Rationali, nam Humanum incipit in intimo Rationalis, n: 2106. 2194, non ita ad captum dici potest, sed usque illustrari per illa, quae apud hominem vocantur, plenus status cum reformatur et regeneratur: notum est, quod homo non possit regenerari quam in adulta aetate, quia tunc primum ratione et judicio pollet, ac ita recipere potest bonum et verum a Domino; antequam in statum illum venit, praeparatur ille a Domino per id, quod insinuentur ei talia, quae inservire possint ei pro humo recipiendi semina veri et boni, quae sunt plures status innocentiae et charitatis, tum etiam cognitiones boni et veri, et inde cogitationes, quod fit per plures annos antequam regeneratur; quando homo illis imbutus est, et sic praeparatus, tunc dicitur status ejus plenus, nam tunc interiora disposita sunt ad recipiendum: apud hominem appellantur omnia illa, quibus donatur a Domino ante regenerationem, et per quae regeneratur, Reliquiae, quae in Verbo significantur per numerum Decem, n: 576. 1738. 2284, tum quoque per Centum, cum plenus status est regenerationis, [3] n: 1988: haec illustrationi esse possunt, quid significatur per plenum statum unitionis Humani cum Divino in Domino, nempe, cum Ipse ex propria potentia per pugnas tentationum et victorias, et per potentias Divinae

sapientiae et intelligentiae, tantum Divini in Humano, hoc est, in Rationali sibi comparavit, ut Ipsum Divinum unire posset Divino acquisito in Rationali: ut hic status repraesentaretur, factum est, quod Abrahamo, tametsi per plures annos moratus in terra Canaane, non prius nasceretur Jischak, quam cum esset aetate centum annorum: haec sunt arcana, quae in numero Centum annorum, quae fuerunt Abrahamo, continentur. Quod numerus Centum significet plenum, constare quoque potest ab aliis locis in Verbo, ut apud Esaiam, „Non erit inde „amplius infans dierum, et senex, qui non *impleverit* dies suos, „nam puer *filius centum annorum* morietur, et peccator *filius* „*centum annorum* maledicetur," LXV: 20: ubi manifeste Centum pro pleno, nam dicitur, non erit amplius infans dierum et senex, qui non impleverit dies suos, et puer ac peccator centum annorum, hoc est, cum plenus status ejus: apud Matthaeum, „Omnis qui reliquerit domos, aut fratres, aut soro- „res, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut liberos, aut „agros, propter Nomen meum, *Centuplum* accipiet, et vitae „aeternae sortietur haereditatem," XIX: 29. Marc: X: 29. 30; ubi centuplum pro pleno, seu mensura bona, pressa, agitata et superfluente, Luc: VI: 38: apud Lucam, „Aliud se- „men cecidit super terram bonam, et enatum fecit fructum „*Centuplum*," VIII: 8. Matth: XIII: 8. 23. [4] Marc: IV: 20; ubi centum etiam pro pleno, qui numerus non dictus fuisset, nisi id significavisset: similiter ubi Dominus per parabolam loquitur de debitoribus, quod „unus deberet *Centum* batos olei, „et alter *centum* coros tritici," Luc: XVI: 5. 6. 7; [5] ita quoque alibi, ubi centum nominatur; similiter se habet cum mille, de quo numero videatur n: 2575.

2637. Cum nasceretur illi Jischak filius ejus, quod significet cum Rationale Domini Divinum factum, constat ex significatione nasci, quod sit existere, de qua n: 2584. 2621. 2629; et ex repraesentatione Jischaki, quod sit Divinum Rationale, de qua n: 2630; hoc nasci dicitur Abrahamo, cum Divinum factum, ut quoque supra Vers: 3, „vocavit Abraham nomen filii sui *nati sibi*," videatur n: 2628.

2638. Vers: 6. 7. *Et dixit Sarah, risum fecit mihi Deus, omnis audiens ridebit mihi. Et dixit, quis dixisset, Abra-*

hamo, lactabit filios Sarah, quia peperi filium senectuti illius. Dixit Sarah, significat perceptionem ex Divino spirituali: risum fecit mihi Deus, significat affectionem veri coelestis: omnis audiens ridebit mihi, significat quod omnia ibi affectionem habitura: et dixit, significat cogitationem: quis dixisset Abrahamo lactabit filios Sarah, significat quod Dominus propria potentia implantaverit Humanum Divino: quia peperi filium senectuti ejus, significat quod hoc fieret cum dies completi essent.

2639. Dixit Sarah, quod significet perceptionem ex Divino spirituali, constat a significatione dicere, quod sit percipere, de qua saepius; et ex repraesentatione Sarae, quod sit Divinum spirituale, seu Divinum verum, de qua n: 2622.

2640. Risum fecit mihi Deus, quod significet affectionem veri coelestis, constat a significatione Risus, quod sit affectio veri, de qua n: 2072. 2216; et ex facere Deus, quod sit coeleste ex quo.

2641. Quod omnis audiens ridebit mihi, significet quod omnia ibi affectionem habitura, constat ex significatione audire et ridere; audire in Verbo praedicatur de illis quae sunt affectionis, videre autem de illis quae sunt cogitationis, quod constare potest ex perpluribus locis in Verbo, tum quoque a correspondentiis, videatur n: 2542; hic quia agitur de affectione veri coelestis, dicitur omnis audiens, quo significantur omnia quae affectionis: quod ridere sit affici vero, seu affectionem veri habere, videatur n: 2072. 2216. 2640.

2642. Et dixit, quod significet cogitationem, constat ex significatione dicere, quod sit percipere, tum quoque cogitare, de qua saepius, videatur 2619 ad fin.

2643. Quis dixisset Abrahamo lactabit filios Sarah, quod significet quod Dominus propria potentia implantaverit Humanum Divino, constat ex repraesentatione Abrahami, tum Sarae, et a significatione lactare et filiorum; quod Abraham repraesentet Divinum Bonum, et Sarah Divinum Verum, ostensum est; quod lac sit spirituale ex origine coelesti, seu verum ex bono, videatur n: 2184, ita lactare est implantare illud; quod filii sint vera, hic quae in Rationali, constat ex significatione filiorum, n: 489. 490. 491. 533: quod haec in sensu interno significent, quod Dominus ex propria potentia Humanum implan-

taverit Divino, est quia Divinum Verum est idem ac Divinum Humanum, de quo cum dicitur, quod lactet filios Abrahamo, significatur quod Humanum implantaverit Divino, et quia Humanum, est ex propria potentia: sed haec aegre queunt clarius ad intellectum explicari, si pluribus, obscurescet sensus adhuc magis, nam sunt Divina, quae solum coram Angelis per coelestia et spiritualia sisti queunt, si coram homine aliquo stylo elevatiori, caderent in ideas materiales et corporeas, quas homo habet. Praeterea sciendum, quod Divinum Rationale Domini quoad quale cum primo natum est, describatur his verbis, *Risum fecit mihi Deus, omnis audiens ridebit mihi: et dixit, quis dixisset Abrahamo lactabit filios Sarah;* ex more antiquo enim fuit, cum nasceretur infans, quod nomen significativum status inderetur, et quod status tunc quoque describeretur, sicut cum Cain nasceretur Chavae et Adamo, Gen: IV: 1: cum Scheth illis, Gen: IV: 25: cum Noach Lamecho, Gen: V: 29: cum Esavus et Jacobus Isaco, Gen: XXV: 25. 26: cum duodecim filii Jacobo, Gen: XXIX: 32. 33. 34. 35. Cap: XXX: 6. 8. 11. 13. 18. 20. 24. Cap: XXXV: 18: cum Perez et Serach Thamari, Gen: XXXVIII: 29. 30: cum Menasche et Ephraim Josepho, Gen: XLI: 51. 52: cum Gerschom et Elieser Mosi, Exod: II: 22. Cap: XVIII: 4: quid hi omnes repraesentant, et quid significant in sensu interno, descriptioni adjunctae nomini, quod indebatur, involutum est; ita hic quid Jischak; quid autem involvitur patet aliquantisper a summaria explicatione, sed arcaniora usque recondita sunt, nam sunt Divina, quae nullis formis et formulis vocum expressibilia sunt.

2644. Quod quia peperi filium senectuti illius, significet quod hoc fieret cum dies completi essent, constat ab explicatione eorundem paene verborum in Versu 2, de quibus n: 2621. 2622. 2623. 2624.

2645. Vers: 8. *Et crevit natus, et ablactatus, et fecit Abraham convivium magnum in die, cum ablactavit Jischakum.* Crevit natus, significat ulteriorem perfectionem Rationalis Domini: et ablactatus, significat separationem Rationalis mere humani: fecit Abraham convivium magnum, significat cohabitationem et unionem; in die cum ablactavit Jischakum, significat statum separationis.

2646. Crevit natus, quod significet ulteriorem perfectionem Rationalis Domini, constat a significatione crescere, quod sit perfici; et ex significatione nati seu filii, quod sit Rationale Divinum Domini, de qua n: 2623.

2647. Et ablactatus, quod significet separationem Rationalis mere humani, constat ex significatione ablactari, quod sit separari, sicut infantes ab uberibus matris: quod separatum sit Rationale mere humanum, ulterius in hoc Capite describitur, et repraesentatur per filium Hagaris, quod ejectus domo.

2648. Fecit Abraham convivium magnum, quod significet cohabitationem et unionem, constat a significatione convivii, quod sit cohabitatio, de qua n. 2341; hic quoque unio, quia agitur de Domino, cujus Humanum unitum Divino, ac Divinum Humano, et quia agitur de hac unione, dicitur convivium *magnum*.

2649. In die cum ablactaret Jischakum, quod significet statum separationis, constat a significatione diei, quod sit status, de qua n: 23. 487. 488. 493. 893; et ex significatione ablactari, quod sit separari, de qua n: 2647. A versu primo hujus capitis actum est de Unitione Divinae Essentiae cum Humana Domini, hoc ordine; *De praesentia Divini in Humano, unitionis causa*, Vers: 1. *De praesentia Humani in Divino, ita de reciproca unitione, de qua n:* 2004, Vers: 2. *Quod ex unitione illa Humanum factum Divinum*, Vers: 3. *Et hoc successive et continue cum Dominus vixit in mundo*, Vers: 4. *Quodque hoc inchoaret, cum status Rationali esset, ut reciperet*, Vers: 5. *Describitur status unitionis quoad ejus quale, cum arcanis*, Vers: 6. 7: sequitur nunc de separatione humani materni, et continuatur usque ad Vers: 12; quae separatio in hoc Versu significatur per ablactationem Isaci, et in sequentibus repraesentatur per filium Hagaris quod emissus domo; et quia unio Divini Domini cum Humano Ipsius, et Humani cum Divino, est ipsum Conjugium Boni et Veri, ac inde est Conjugium Coeleste, quod idem est ac Regnum Domini, ideo memoratur Convivium magnum, quod fecit Abraham cum ablactaretur Isac, per quod primum conjugii seu prima unio significatur, quod convivium nisi significavisset arcanum, sicut etiam ablactatio, nusquam memoratum fuisset. Quia nunc sequitur

de separatione humani prioris, quod fuit Domino a matre, et tandem de ejus plenaria exuitione, sciendum, quod Dominus successive et continue usque ad ultimum vitae, cum glorificatus, separaverit a se et exuerit illud quod mere humanum fuit, quod nempe traxit a matre, usque tandem ut non amplius filius ejus esset, sed filius Dei, sicut quoad conceptionem etiam quoad nativitatem, et sic unus cum Patre, et Ipse Jehovah: quod separaverit a se et exuerit omne humanum quod a matre, ita ut amplius non esset filius ejus, patet clare a Domini verbis, apud Johannem, „Cum deficeret vinum, dixit mater Jesu ad „Ipsum, vinum non habent, dicit illi Jesus, *quid Mihi et tibi, „mulier,*" II: 3. 4: apud Matthaeum, „Dixit quidam, ecce „mater tua, et fratres tui foris stant, quaerentes tibi loqui; at „Jesus respondens dixit ei qui dixerat, *quis est mater mea*, et „qui fratres mei; et extendens manum suam super discipulos „suos dixit, *ecce mater mea*, et fratres mei; quisquis enim fe„cerit voluntatem Patris mei, qui est in coelis, ille meus frater, „et soror, et *mater*," XII: 47. 48. 49. [50.] Marc: III: 32. 33. 34. 35. Luc: VIII: 20. 21: apud Lucam, „Tollens quae„dam mulier vocem ex populo, dixit Ipsi, beatus venter qui „peperit Te, et ubera quae suxisti: at Jesus dixit, beati illi „qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud," XI: 27. 28. ubi cum mulier de matre, Dominus de illis loquutus de quibus supra, nempe quisquis fecerit voluntatem Patris mei, ille meus frater, soror, et mater, quod idem est cum his, beati illi qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud: apud Johannem, „Je„sus videns matrem, et discipulum astantem, quem diligebat, „dixit matri suae, *mulier*, ecce filius tuus; deinde dixit disci„pulo, *ecce mater tua*, quare ab ista hora accepit eam disci„pulus apud se," XIX: 26. 27, ex quibus verbis patet, quod Dominus diceret ei, sicut illa cogitabat cum videret Ipsum in cruce, sed usque non vocat illam matrem, sed mulierem, et quod transferret matris nomen ad illos qui significantur per discipulum, quare dixit discipulo, ecce mater tua: adhuc manifestius ab ipsis Domini verbis, apud Matthaeum, „Jesus inter„rogavit Pharisaeos, dicens, quid vobis videtur de Christo, „cujus filius est, dicunt Ipsi, Davidis, dicit illis, quomodo „ergo David in spiritu Dominum Ipsum vocat, dicens, dixit

„Dominus Domino meo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum; *si ergo David vocat Ipsum Dominum, quomodo filius ejus est;* et nemo potuit Ipsi respondere verbum, " XXII: 39 ad f. Marc: XII: 35. 36. 37. Luc: XX: 42. 43. 44; ita nec amplius fuit filius Davidis quoad carnem. Porro quod separationem et exuitionem humani materni, attinet, hoc non capiunt, qui mere corporeas ideas de Humano Domini habent, et cogitant de illo, sicut de humano alius hominis, inde talibus scandala; illi non sciunt, quod qualis vita talis homo, et quod Divinum Esse vitae seu Jehovah, fuerit Domino a conceptione, et quod simile Esse vitae in Humano Ipsius Exstiterit per unionem.

2650. Vers: 9. *Et vidit Sarah filium Hagaris Aegyptiae, quem peperit Abrahamo, illudentem.* Vidit Sarah, significat intuitionem Domini ex Divino spirituali: filium Hagaris Aegyptiae, significat in Rationale mere humanum; Hagar Aegyptia, est affectio scientiarum, ex qua Rationale illud, ut a matre, natum: quem peperit Abrahamo, significat quod a Divino coelesti ut a Patre exstiterit: illudentem, significat non congruum, et favens Divino Rationali.

2651. Et vidit Sarah, quod significet intuitionem Domini ex Divino spirituali, constat a significatione videre, quod sit intelligere, de qua n: 897. 2150. 2325, quod idem est ac ex mentis visu intueri; et ex repraesentatione Sarae, quod sit Divinum spirituale, seu Divinum verum, de qua n: 2622: vidit Sarah est quod Divinum spirituale intueretur, quod idem est, ac quod Dominus ex Divino spirituali.

2652. Filium Hagaris Aegyptiae, quod significet in Rationale mere humanum, et quod Hagar Aegyptia sit affectio scientiarum ex qua Rationale illud ut a matre natum, constat ex significatione filii, nempe Ismaëlis, quod sit primum Rationale quod Domino, de qua in Cap: XVI Gen: ubi de Hagare et Ismaële agitur; et ex repraesentatione ejus, et Hagaris Aegyptiae quae mater, de qua etiam ibi: quod Rationale primum seu mere humanum apud Dominum, conceptum sit a Divino coelesti ut a Patre, et natum ab affectione scientiarum ut a matre, videatur n: 1895. 1896. 1902. 1910.

2653. Quem peperit Abrahamo, quod significet quod a

Divino coelesti ut a Patre exstiterit, constat a significatione parere, quod sit existere, de qua n: 2621. 2629; et ex repraesentatione Abrahami, quod sit Divinum coeleste, de qua n: 1989. 2011. 2172. 2198. 2501: quod Rationale illud ex Divino coelesti Domini, ut a Patre exstiterit, videatur n: 1895. 1896. 1902. 1910.

2654. Illudentem, quod significet non congruum et favens Divino Rationali, constare potest a significatione illudere, quod sit affectionis contra id, quod non sibi congruit et favet. In Versu praecedente dictum, quod crevit natus, et ablactatus, et quod Abrahamus fecerit convivium magnum cum ablactavit Jischakum, per quae significatum, quod cum Rationale Domini Divinum fieret, Rationale, quod prius, separaretur: ideo nunc immediate sequitur de filio Hagaris Aegyptiae, per quem quod illud Rationale intelligatur, in explicatione ad Cap: XVI Genes: ubi de Ismaële et Hagare agitur, ostensum est; inde quoque patet, quod illa, quae in sensu interno, continua serie, consequantur. Quod autem Rationale primum Domini attinet, hoc quia natum sicut apud alium hominem, nempe per scientias et cognitiones, non potuit quin in veri apparentiis esset, quae non vera sunt in se, ut constare potest ab illis, quae n: 1911. 1936. 2196. 2203. 2209. 2519, allata sunt; et quia in veri apparentiis, non potuerunt ei congruere, nec favere vera absque apparentiis, qualia sunt Divina, tam quia illa non capit, quam quia ei adversantur: sed illustrationi sint exempla: Rationale humanum, quod scilicet natura a mundanis per sensualia, et dein ab analogis mundanorum per scientifica et cognitiones, paene irridet hoc seu illudit, si ei diceretur, quod non viveret ex se, sed quod ei appareat sicut viveret ex se; et quod plus vivat, hoc est, sapientius et intelligentius, beatius et felicius, qui minus credit, quod vivat ex se, et quod haec vita sit Angelorum, imprimis illorum qui coelestes sunt, ac intimi seu proximi Domino; sciunt enim quod nullus vivat a se, quam solus Jehovah, hoc est, Dominus. Rationale illud illuderet quoque, si ei diceretur, quod nullum ei proprium sit, sed quod fallacia aut apparentia sit quod habeat; et adhuc magis, si ei diceretur, quod quo plus in fallacia sit quod proprium ei, eo minus habeat, ac vicissim: pariter, quicquid ex proprio co-

gitat et agit, quod sit malum, tametsi esset bonum; et quod non prius sapiat, quam cum credit et percipit, quod omne malum ab inferno, et omne bonum a Domino; in illa fide, imo perceptione sunt omnes Angeli, qui tamen proprium abundantius, quam omnes, habent, sed sciunt et percipiunt quod illud a Domino, at quod prorsus appareat sicut eorum. Adhuc, Rationale illud illuderet, si diceretur, quod in coelo maximi sint qui minimi; quod sapientissimi, qui se minime sapientes esse credunt et percipiunt; quod felicissimi, qui alios maxime felices, se autem minime, esse volunt; quod coelum sit infra omnes velle esse, at infernum supra omnes; consequenter quod in gloria coeli, sit prorsus nihil quod est in gloria mundi. Similiter illuderet Rationale illud, si diceretur, quod in altera vita nihil spatii et temporis sit, sed quod sint status secundum quos sunt apparentiae; et quod vita eo coelestior sit, quo longius ab illis quae sunt spatii et temporis abest, et quo propius est ad illa quae sunt aeternum, in quo, nempe aeterno, nihil prorsus ab idea temporis, nec ab analogo ejus, inest: ita in innumerabilibus aliis. Quod talia in Rationali mere humano essent, et quod ideo hoc Rationale Divina illuderet, vidit Dominus, et quidem ex Divino spirituali, quod significatur per quod vidit Sarah filium Hagaris Aegyptiae, n: 2651. 2652: quod homo ex interiori possit intueri in illa apud se, quae infra sunt, ab experientia notum est illis qui in perceptione sunt, etiam illis qui in conscientia, nam vident eousque, ut ipsas suas cogitationes redarguant; inde possunt regenerati videre quale eorum Rationale quod iis ante regenerationem, sit; sed talis perceptio apud hominem, est a Domino, verum Domini fuit ex Se ipso.

2655. Vers: 10. *Et dixit Abrahamo, ejice ancillam hanc, et filium ejus, quia non haereditabit filius ancillae hujus cum filio meo, cum Jischako.* Dixit Abrahamo, significat perceptionem ex Divino: ejice ancillam hanc et filium ejus, significat quod exterminarentur quae Rationalis mere humani sunt: quia non haereditabit filius ancillae hujus cum filio meo cum Jischako, significat quod Rationale mere humanum cum Rationali ipso Divino non posset communem vitam habere, neque quoad verum neque quoad bonum.

2656. Dixit Abrahamo, quod significet perceptionem ex

Divino, constat ex significatione dicere in historicis Verbi, quod sit percipere, de qua saepius antea; et ex repraesentatione Abrahami, quod sit Divinum coeleste seu Divinum Bonum, de qua n: 2622.

2657. Quod ejice ancillam hanc et filium ejus, significet quod exterminarentur quae Rationalis mere humani sunt, constat ex significatione ejicere, quod sit exterminare; ex significatione ancillae, quod sit affectio rationalium et scientificorum, ita bonum eorum, de qua n: 2567; et ex significatione filii, quod sit verum istius Rationalis, de qua n: 264. 489. 533. 1147; sed est bonum et verum apparens, quae praedicantur de Rationali hoc primo seu mere humano, inde est, quod ejice ancillam hanc et filium ejus, significet quod exterminarentur quae Rationalis mere humani sunt. Quomodo hoc se habet, nempe quod primum Rationale exterminatum sit, cum Divinum successit, prius passim dictum et ostensum est, sed quia hic in specie de illo agitur, paucis adhuc explicandum. Sunt apud unumquemvis hominem, qui regeneratur, bina Rationalia, unum ante regenerationem, alterum post regenerationem: Primum, quod ante regenerationem, comparatur per experientias sensuum, per reflexiones super illa quae in vita civili, et in vita morali, perque scientias, et per ratiocinia inde et per eas, tum per cognitiones spiritualium ex doctrina fidei seu ex Verbo; sed haec non amplius tunc vadunt quam paululum supra ideas memoriae corporeae, quae respective admodum materiales sunt; quicquid itaque tunc cogitat, est ex talibus, vel ut visu interiori seu intellectuali simul comprehendantur, sistuntur talium similia comparative vel analogice; ejuscemodi est Rationale primum, seu quod est ante regenerationem. At Rationale post regenerationem formatur a Domino per affectiones veri et boni spiritualis, quae affectiones mirabiliter a Domino implantantur veris Rationalis prioris, et sic vivificantur ibi illa quae congrua sunt et favent, caetera autem, sicut nullius usus, separantur inde, usque tandem ut bona et vera spiritualia colligantur quasi in fasciculos, rejectis incongruis, quae non vivificari possunt, quasi ad peripheriam, et hoc successive sicut bona et vera spiritualia cum vita eorum affectionum crescunt; inde patet, quale Rationale alterum. Haec quomodo se habent,

illustrari potest per comparationem cum fructu arborum; Primum Rationale se habet in initio sicut fructus immaturus, qui successive maturescit, usque dum semina intus in se ponit; qui cum illius aetatis est, ut se separare incipiat ab arbore, tunc est status ejus plenus, de quo supra n: 2636: Rationale autem alterum, quo donatur a Domino, cum regeneratur, se habet sicut idem fructus in humo bona, in qua putrescunt illa quae sunt circumcirca semina, et haec se extrudunt ab intimis sui, et emittunt radicem, tum super terram surculum, qui crescit in novam arborem, et explicat se, usque demum in novos fructus, dein in hortos et paradisos, secundum affectiones boni et veri, quas recipit, videatur Matth: XIII: 31. 32. Joh: XII: 24. Sed quia exempla magis convincunt, sit exemplo *Proprium* quod homini ante regenerationem, et *Proprium* quod ei post regenerationem; ex Primo Rationali, quod sibi comparavit per media, de quibus supra, credit homo, quod ex seipso, ita ex proprio, cogitet verum et faciat bonum, Rationale hoc primum non aliter capere potest, etiamsi instructus sit, quod omne bonum amoris, et omne verum fidei, sit a Domino: at cum regeneratur, quod fit in adulta ejus aetate, ex Rationali altero, quo donatur a Domino, incipit cogitare, quod bonum et verum non sit a seipso seu a proprio, sed a Domino, at usque quod faciat bonum et cogitet verum sicut a seipso, videatur n: 1937. 1947; tunc quo plus in hoc confirmatur, eo plus in lucem veritatis de illis perducitur, usque demum ut credat, quod omne bonum et omne verum sit a Domino; tunc proprium Rationalis prioris successive separatur, et homo proprio coelesti donatur a Domino, quod fit novi Rationalis. Sit adhuc exemplum; Primum Rationale principio non alium amorem novit quam sui et mundi, et tametsi audit quod amor coelestis prorsus alius sit, usque id non capit; dein autem cum aliquod bonum facit, non aliud jucundum inde percipit, quam quod videatur sibi mereri gratiam alterius, vel quod audiat Christianus, vel quod obtineat inde vitae aeternae gaudium; Alterum autem Rationale, quo donatur a Domino per regenerationem, incipit aliquod jucundum sentire in ipso bono et vero; et jucundo hoc affici, non propter suum quid, sed propter bonum et verum, ex quo jucundo cum fertur, tunc meritum rejicit,

usque tandem ut respuat illud sicut enorme; hoc jucundum apud eum successive crescit, et fit beatum, et in altera vita fit felix, et ipsum ejus coelum. Inde nunc constare potest, quomodo se habet cum utroque Rationali apud hominem, qui regeneratur. Sed sciendum, quod apud hominem, tametsi regeneratur, usque omnia et singula, quae sunt Rationalis primi, remaneant, et modo a Rationali altero separentur, et hoc miraculose a Domino: Dominus autem Rationale primum prorsus exterminavit, ut nihil ejus remanserit, mere enim humanum et Divinum non simul esse possunt; inde non amplius filius Mariae erat, sed Jehovah quoad utramque Essentiam.

2668. Quia non haereditabit filius ancillae hujus cum filio meo, cum Jischako, quod significet quod Rationale mere humanum cum Rationali ipso Divino non posset communem vitam habere, neque quoad verum neque quoad bonum, constat a significatione haereditare, quod sit habere vitam alterius, de qua mox; ex significatione filii ancillae, quod sit Rationale mere humanum quoad verum et quoad bonum, de qua n: 2657; et ex significatione filii mei, Jischaki, quod sit Rationale Divinum quoad verum, quod est filius meus, et quoad bonum, quod est Jischakus, de qua n: 2623. 2630; quod Jischakus sit Rationale Divinum quoad bonum, ex significatione risus, ex quo nominatus, quod sit affectio veri seu bonum veri, constat a Vers: 6. 7, n: 2640. 2641. 2643; inde patet, quod non haereditabit filius ancillae hujus cum filio meo cum Jischako, sit quod Rationale mere humanum cum Rationali Divino non possit communem vitam habere neque quoad verum neque quoad bonum: quod communem vitam habere nequeat, constat ex eo solo, quod Divinum sit ipsa vita, et sic habeat vitam in Se Ipso; mere humanum autem est organum vitae, et sic non habet vitam in seipso; Humanum Domini cum Divinum factum, non amplius fuit organum vitae, seu recipiens vitae, sed fuit ipsa vita, qualis Ipsius Jehovae; ex ipsa conceptione a Jehovah hoc primum habuit, quod clare ab Ipsius Domini verbis patet, apud Johannem, „Quemadmodum Pater *habet* „*vitam in Se Ipso*, ita dedit Filio *habere vitam in Se Ipso*,“ V: 26; Divinum Humanum est quod vocatur filius, n: 1729. 2159. 2628: apud Eundem, „*In Ipso Vita* erat, et *Vita* erat

„lux hominum;" I: 4: apud Eundem, „Dixit Jesus, Ego sum „via, veritas, et *Vita*," XIV: 6: apud Eundem, „Jesus dixit, „Ego sum resurrectio et *Vita*, qui credit in Me, etsi moriatur, „*vivet*," XI: 25: apud Eundem, „Panis Dei est, qui descen-„dit e coelo, et *vitam* dat mundo," VI: 33; quod autem homo non sit vita, sed organum seu recipiens vitae, videatur n: 2021, et alibi passim; exinde evidens esse potest, quod cum Dominus etiam quoad Humanum Jehovah factus, illud, quod non vita erat in se, hoc est, quod mere humanum, ablegaretur; hoc significatur per quod filius ancillae non haereditare posset cum filio Jischako. Quod Haereditare in sensu interno, cum praedicatur de Domino, sit vitam habere Patris, ita in Se Ipso; et cum praedicatur de hominibus, quod sit vitam habere Domini, hoc est, vitam accipere a Domino, constat a pluribus locis Verbi; vitam habere in Se Ipso est ipsum Esse vitae, hoc est, Jehovah; vitam autem habere Domini, seu vitam accipere a Domino, est recipere Dominum amore et fide, et quia illi sunt in Domino, et sunt Domini, vocantur haeredes et filii Ipsius. In Verbo Veteris Testamenti praedicatur *Haereditas* tam de coelesti seu bono, quam de spirituali seu vero, sed usque unum exprimitur alia voce quam alterum, illam vocem interpretari licet per *possidere haereditario*, hanc autem per *haereditare*; illa etiam vox in lingua originali involvit possessionem, baec autem derivationem inde, sicut se habet coeleste ad spirituale, seu bonum ad verum; in hoc Versu, ubi per Jischakum repraesentatur Divinum Rationale seu Divinum Humanum Domini, est vox possessionis ex jure haereditario, quia Domini Divinum Humanum est Solus Possessor Haeres, ut quoque Ipse docet in parabola, Matth: XXI: 33. 37. 38. Marc: XII: 7. Luc: XX: 14, et passim declarat, quod omnia Patris, Ipsius sint. Quod haereditario possidere et haereditare in Verbo, cum praedicatur de hominibus, significet vitam accipere a Domino, proinde vitam aeternam seu coelum, nam illi soli coelum accipiunt, qui vitam Domini recipiunt, constat apud Johannem, „Qui vicerit, *haereditario accipiet* omnia, „et ero illi Deus, et ille erit Mihi filius," Apoc: XXI: 7: apud Matthaeum, „Omnis qui reliquerit domos, aut fratres, aut „sorores, propter Nomen meum, centuplum accipiet, et *vi-*

„*tae aeternae sortietur haereditatem*," XIX: 29. Cap: XXV: 34. Marc: X: 17. Luc: XVIII: 18: hic coelum vocatur vita aeterna, alibi simpliciter vita, ut Matth: XVIII: 8. 9. Cap: XIX: 17. Joh: III: 36. Cap: V: 24. 29, ex causa quia Dominus est ipsa Vita, et qui Ipsius vitam accipit, is est in coelo. Apud Davidem, „Deus salvabit Zionem, et aedificabit civita„tes Jehudae, et habitabunt ibi, et *possidebunt haereditario* „*eam*, et semen servorum Ipsius *haereditabunt* eam, et aman„tes Nomen Ipsius habitabunt in ea," Psalm: LXIX: 36. 37; ubi possidere haereditario, praedicatur de iis, qui in amore coelesti sunt, haereditare de iis qui in amore spirituali: apud Esaiam, „Confidens in Me *haereditabit* terram, et „*possidebit haereditario* montem sanctitatis meae," LVII: 13, similiter: apud Mosen, „Deducam vos ad terram, super „qua levavi manum meam, ad dandum eam Abrahamo, Isaco, „et Jacobo, et dabo eam in *possessionem haereditariam*," Exod: VI: 8; haec in sensu literae significant, quod terra Canaan daretur iis in possessionem haereditariam, quod etiam factum; at in sensu interno significant quod daretur coelum illis qui in amore et fide in Dominum sunt; nam sicut Dominus per Abrahamum, Isacum, et Jacobum repraesentatur, ita significatur ipse amor et ipsa fides, proinde illi qui in amore et fide sunt, ita qui in Domino: ut quoque per Abrahamum, Isacum, et Jacobum cum quibus multi accumbent in Regno coelorum, apud Matthaeum Cap: VIII: 11; in coelo enim prorsus ignoratur Abraham, Isac et Jacob, sed solum scitur quid per eos repraesentatur et significatur, similiter ac quid per accumbere seu comedere cum iis; quod enim omnia nomina in Verbo significent res, videatur n: 1224. 1264. 1876. 1888, et quod terra Canaan, sit Canaan coelestis seu coelum, n: 1585. 1607. 1866, quod etiam simpliciter vocatur terra, n: 1413. 1607. 1733. 2571, sicut etiam apud Matthaeum, „Beati miseri, quia ii „*haereditatem accipient terrae*," V: 5.

2659. Vers: 11. *Et malum fuit verbum valde in oculis Abrahami ob causas filii sui.* Malum fuit verbum valde in oculis Abrahami, significat statum Domini primum cum cogitaret de separando a se Rationali illo: ob causas filii sui, significat propter id quod dilexit illud.

2660. Malum fuit verbum valde in oculis Abrahami, quod significet statum Domini primum, cum cogitaret de separando a se Rationali illo, nempe quod status doloris ex amore esset, constare potest absque explicatione.

2661. Ob causas filii sui, quod significet propter id quod dilexit illud, nempe Rationale primum, constat ex significatione filii, nempe ancillae, quod sit Rationale mere humanum, seu primum, de qua prius. Causa doloris hic quidem non memoratur, sed usque patet ab illis quae sequuntur, quod sit ex amore, liquet, nam dicitur filii sui, et agitur de illo in sequentibus a vers: 13 ad 21; ut tamen sciatur, cur hic dolor, seu quare dicitur, quod malum fuit verbum valde in oculis Abrahami ob causas filii sui, pauca haec sint alicui illustrationi; Dominus in mundum non venit, ut salvaret coelestes, sed ut spirituales, Antiquissima Ecclesia, quae homo dicta, fuit coelestis, haec si permansisset in integritate sua, non opus habuisset Dominus ut nasceretur homo, quare ut primum haec deficere incepit, praevidit Dominus quod coelestis Ecclesia prorsus ab orbe periret, ideo statim tunc praedictio facta est, de adventu Domini in mundum, Gen: III: 15: post illius Ecclesiae tempus non amplius fuit Ecclesia coelestis, sed Ecclesia spiritualis; Antiqua Ecclesia, quae fuit post diluvium, Ecclesia spiritualis fuit, de qua pluries in Parte Prima; haec Ecclesia, seu illi qui ab Ecclesia spirituali, non salvari potuerunt, nisi Dominus venisset in mundum; haec sunt intellecta per Domini verba apud Matthaeum, „Non opus habent validi medico, sed „male habentes; non veni vocare justos, sed peccatores ad poe„nitentiam," IX: 12. 13: etiam per haec, [ap: Joh:] „Et alias „oves habeo, quae non sunt ex ovili hoc; etiam illas oportet „Me adducere, vocemque meam audient, et fiet unus grex, et „unus Pastor," X: 16, tum quoque per parabolam de centum ovibus, apud Matth: Cap: XVIII: 11. 12. 13: nunc quia per Isacum sicut repraesentatur Divinum Rationale Domini, etiam significantur coelestes, qui haeredes vocantur; et per Ismaëlem sicut repraesentatur Rationale mere humanum Domini, etiam significantur spirituales, qui filii dicuntur, ut ex illis quae supra n: 2658, dicta sunt, quoque patet; inde ex amore Divino dolor Ipsi, seu verba quae in hoc Versu; inde quoque

illa quae sequuntur a Vers: 13 ad 21, ubi per filium Hagaris et matrem repraesentatur Ecclesia spiritualis, ac agitur de ejus, seu illorum qui ab Ecclesia illâ, statu, n: 2612: Arcana haec non pluribus adhuc edici possunt; solum, quod apud Dominum, cum fuit in mundo, repraesentati sint omnes status Ecclesiae, et quomodo per Ipsum salvarentur; quare etiam iidem status Ecclesiae per eadem nomina quoque significantur.

2662. Vers: 12. *Et dixit Deus ad Abraham, ne malum sit in oculis tuis super puerum, et super ancillam tuam; omne quod dicit ad te Sarah, audi voci ejus, quia in Jischako vocabitur tibi semen.* Dixit Deus ad Abrahamum, significat perceptionem Domini ex Divino: ne malum sit in oculis tuis super puerum, et super ancillam tuam, significat status mutationem erga Rationale illud: omne quod dicit ad te Sarah audi voci ejus, significat quod secundum spirituale verum ageret; quia in Jischako vocabitur tibi semen, significat quod ex Divino Humano Domini omnis salus illis qui in bono sunt.

2663. Dixit Deus ad Abrahamum, quod significet perceptionem Domini ex Divino, constat ex significatione dicere in historicis Verbi, quod sit percipere, de qua saepius prius; et quia ex Divino, dicitur quod Deus ad Abrahamum dixit; per utrumque, tam per Deum, quam per Abrahamum, intelligitur Dominus; quod historica, quae sunt sensus literae, dividant ideas, at quod sensus internus uniat illas, patet ex his; in sensu literae historico sunt duo, nempe Deus et Abrahamus, quae colloquuntur, in sensu interno autem est unus, nempe Dominus quoad Divinum; inde quoque patet, quod qui tres sunt in sensu literae, sit unus in sensu interno, sicut Pater, Filius, et Spiritus Sanctus, qui non tres dii sunt, sed unus, et quod in Domino omne Trinum perfectum sit, nempe in Ipso Pater, ut Ipse dicit, et ex Ipso Sanctum spiritus, ut quoque Ipse dicit.

2664. Ne malum sit in oculis tuis super puerum et super ancillam tuam, quod significet status mutationem erga Rationale illud; in sensu proxime interno secundum verba, est quod non doleret de eo, quod separaret a se Rationale mere humanum, tum quod non doluerit, nam a perceptione ex Divino fuit, quod necessum esset ut separaretur, quia non aliter salvari po-

tuisset genus humanum; haec status mutatio est, quae significatur.

2665. Quod omne quod dicit ad te Sarah audi voci ejus, significet quod secundum spirituale verum ageret, constat ex repraesentatione Sarae, quod sit Divinum spirituale, seu Divinum verum, de qua n: 2622; et ex significatione audire voci, quod sit secundum id agere, de qua n: 2542. Quid sit agere secundum Spirituale verum, non ad captum ita explicari potest, sicut potest percipi ab illis qui in sensu interno sunt, quare si secundum perceptionem horum diceretur quid sit, vix agnosceretur, ex causa etiam, quia plura arcana prius evolvenda, imo credenda, antequam res explicata in ideas fidei intrare possit; quid in communi significet, aliquantisper dici potest, nempe quod sit quod Dominus ex Humano Divino concluderet, et secundum id ageret, ita ex propria potentia; Divinum enim Verum fuit per quod univit Humanum Divino, ac Divinum Bonum per quod univit Divinum Humano, quod reciproca unitio fuerit, videatur n: 2004.

2666. Quod in Jischako vocabitur tibi semen, significet quod a Divino Humano Domini omnis salus illis qui in bono sunt, constat a repraesentatione Jischaki, quod sit Divinum Rationale, de qua prius, ita Divinum Humanum, nam in intimo Rationalis inchoat humanum, n: 2106; et ex significatione seminis, quod praedicatur ex Jischako, quod sit Rationale coeleste, seu quod idem, qui coelestes sunt, de qua n: 2085. 2661; ita vocari tibi semen, significat quod illi haeredes, proinde quod illis salus; Spirituales sunt etiam semen, sed ex filio ancillae, ut dicitur in Vers: seq: „Et etiam filium ancillae in gentem ponam eum, quia Semen tuum ille;" quare etiam illis salus, si in bono sunt, ut ab interno sensu illorum verborum constabit; idem etiam docet Dominus multis in locis, et manifeste apud Johannem, „Quotquot Ipsum receperunt, dedit illis potestatem ut filii Dei essent, credentibus in Nomen Ipsius, qui non ex sanguinibus, neque e voluntate carnis, neque e voluntate viri, sed ex Deo nati sunt," I: 12. 13.

2667. Actum est a Primo Versu hujus Capitis ad Septimum, de unitione Humani cum Divino, et Divini cum Humano, Domini, et quod ex unitione illa Humanum Domini Divi-

num factum; contenta singulorum Versuum videantur n: 2649: deinde, *actum est de Rationali mere humano, quod separaretur*, Vers: 8. *quia non congruens esset Divino Rationali*, Vers: 9; *nec cum hoc communem habere vitam posset, tam quoad verum quam quoad bonum*, Vers: 10. *quod separatio primum dolori esset Domino*, Vers: 11; *sed quod ex Divino perceperit Genus humanum aliter salvari non potuisse*, Vers: 12. Nunc sequitur de illis qui ab Ecclesia Spirituali, qui per filium Hagaris, postquam ablegatus, significantur.

* * *

2668. Vers: 13. *Et etiam filium ancillae in gentem ponam illum, quia semen tuum ille.* Etiam filium ancillae in gentem ponam illum, significat Ecclesiam spiritualem quae acceptura bonum fidei: quia semen tuum ille, significat quod ex Divino Humano Domini illis quoque salus.

2669. Etiam filium ancillae in gentem ponam eum, quod significet Ecclesiam spiritualem, quae acceptura bonum fidei, constat a significatione filii ancillae, tum gentis; filius ancillae seu Ismaël, cum fuit in domo Abrahami, seu cum Abrahamo, repraesentabat primum Rationale Domini, ut n: 2652. 2653. 2657. 2658. ostensum, nunc vero cum separatus induit aliam repraesentationem, nempe Ecclesiae Spiritualis, n: 2666; similiter ac prius Loth, qui dum fuit cum Abrahamo, repraesentabat Externum hominem Domini, n: 1428. 1429. 1434. 1547. 1597. 1598. 1698, at cum separatus ab Abrahamo, repraesentabat Ecclesiam Externam, et plures istius Ecclesiae status, n: 2324. 2371. 2399. 2422. 2459, et in toto Cap: XIX, Gen: quod Gens significet bonum, videatur n: 1159. 1258. 1259. 1260. 1416. 1849, hic bonum fidei, quia praedicatur de Ecclesia spirituali; inde nunc, „Etiam filium ancil„lae in gentem ponam eum," significat Ecclesiam spiritualem quae acceptura bonum fidei, hoc est, charitatem. Regnum Domini in coelis et in terris est coeleste et spirituale, quare Angeli distincti sunt in coelestes et in spirituales, videatur n: 202. 337; coelestibus Angelis apparet Dominus ut Sol, spiritualibus ut Luna, n: 1053. 1521. 1529. 1530. 1531; similiter sunt homines distincti in coelestes et in spirituales; qui ab An-

tiquissima Ecclesia quae ante diluvium, fuerunt coelestes, de quibus n: 607. 608. 780. 895. 920. 1114 ad 1125; at qui ab Antiqua, quae post diluvium, fuerunt spirituales, de quibus n: 640. 641. 609. 765; quae differentia inter illas Ecclesias videatur n: 597. 607; tum quae inter coeleste et spirituale, n: 81. 1155. 1577. 1824. 2048. 2069. 2088. 2227. 2507. Coelestes sunt de quibus ita Dominus, „Proprias oves vocat nomine tenus, et educit eas, et quando proprias oves eduxerit, coram iis incedit, et oves Ipsum sequuntur, quia sciunt vocem Ipsius;" Spirituales autem sunt, de quibus haec, „Et alias oves habeo, quae non sunt ex ovili hoc, etiam illas oportet Me adducere, vocemque meam audient, et fiet unus grex et unus pastor," Joh: X: 3. 4. 16. Bonum amoris est quod facit Ecclesiam coelestem; Bonum autem fidei quod facit Ecclesiam spiritualem; verum fidei non facit, sed introducit.

2670. Quod quia semen tuum ille, significet quod ex Divino Humano Domini illis quoque salus, constare potest ab illis quae supra n: 2666 dicta sunt: quod semen sit fides sed charitatis, videatur n: 255. 880. 1025. 1447. 1610. 1940. [5]

2671. Agitur a Vers: hoc 13 ad 21, in genere de Regno spirituali Domini, et in specie de illis qui fiunt spirituales, et hoc, ordine a primo statu eorum reformationis ad ultimum; *De statu eorum ante reformationem, quod erraticus in doctrinalibus fidei*, Vers: 14: *Quod redigantur usque ad ignorantiam, quod nihil veri sciant*, Vers: 15. *Quod dolor iis inde*, Vers: 16: *Et quod tunc solatium et auxilium a Domino*, Vers: 17; *Et illustratio*, Vers: 18: *Ac instructio ex Verbo*, Vers: 19. *Quod usque status eorum post reformationem, respective ad Coelestes, sit obscurus*, Vers: 20. *At quod iis lux a Divino Humano Domini in eorum affectione scientiarum, et apparentium veritatum*, Vers: 21.

2672. Vers: 14. *Et mane surrexit Abraham in matutino, et accepit panem et lagenam aquae, et dedit ad Hagar, posuit super humero ejus, et puerum, et emisit illam, et ivit et erravit in deserto Beerschebah.* Mane surrexit Abraham in matutino, significat perceptionem claram Domini a Divino: et accepit panem et lagenam aquae, significat bonum et verum: et dedit ad Hagar, significat implantationem in vita ejus: et po-

suit super humero ejus, significat quantum posset recipere: et puerum, significat verum spirituale: et emisit illam, significat quod in proprio relinqueret: et ivit et erravit in deserto Beerschebah, significat statum erraticum in doctrinalibus fidei.

2673. Mane surrexit Abraham in matutino, quod significet perceptionem claram Domini a Divino, constat a significatione mane, et surgere in matutino, quod sit percipere clare, de qua n: 2640, ubi eadem verba; et a repraesentatione Abrahami, quod sit Divinum Domini, de qua saepe prius. Perceptio clara Domino a Divino fuit de statu Regni spiritualis Ipsius, nempe quales illi qui e Regno illo seu ab Ecclesia illa, in principio sunt, quales successive, et quales tandem fiunt; nam omnis status eorum ad amussim et plene describitur in sensu interno a Vers: 13 ad 21 {[6]} hujus Capitis.

2674. Et accepit panem et lagenam aquae, quod significet bonum et verum, constat a significatione panis, quod sit coeleste seu bonum, de qua n: 276. 680. 2165; et a significatione aquae, quod sit spirituale seu verum, de qua n: 28. 680. 739: dicitur lagena aquae, quia est perparum veri, quo in principio donantur, quantum nempe tunc possunt recipere, quod significatur per quod posuit super humero ejus, n: 2676. Quisque videre potest, quod historica haec involvant arcana, ex eo, quod Abraham, qui dives pecore et armento, tum auro et argento, ita ablegaverit ancillam suam ex qua filium habuit, et puerum Ismaëlem quem multum dilexit, solum dando eis aliquid panis, praevidere etiam potuit, quod illis consumtis morerentur, quod etiam factum nisi ab Angelo tulerint opem; et praeterea haec de pane et lagena aquae, et quod illa posita super humero, nec tanti sunt, ut memorentur; sed usque ita factum est, ac memoratum, quia involvunt et significant statum primum eorum qui spirituales fiunt, quibus in principio aliquid boni et aliquid veri, et quidem parum suppeditatur, et dein quod aqua illis deficiat, et auxilium tunc ferant a Domino.

2675. Et dedit ad Hagar, quod significet implantationem in vita ejus, constat a significatione Hagaris, quod sit vita exterioris hominis, de qua n: 1896. 1909; vita exterioris hominis est affectio scientiarum, quae per Hagarem Aegyptiam in specie significatur: apud illos, qui fiunt spirituales, implantatur

a Domino bonum et verum in affectione scientiarum, ut nempe scire et discere velint quid bonum et verum, ob finem et usum ut rationales fiant, ac ut spirituales, nam affectio scientiarum est mater per quam nascitur Rationale in quo spirituale, n: 1895. 1896. 1902. 1910: simile quidem apud omnes a Domino influit, sed non alii recipiunt propter eum finem et eum usum, quam qui reformari possunt, caeteri propter alios fines et alios usus, qui innumerabiles sunt, et spectant se et mundum.

2676. Posuit super humero ejus, quod significet quantum posset recipere, constat a significatione humeri, quod sit omnis potentia, de qua n: 1085, ita quantum boni et veri possunt recipere.

2677. Et puerum, quod significet spirituale, constat a significatione pueri, hic quod sit illud quod spirituale dicitur; repraesentat enim Ismaël seu filius ancillae hic spiritualis Ecclesiae hominem, et quia hic eum in principio, dicitur puer.

2678. Quod emisit illam, significet quod in proprio relinqueret, constare potest a significatione emitti, cum hoc ab Abrahamo, per quem repraesentatur Dominus; tum a statu eorum primo qui reformantur et spirituales fiunt; status eorum primus est, quod putent se bonum agere et verum cogitare ex semet ita ex proprio, tunc nec aliter sciunt; ac cum iis dicitur, quod omne bonum et omne verum a Domino, id quidem non rejiciunt, sed non corde agnoscunt, quia non sentiunt, nec interius percipiunt quod aliquid aliunde influat quam a semet; quia in tali statu omnes sunt primum qui reformantur, ideo a Domino relinquuntur in proprio, sed usque, iis nescientibus, per proprium suum ducuntur.

2679. Et ivit et erravit in deserto Beerschebah, quod significet statum erraticum tunc in doctrinalibus fidei, constat a significatione ire et errare in deserto, quod sit status erraticus; et a significatione Beerschebah, quod sit doctrina fidei, de qua ad finem hujus Capitis, ubi dicitur, quod Abrahamus et Abimelechus percusserunt foedus in Beerschebah, Vers: 32; et quod Abrahamus plantavit lucum in Beerschebah, Vers: 33. In hoc Versu describitur, qualis in principio est status eorum qui reformantur, nempe quod in varios errores auferantur; inditur enim iis a Domino, ut multum cogitent de vita aeterna,

ita multum de veris fidei, sed quia ex proprio, ut dictum, non possunt aliter, quam sicut doctrina ita vita errare huc illuc, arripiendo pro vero quod inseminatum est ab infantia, vel quod imprimitur illis ab aliis, vel quod cogitatur ab ipsis, praeter quod affectiones variae, quas nesciunt, abducant; sunt sicut fructus adhuc immaturi, quibus non momento forma, pulchritudo, et sapor, induci queunt; aut sicut surculi teneri, qui non momento excrescere possunt in florem aut spicam: quae autem tunc intrant, tametsi quoad plurimam partem erronea, usque sunt talia, quae inserviant promovendae crescentiae, quae dein, cum reformantur, partim separantur, partim conducunt pro inducendis quasi alimentis et succis in vitam sequentem, partim quae coaptari possunt bonis et veris postmodum a Domino implantandis, et partim ut inserviant spiritualibus pro ultimis planis; ita pro continuis mediis ad reformationem, quae media in perpetuo nexu et ordine consequuntur, nam omnium minima apud hominem a Domino praevidentur, et ad futurum ejus statum in aeternum providentur, et hoc ad ejus bonum, quantum usquam possibile est, et homo patitur se a Domino duci.

2680. Vers: 15. *Et consumtae sunt aquae e lagena, et conjecit puerum sub unum fruticum.* Consumtae sunt aquae e lagena, significat desolationem veri: et conjecit puerum sub unum fruticum, significat desperationem quod nihil veri et boni perciperet.

2681. Consumtae sunt aquae e lagena, quod significet desolationem veri, constat a significatione consumi, quod sit desolari; et ex significatione aquae, quod sit verum, de qua n: 28. 680. 739.

2682. Et conjecit puerum sub unum fruticum, quod significet desperationem quod nihil veri et boni perciperet, constat a significatione pueri, quod sit spirituale verum, de qua n: 2669. 2677; et ex significatione fruticis seu virgulti, quod sit perceptio, sed ita parum ut vix aliquid, quare etiam dicitur sub unum fruticum, similiter sed in minori gradu ac arbores, quae quod significent perceptiones, videatur n: 103. 2163; tum ab affectu in illo facto, qui est desperationis; inde patet, quod per conjecit puerum sub unum fruticum, significetur desperatio, quod nihil veri et boni perciperet: quod sub unum

fruticum conjici, sit desolari quoad verum et bonum usque ad desperationem, patet apud Hiobum, „In egestate et in esurie „solitarius; fugientes ad siccitatem, praeteritam noctem, *deso-„lationem et vastitàtem;* carpentes malvam super *Frutice:* in „fissura vallium ad habitandum, foraminibus pulveris et petra-„rum; *inter frutices gemebant,* sub carduo conjungebantur," XXX: 3. 4. [6]. 7; ubi de desolatione veri, quae describitur per formulas in Antiqua Ecclesia solennes, (Liber enim Hiobi est Antiquae Ecclesiae liber:) ut, esse in egestate et esurie solitarius, fugere ad siccitatem, praeteritam noctem, desolationem, vastitatem, in fissuris vallium et petrarum habitare, tum carpere malvam super frutice, et inter frutices gemere: ut quoque apud Esaiam, „Venient et quiescent omnes in fluviis „*desolationum,* in fissuris petrarum, et *in omnibus virgultis,* „et in omnibus ductibus," VII: 19; ubi etiam de desolatione, quae per similes formulas describitur, scilicet per quiescere in fluviis desolationum, in fissuris petrarum, et in virgultis. In hoc Versu agitur de altero statu eorum, qui reformantur, qui est quod redigantur ad ignorantiam, ut nihil veri sciant, et hoc usque ad desperationem; causa ut redigantur in talem ignorantiam, est ut exstinguatur lux persuasiva, quae talis est, ut illuminet aeque falsa ac vera, ac inducat fidem falsi per vera, et fidem veri per falsa, et simul sui fiduciam; tum quoque ut in cognitionem per ipsam experientiam perducantur de eo, quod nihil boni et nihil veri a seipso seu a proprio, sed ex Domino; rediguntur illi, qui reformantur, in ignorantiam usque ad desperationem, et tunc iis solatium et illustratio, ut constat ab iis quae sequuntur; influere enim non potest lux veri a Domino, in persuasivum quod ex proprio, hoc enim talis naturae est, ut illam lucem exstinguat, apparet persuasivum in altera vita instar lucis hyemalis, sed ad approximationem lucis coeli, fit pro luce illa tenebricosum, in quo est omnis veri ignorantia: hic status vocatur desolationis veri apud eos qui reformantur, et de illo agitur quoque multum in sensu interno Verbi. Sed de eo statu pauci scire possunt, quia pauci hodie regenerantur; qui non regenerantur, illis perinde est sive verum sciant vel non sciant, tum sive verum sit vel non sit, quod sciunt, modo venditare aliquid pro vero possint; at qui regenerantur, mul-

tum de doctrina et vita, quia de salute aeterna, cogitant, ac ideo si illis verum deficit, quia est cogitationis et affectionis eorum, dolent corde: Qualis status unius et alterius, constare potest ex hoc; Homo dum in corpore est, quoad spiritum vivit in coelo, et quoad corpus in mundo, in utrumque nascitur; ac ita creatus est, ut possit actualiter quoad spiritum esse cum angelis, et simul per illa, quae sunt corporis, esse cum hominibus; sed quia pauci sunt, qui credunt, quod iis spiritus qui victurus post mortem, pauci sunt qui regenerantur; qui credunt, illis altera vita est omne cogitationis et affectionis, et mundus est respective nihil; qui autem non credunt, illis mundus est omne cogitationis et affectionis, et altera vita est respective nihil; illi sunt qui regenerari possunt, hi autem qui non possunt.

2683. Vers: 16. *Et ivit, et sedit sibi e regione, elongando se circiter jactum arcus, quia dixit, ne videam mortem pueri, et sedit e regione, et sustulit vocem suam, et flevit.* Ivit, et sedit sibi e regione, significat statum cogitationis: elongando se circiter jactum arcus, significat statum quantum abesset a doctrina veri; arcus est doctrina veri: quia dixit ne videam mortem pueri, significat dolorem quod sic periret: et sedit e regione, significat cogitationis statum: et sustulit vocem et flevit, significat doloris ulteriorem gradum.

2684. Ivit et sedit sibi e regione, quod significet statum cogitationis, constare potest ex significatione ire, tum sedere sibi, et hoc e regione, applicate ad illa quae praecedunt et quae sequuntur; ire, hic abire a puero, significat remotionem a vero spirituali, quae ulterius exprimitur et determinatur per quod elongaverit se circiter ad jactum arcus; sedere sibi, significat statum solitarium qualis est cogitationis in dolore et desperatione; e regione, significat ut non prospiceret et usque prospiceret, quod prospicere sit cogitare, videatur n: 2245, quod etiam ulterius exprimitur et determinatur per quod dixerit, ne videam mortem pueri, et sedit e regione; ita illis verbis involvitur status cogitationis eorum, qui in desolatione veri ac desperatione inde sunt.

2685. Elongando se circiter jactum arcus, quod significet statum quantum abesset a doctrina veri, constat a significatione

elongari, quod sit abesse; et a significatione arcus, quod sit doctrina veri, de qua mox sequitur; jactus significat, quod tantum abesset quantum usquam posset, sicut quantum jaculum ab arcu posset emitti: hic jactus arcus dicitur, quia de spirituali homine praedicatur arcus, et quod is jaculator arcus, ut de eo in Vers: seq: 20, „et habitavit in deserto, et fuit jacu-„lator arcus."

2686. Quod arcus sit doctrina veri, constat a significatione ejus; in Verbo ubicunque agitur de Bellis, et memorantur bella, in sensu interno non alia significantur bella, quam spiritualia, n: 1664; fuerunt etiam Libri in Antiqua Ecclesia, qui inscripti Bella Jehovae, ut constat apud Mosen, Num: XXI: 14. 15. 16, quae prophetico stylo conscripta sensum internum habuerunt, et egerunt de Domini pugnis et tentationibus, tum de Ecclesiae, et illorum qui ab Ecclesia; quod exinde patet, quia aliqua inde desumta sunt a Mose; tum quoque a Libris aliis Ecclesiae istius, qui vocati Libri Enuntiatorum propheticorum, de quibus Num: XXI: 27. 28. 29. 30, in quibus eadem paene verba sunt quae apud Jeremiam, conferantur Num: XXI: 28, et Jerem: XLVIII: 45: ex quibus etiam concludi potest, quod Antiquae Ecclesiae fuerint Scripta tam Historica quam Prophetica, quae Divina et inspirata, et quae in interno sensu agebant de Domino ac Ipsius Regno, et quod illa iis Verbum, sicut nobis Libri Historici et Prophetici, qui in sensu literae agunt de Judaeis et Israëlitis, sed in sensu interno de Domino, et de illis quae Ipsius sunt. Quia Bellum in Verbo, sicut etiam in Antiquae Ecclesiae Libris, significabat Bellum spirituale, ita omnia arma, ut Gladius, Hasta, Clypeus, Scutum, Tela, Sagittae, et Arcus, significabant talia in specie, quae sunt Belli in spirituali sensu intellecti; de singulis armis, quid in specie significent, ex Divina Domini Misericordia, alibi dicetur; hic nunc quid Arcus, quod nempe Doctrinam veri, et hoc a telis, sagittis, seu jaculis, quae sunt doctrinalia ex quibus et cum quibus pugnant, illi imprimis qui spirituales sunt, qui inde olim dicti Jaculatores arcus: quod Arcus significet Doctrinam veri, constare potest ab his locis; apud Esaiam, „Jehovae *tela* acu-„ta, et *omnes Arcus* Ipsius tensi, ungulae equorum Ipsius sicut „rupes reputantur, et rotae Ipsius sicut procella," V: 28, [7]

ibi de veris doctrinae agitur, tela sunt vera spiritualia, arcus doctrina, ungulae equorum vera naturalia, rotae doctrina eorum; quae quia talia significant, ideo Jehovae tribuuntur, cui non tribui possunt nisi in sensu spirituali, aliter forent verba inania et non decentia: apud Jeremiam, „Dominus *tetendit* „*Arcum suum* sicut inimicus, constitit dextra Ipsius sicut ho„stis, et occidit omnia desiderabilia oculi in tentorio filiae Zio„nis, effudit sicut ignem iram suam," Thren: II: 4; Arcus pro doctrina veri, quae apparet illis qui in falsis sicut inimicum et hostile, non alius arcus praedicari potest de Domino: apud Habakuk, „Jehovah equitas super equis tuis, currus tui salus, „denudando denudabitur *Arcus tuus*," III: 8. 9; ibi arcus etiam est doctrina boni et veri: apud Mosen, „Exacerbabunt „eum, et *jaculabuntur*, odio habebunt eum *sagittarii*, sede„bit *in firmo Arcus sui*, et roborabuntur brachia manuum Ip„sius a manibus fortis Jacobi, inde Pastor, Lapis Israëlis," Genes: XLIX: 23. 24; ubi de Josepho, Arcus pro doctrina boni et veri: apud Johannem, „Vidi, cum ecce equus albus, „et sedens super illo *habens Arcum*, cui data est corona," Apoc: VI: 2; equus albus pro sapientia, sedens super illo pro Verbo, ut dicitur manifeste Cap: XIX: 13, ubi de equo albo iterum agitur; et quia sedens super illo est Verbum, constat quod Arcus sit doctrina veri: apud Esaiam, „Quis excitavit „ab oriente justitiam, vocavit eum ad sequelam sui, dedit co„ram Ipso gentes, et regibus dominari fecit, dedit sicut pulve„rem gladio suo, sicut stipulam propulsam *arcu suo*," XLI: 2; ubi agitur de Domino, gladius pro vero, arcus pro doctrina ab Ipso: apud Eundem, „Ponam in eis signum, et mittam „ex eis evasores, ad gentes Tharschish, Pul et Lud *trahentes* „*arcum*, Thubal et Javam," LXVI: 19; trahentes arcum, pro docentes doctrinam, quid Tharschish, videatur n: 1156; quid Lud, n: 1195. 1231; quid Thubal, n: 1151, quid Javan, n: 1152. 1153. 1155: apud Jeremiam, „Prae voce „equitis et *jacientis arcum*, fugiens tota urbs, intrarunt in „nubes, et in rupes ascenderunt, tota urbs deserta est," IV: 29; eques pro illis qui verum dicunt, arcus pro doctrina veri, quam fugiunt seu timent illi qui in falsis; apud Eundem, „Dis„ponite aciem contra Babelem circumcirca, omnes *tendentes*

„ *arcum jacite* ad eam, ne parcatis *telo*, quia Jehovae peccavit," L: 14. 29. Cap: LI: 2. 3, ubi jacientes et tendentes arcum pro dicentibus et docentibus doctrinam veri: apud Zachariam, „Exscindam *currum* ex Ephraimo, et equum ex Hierosolyma, et exscindetur *arcus belli*, et loquetur pacem gentibus," IX: 10; Ephraimus pro intellectu veri Ecclesiae, arcus pro doctrina: apud Samuelem, „Lamentatus David lamentationem super Schaule, et super Jonathane filio ejus, et dixit „ad *docendum filios Jehudae arcum*," 2 Sam: I: 17. [18]; ubi de arcu non agitur, sed de doctrinalibus fidei: apud Ezechielem, „Dictum Domini Jehovih, hic dies de quo loquutus sum, „et exibunt habitatores urbium Israëlis, et succendent et comburent arma, et scutum, et clypeum, *Arcum* et *tela*, et „baculum manus et hastam, et succendent in illis ignem septem „annis," XXXIX: 9; arma ibi nominata sunt omnia arma belli spiritualis; arcus cum telis pro doctrina et ejus veris: ipsa etiam vera separata a bonis, apparent in altera vita, cum repraesentantur ad visum, sicut tela. Prout arcus significat doctrinam veri, etiam in opposito sensu significat doctrinam falsi; similia in Verbo utplurimum sensum oppositum habent, ut passim dictum et ostensum; ut apud Jeremiam, „Ecce populus „veniens e terra septentrionis, et gens magna excitabitur e lateribus terrae, *Arcum* et hastam *prehendunt*, crudelis illa, „et non miserebuntur, vox eorum sicut mare tumultuabitur, „super equis equitabunt, instructus tanquam vir ad bellum, „contra te filia Zionis," VI: 22. 23, ubi arcus pro doctrina falsi: apud Eundem, „Ecce populus veniens e septentrione, „et gens magna, ac reges multi excitabuntur a lateribus terrae, „*Arcum* et hastam tenent, crudeles illi, et non miserentur," L: [41.] 42: similiter: apud Eundem, „Tendunt linguam suam, „*Arcus eorum mendacium*, et non ad *veritatem*, praevalent in „terra, quia e malo in malum egressi sunt, et Me non noverunt," IX: 1. 2; quod arcus sit doctrina falsi, patet manifeste, nam dicitur quod tendant linguam, arcus eorum mendacium, et non ad veritatem: apud Eundem, „Dixit Jehovah „Zebaoth, ecce Ego *frangens Arcum Elami*, principium fortitudinis ejus," XLIX: 35: apud Davidem, „Ite, videte opera Jehovae, qui ponit desolationes in terra, cessare faciens

„bella usque ad extremitatem terrae, *Arcum frangit*, conci„dit hastam, plaustra comburit igne," Psalm: XLVI: 9. 10; apud Eundem, „Notus in Jehudah Deus, in Israële magnum „Nomen Ipsius, et erit in Schalem tabernaculum Ipsius, et ha„bitaculum Ipsius in Zione, ibi *fregit jacula ignita arcus*, scu„tum, et gladium, et bellum," Psalm: LXXVI: 2. 3. 4: apud Eundem, „Ecce impii *tendunt Arcum*, praeparant *sagittas* „*suas super nervo*, ad *jaculandum* in tenebris rectos corde," Psalm: XI: 2, hic manifeste arcus et sagittae pro doctrinalibus falsi.

2687. Quia dixit ne videam mortem pueri, significet dolorem quod sic periret, constat a significatione videre mortem, quod sit perire; et a significatione pueri, quod sit spirituale verum, de qua supra; inde et ex affectu desperationis propter desolationem veri patet quod sit interior dolor, qui his verbis inest.

2688. Et sedit e regione, quod significet cogitationis statum, constat ab illis quae supra n: 2684 dicta sunt, ubi eadem verba. Quod iterum hoc dicatur in hoc Versu, causa est, quia status cogitationis usque ad ultimum doloris auctus et aggravatus est, ut patet ab illis quae mox praecedunt, „Ne vi„deam mortem pueri;" et ab illis quae mox sequuntur, „Su„stulit vocem et flevit."

2689. Et sustulit vocem et flevit, quod significet doloris ulteriorem gradum, constare potest a significatione tollere vocem et flere, quod sit ultimum doloris, fletus enim cum alta voce non aliud est. Status desolationis veri, tum elongationis a veris, apud eos qui fiunt spirituales, in hoc Versu descriptus est; quomodo haec se habent, paucis dicendum est; illi, qui non reformari possunt, nesciunt prorsus, quid sit dolere propter id quod depriventur veris, putant quod nusquam aliquis angi possit propter tale; solum anxietatem dari posse credunt, quod quis privetur bonis corporis et mundi, ut valetudine, honore, fama, opibus, et vita: qui autem reformari possunt, aliter prorsus credunt; detinentur ii a Domino in affectione boni et in cogitatione veri, quare in anxietatem veniunt, quando illis privantur: notum est, quod omnis anxietas et dolor sit inde quod aliquis privetur illis, quibus afficitur seu quae amat; qui

solum afficiuntur corporeis et mundanis, seu solum talia amant, ii dolent quando illis privantur; qui autem afficiuntur bonis et veris spiritualibus, et haec amant, ii dolent quando illis privantur, cujusvis vita non est nisi affectio seu amor; inde constare potest, qualis status est eorum qui desolantur quoad bona et vera, quibus afficiuntur seu quae amant, quod nempe status doloris eorum sit gravior, quia interior, et in privatione boni et veri non spectant mortem corporis, quam nec curant, sed mortem aeternam; eorum status est, qui hic describitur. Ut quoque sciatur, quinam sunt qui in affectione boni et veri a Domino teneri, ac sic reformari et fieri spirituales possunt, et quinam non possunt, etiam paucis dicendum; unusquisque in pueritia, dum primum bonis et veris imbuitur, tenetur a Domino in affirmativo quod verum sit quod a parentibus et a magistris dicitur et docetur; hoc affirmativum apud eos, qui spirituales homines possunt fieri, per scientifica et cognitiones confirmatur, [8] nam quicquid addiscunt, quod affine est, se insinuat affirmativo, et hoc corroborat, idque magis et magis usque ad affectionem, hi sunt qui spirituales homines secundum veri essentiam, cui fidem habent, fiunt, et qui in tentationibus vincunt: aliter vero se res habet cum illis, qui non spirituales fieri possunt; hi tametsi in pueritia in affirmativo sunt, usque succedente aetate dubitativa admittunt, et sic infringunt affirmativum boni et veri; et cum adultam aetatem intrant, admittunt negativa, usque ad affectionem falsi; hi si in tentationes inducerentur, plane succumberent, quare etiam ab illis liberantur. Sed ipsa causa, quod admittant dubitativa, et postea negativa, ducit omnem suam originem a vita mali; qui in vita mali sunt, nusquam aliter possunt; vita cujusvis, ut dictum, est affectio seu amor, qualis affectio seu amor, talis cogitatio, affectio mali et cogitatio veri nusquam se conjungunt, ubi apparent se conjungere, usque non conjungunt, est cogitatio veri absque affectione ejus, quare apud eos verum non est verum, sed modo sonorum quoddam, seu oris, a quo cor procul abest; tale verum scire etiam possunt pessimi, et quandoque prae aliis: apud quosdam etiam datum persuasivum veri talis naturae, ut nemo aliud scire possit, quam quod sit genuinum, sed usque non est si non sit vita boni, est affectio amo-

ris sui vel mundi, quae inducit tale persuasivum, quod etiam cum vehementia apparentis zeli defendunt, imo usque ut condemnent illos qui non recipiunt, aut similiter credunt; sed hoc verum est quale principium apud unumquemvis, fortius quo fortior amor sui aut mundi, id quidem adnascitur malo, sed non cum malo se conjungit, quare etiam exstirpatur in altera vita. Aliter apud eos, qui in vita boni sunt, ipsum verum ibi suam humum, et suum cor, et a Domino suam vitam, habet.

2690. Vers: 17. *Et audivit Deus vocem pueri; et clamavit Angelus Dei ad Hagarem e coelo, et dixit ei, quid tibi Hagar, ne timeas, quia audivit Deus vocem pueri, in quo ille est.* Audivit Deus vocem pueri, significat tunc auxilium: et clamavit Angelus Dei ad Hagarem e coelo, significat consolationem: et dixit ei, quid [9] tibi Hagar, significat perceptionem de statu ejus: ne timeas, quia audivit Deus vocem pueri, in quo ille ibi, significat spem auxilii.

2691. Audivit Deus vocem pueri, quod significet tunc auxilium, constat a significatione audire Deus vocem in sensu historico, quod sit ferre auxilium in sensu interno, et a significatione pueri, quod sit spirituale verum, de qua prius, hic quod sit status in quo spirituale quoad verum esset, nam dicitur quod audivit *vocem pueri*, et mox in hoc Versu, audivit vocem pueri *in quo ille ibi*, nempe in quo statu, et in praecedentibus, quod in statu summi doloris ob privationem veri esset. Quod vocem pueri, non Hagaris dicatur audivisse, est quia de statu spiritualis hominis agitur; per puerum seu Ismaëlem repraesentatur Spiritualis Ecclesiae homo, per Hagarem matrem ejus affectio cognitionum veri, quae est cui dolor; Rationale hominis nascitur ab affectione scientiarum ut a matre, n: 1895. 1896. 1902. 1910. 2094. 2524; sed Spirituale ejus ab affectione cognitionum veri ex doctrina, cumprimis ex Verbo; ipsum Spirituale est hic puer, affectio cognitionum veri est hic Hagar.

2692. Et clamavit Angelus Dei ad Hagarem e coelo, quod significet consolationem, constat a significatione clamare e coelo, tum Angeli Dei, ut et Hagaris; clamare e coelo significat influxum; Angelus Dei Dominum, n: 1925. 2319; [10] et Hagar affectionem cognitionum veri, n: 2691; influxus Domini in

affectionem veri, cum haec in summo dolore ob privationem, est consolatio: quod a Domino influit apud hominem, dicitur clamari e coelo, quia per coelum est, et ibi manifestum, sed in hominis perceptione et cogitatione obscurum, modo per mutationem status affectionis se manifestans, ut hic quod consolationem acceperit.

2693. Dixit ei, quid tibi Hagar, quod significet perceptionem de statu ejus, constat a significatione dicere in historicis Verbi, quod sit percipere, de qua prius; et a significatione quid tibi Hagar, quod sit status in quo esset; hic significat quod Dominus noverit ejus statum, tametsi interrogatur illa, et dicitur quid tibi Hagar; in sensu literae est interrogatio a Domino, at in sensu interno est infinita perceptio omnium; quod interrogentur homines de statu eorum, passim legitur in Verbo, sed est causa, quia homo non aliter credit, quam quod nemo sciat cogitationes, minus statum affectionis; tum quoque ut solatium inde habeant, ut aperire queant sensa animi, quod solet medelae esse, videatur n: 1701. 1931.

2694. Ne timeas, quia audivit Deus vocem pueri, in quo ille ibi, quod significet spem auxilii, constat a significatione ne timeas, quod sit non desperare, sublato enim timore spes adest; et a significatione audire vocem pueri, quod sit auxilium, de qua supra n: 2691, ubi similia verba. Actum est in Versibus qui praecedunt, de statu desolationis, in quo illi qui reformantur ac fiunt spirituales; nunc agitur de restitutione eorum, hic de solatio et spe auxilii. Quod in ignorantiam veri seu desolationem, usque ad dolorem et desperationem, redigantur illi qui reformantur, et quod tunc primum iis solatium et auxilium a Domino, hodie ignotum est, ex causa quia pauci reformantur; qui tales sunt, ut reformari queant, si non in vita corporis, usque in altera, in statum hunc perducuntur, ubi ille notissimus est, et vocatur Vastatio seu desolatio, de qua aliquid in Parte Prima, ubi etiam videatur n: 1109; qui in tali Vastatione seu desolatione sunt, rediguntur usque ad desperationem, et cum in hoc statu sunt, tunc accipiunt solatium et auxilium a Domino, et tandem auferuntur inde in coelum, ubi inter Angelos instruuntur quasi e novo in bonis et veris fidei: causa vastationis et desolationis hujus, est praecipue, ut

frangatur persuasivum, quod ex proprio captarunt, videatur n: 2682; tum etiam ut perceptionem boni et veri accipiant, quam accipere nequeunt, antequam persuasivum, quod ex proprio, quasi emollitum sit; status anxietatis et doloris usque ad desperationem facit hoc; quid bonum, imo quid beatum et felix, nemo sensu exquisito percipere potest, nisi in statu non boni, non beati, et non felicis, fuerit; ex hoc capit perceptionis sphaeram; et hoc in eo gradu, in quo fuit in statu opposito, ex relativis actualiter formatis fit sphaera perceptionis, et extensio limitum ejus; hae causae vastationis seu desolationis sunt, praeter plures alias: sed sint illustrationi exempla; Qui suae prudentiae omnia tribuunt, et parum vel nihil Providentiae Divinae; illi si vel mille et mille rationibus evincerentur, quod Providentia Divina sit universalis, sed universalis inde quia est in singularissimis, et quod ne quidem capillus de capite decidat, hoc est, non tam minimum detur, quod non praevisum et secundum id provisum, usque tamen status eorum cogitationis de propria prudentia non inde mutatur, nisi solum illo momento cum convictos se rationibus appercipiunt; imo si idem testatum iis fieret per vivas experientias, tunc cum experientias vident, aut in illis sunt, fatentur quod ita sit, sed praeterlapsis aliquibus momentis redeunt ad eundem statum opinionis; talia aliquem momentaneum effectum habent in cogitationem, non autem in affectionem, et nisi affectio frangitur, manet cogitatio in suo statu, nam cogitatio suam fidem, et suam vitam habet ab affectione; at cum inducitur iis anxietas et dolor ex eo, quod nihil usquam ex se possint, et hoc usque ad desperationem, tunc frangitur persuasivum, et mutatur status; et tunc in illam fidem induci possunt, quod nihil possint ex se, sed quod omnis potentia, prudentia, intelligentia et sapientia, sit a Domino: similiter se habet cum illis, qui credunt quod fides ab ipsis, quod bonum ab ipsis. Sit adhuc illustrationi exemplum; Qui hoc persuasivum captarunt, quod cum justificati, non amplius aliquod malum apud eos sit, sed quod plane abstersum et deletum sit, et sic quod puri sint; illi si vel per millia rationum illustrarentur, quod nihil abstergatur seu deleatur, sed quod a malo detineantur, et in bono teneantur, a Domino, illi qui tales sunt a vita boni, in qua fuerunt in mundo, ut possint; et adhuc si

convincerentur per experientias, quod sint a se nihil nisi malum, imo quod impurissimae congeries malorum; usque non recedunt a fide opinionis suae; at vero cum reducuntur ad illum statum, ut percipiant in se infernum, et hoc eo usque, ut desperent quod usquam salvari possint, tunc primum frangitur persuasivum illud, et cum illo fastus, et contemtus aliorum prae se, tum arrogantia quod soli sint qui salvantur, ac induci possunt in veram confessionem fidei, non modo quod omne bonum sit a Domino, sed etiam quod omnia sint misericordiae Ipsius; et tandem in humiliationem cordis coram Domino, quae absque agnitione sui non dabilis est. Exinde nunc patet, cur illi, qui reformantur aut spirituales fiunt, rediguntur in statum vastationis seu desolationis, de quo in Versibus qui praecedunt; et quod cum in statu illo usque ad desperationem sunt, tunc primum iis solatium et auxilium a Domino.

2695. Vers: 18. *Surge, tolle puerum, et corrobora manum tuam in illo, quia in gentem magnam ponam illum.* Surge, significat elevationem mentis: tolle puerum, significat spirituale quoad verum: et corrobora manum tuam in illo, significat sustentationem inde: quia in gentem magnam ponam illum, significat Ecclesiam spiritualem.

2696. Surge, quod significet elevationem mentis, constat a significatione surgere in Verbo, quod involvat, ubi nominatur, aliquam elevationem, de qua n: 2401, hic elevationem mentis, quia illustrationem, et in Versu sequente instructionem, in veris.

2697. Tolle puerum, quod significet spirituale quoad verum, constat a significatione pueri, quod sit spirituale cumprimis quoad verum, de qua n: 2677. 2687: spiritualis enim Ecclesiae homo per vera fidei regenerari videtur, sed nescit quod per bonum veri, nam id non apparet, solum se manifestat in affectione veri, et dein in vita secundum verum; nusquam aliquis regenerari potest per verum, nisi cum vero sit bonum, nam verum absque bono est nullius vitae; quare per verum separatum a bono non aliqua nova vita, quae tamen homini per regenerationem.

2698. Et corrobora manum tuam in illo, quod significet sustentationem inde, constat a significatione corroborari, quod

sit sustentari; et a significatione manus, quod sit potentia, de qua n: 878, quae est sustentationis; in illo, seu puero, est inde, nempe ex spirituali quoad verum: qui in dolore interno sunt, ac in desperatione ex privatione veri, ii elevantur et sustentantur unice per verum, quia de hoc illis dolor et desperatio: qui in affectione boni sunt, bonum apud eos desiderat bonum sicut esuriens panem, qui autem in affectione veri sunt, bonum apud eos desiderat verum, sicut sitiens aquam. Quid hic corroborare manum in illo, non alicui intellectum erit, nisi a sensu interno.

2699. Quia in gentem magnam ponam illum, quod significet Ecclesiam spiritualem, constat a significatione Gentis magnae, quod sit Ecclesia spiritualis, quae acceptura bonum fidei, de qua supra n: 2669; gens magna dicitur, quia Regnum Spirituale est alterum Regnum Domini, de quo etiam in loco citato: per Ismaëlem, sicut repraesentatur Ecclesiae spiritualis homo, ita quoque repraesentatur ipsa Ecclesia spiritualis, tum quoque Regnum Spirituale Domini in coelis, nam imago et similitudo unius est in altero. Primus status post desolationem descriptus est in Versu praecedente, qui fuit status consolationis et spei auxilii; alter eorum status post desolationem describitur in hoc Versu, qui est status illustrationis et recreationis inde: quia Status hi ignoti sunt in mundo, ex causa, quia pauci hodie, ut dictum prius, regenerantur, licet referre, qualis hic status est eorum in altera vita, ubi notissimus; ibi qui in vastatione seu desolatione fuerunt, postquam consolati spe auxilii, elevantur a Domino in coelum, ita a statu umbrae qui est status ignorantiae, in statum lucis qui est status illustrationis et recreationis inde, ita in gaudium, quod intima eorum afficit; est actualiter lux in quam veniunt, quae talis est, ut non solum illustret visum sed etiam simul intellectum, quae lux quantum eos recreat, constare potest a statu opposito, e quo liberati; quidam tunc qui infantili animo fuerunt et simplici fide, apparent sibi in albis et candidis; quidam in coronis; quidam ad plures societates angelicas circumvehuntur, et ubique recipiuntur cum charitate ut fratres, et ibi quicquid boni vitae eorum novae gratificatur, illis exhibetur; quibusdam immensitatem coeli seu Regni Domini, videre, et simul beatitudinem eorum,

qui ibi, appercipere datur; praeter innumerabilia alia, quae non describi possunt. Talis est status primae illustrationis et inde recreationis eorum, qui e desolatione veniunt.

2700. Vers: 19. *Et aperuit Deus oculos ejus, et vidit puteum aquae, et ivit, et implevit lagenam aquae, et potavit puerum.* Aperuit Deus oculos ejus, significat intelligentiam: et vidit puteum aquae, significat Verbum Domini a quo vera: et implevit lagenam aquae, significat vera inde: et potavit puerum, significat instructionem in spiritualibus.

2701. Aperuit Deus oculos ejus, quod significet intelligentiam, constat a significatione aperire, et quod Deus aperiret, tum ab oculorum, quod sint dare intelligentiam; quod oculi significent intellectum, videatur n: 212, similiter ac visus seu videre, n: 2150. 2325: dicitur quod Deus aperiat oculos, cum interiorem visum seu intellectum, quod fit per influxum in rationale hominis, seu potius, in spirituale rationalis ejus, hoc per viam animae seu internam, homini ignotam; hic influxus est status illustrationis ejus, in quo confirmantur ei vera, quae audit, vel quae legit, quadam perceptione interius in ejus intellectuali: hoc credit homo ei insitum esse, et a propria facultate intellectuali provenire, sed maximopere fallitur, est influxus per coelum a Domino in obscurum, fallax, et apparens hominis, et per bonum inibi facit illa, quae credit, veri aemula; sed illustratione in spiritualibus fidei solum illi beantur, qui spirituales sunt; est hoc quod significatur per quod aperiat Deus oculos. Quod oculus significet intellectum, est quia visus corporis correspondet visui spiritus ejus, qui est intellectus; et quia correspondet, per oculum in Verbo, fere ubicunque nominatur, significatur intellectus, etiam ubi aliter creditur; sicut ubi Dominus dicit apud Matthaeum, „*Lucerna* „corporis est *Oculus*, si *Oculus* simplex, totum corpus luci„dum; si *Oculus* malus, totum corpus obtenebratum; si ergo „lumen sunt tenebrae, tenebrae quantae,“ VI: 22. 23. Luc: XI: 34; ubi oculus est intellectus, cujus spirituale est fides, quod etiam constare potest ab explicatione ibi, si ergo lumen sunt tenebrae, tenebrae quantae: similiter apud Eundem, „Si „oculus dexter scandalizaverit, erue eum, et abjice abs te,“ V: 29. Cap: XVIII: 9; Oculus sinister est intellectuale, oculus

autem dexter est affectio ejus, quod oculus dexter eruendus, est quod domanda affectio si scandalizat: apud Eundem, „Vestri „*beati* sunt *oculi* quia *vident*, et aures vestrae quia audiunt," XIII: 16; et apud Lucam, „Jesus dixit ad discipulos, beati „*oculi* qui *vident*, quae videtis," X: 23; ibi per oculos qui vident significatur intelligentia et fides; nam quod viderint Dominum, tum Ipsius miracula et opera, non quemquam beatum reddidit, sed quod intellectu ceperint et fidem habuerint, quod est videre oculis, et quod obediverint est quod est auribus audire; quod videre oculis sit intelligere, tum quoque fidem habere, videatur n: 897. 2325; intellectus enim est spirituale visus, et fides est spirituale intellectus; visus oculi est a luce mundi, visus intellectus est a luce coeli influentis in illa quae sunt lucis mundi, visus autem fidei est a luce coeli; inde dicitur videre intellectu, et videre fide; quod aure audire sit obedire, videatur n: 2542; apud Marcum, „Jesus ad discipulos, „nondum ne cognoscitis, neque *intelligitis*, adhuc ne obduratum habetis cor vestrum, *oculos habentes non videtis*, et „aures habentes non auditis," VIII: 17. 18; ubi patet, quod non velle intelligere et non credere, sit oculos habere et non videre: apud Lucam, „Jesus de urbe, si nosses quae ad pa„cem tuam, sed absconditum est ab *oculis tuis*," XIX: 41. 42; et apud Marcum, „A Domino hoc factum, et mirabile est „in *oculis nostris*," XII: 11, ubi quod absconditum ab oculis, et mirabile in oculis, sit coram intellectu, cuivis ex significatione oculi, etiam in familiari sermonis usu, notum est.

2702. Et vidit puteum aquae, quod significet Verbum Domini, e quo vera, constat a significatione Putei aquae, et Fontis, quod sit Verbum, tum Doctrina ex Verbo, consequenter etiam ipsum Verum, de qua mox sequitur; et a significatione aquae, quod sit verum: quod Puteus in quo aqua, et Fons, sit Verbum Domini, tum Doctrina ex Verbo, consequenter etiam ipsum verum, constare potest a plurimis locis; hic quia agitur de Ecclesia Spirituali, dicitur Puteus, non Fons, sicut etiam in sequentibus hujus Capitis, „Redarguit Abraham Abi„melechum ob causas *Putei*, quem eripuerunt servi Abimele„chi," Vers: 25; tum Genes: Cap: XXVI, „Omnes *Puteos*, „quos foderunt servi patris Jischaki, in diebus Abrahami patris

„ejus, obturaverunt Philistaei. Et reversus Jischak, et fodit „*Puteos aquae*, quos foderant in diebus Abrahami, patris ejus, „et obturabant eos Philistaei post mortem Abrahami. Et fode„runt servi Jischaki in valle, et invenerunt ibi *Puteum aqua„rum vivarum*. Et foderunt *Puteum* alium, et non rixati sunt „super eo. Et factum est in die illo; et venerunt servi Jischaki, „et indicarunt illi super causas *Putei*, quem foderunt, et dixe„runt illi, invenimus *aquas*," Vers: 15. 18. 19. 20. 21. 22. 25. 32; ibi per Puteos non aliud significatur, quam Doctrinalia, de quibus rixati, et de quibus non rixati; alioquin quod puteos foderint, et rixati sint toties de illis, non tanti foret ut memoraretur in Verbo Divino. Puteus similiter Verbum seu doctrinam significat, de quo apud Mosen, „Profecti sunt in *Beer;* „hic *Puteus*, de quo dixit Jehovah Mosi, collige populum, et „dabo illis *Aquas:* tunc cecinit Israël canticum hoc; ascende „*Putee*, respondete ex eo; *Puteum* foderunt eum principes, „effoderunt spontanei populi, in Legislatore, baculis suis," Num: XXI: 16. 17. 18: quia Puteus significabat illa, ideo Canticum Propheticum Israëlis, in quo agitur de Doctrina Veri, ut ex singulis in sensu interno constat: inde nomen Beer, et inde nomen Beerscheba, et ejus significatio in sensu interno quod sit ipsa doctrina: Doctrina autem, in qua non vera, vocatur fovea, seu puteus in quo non aqua, ut apud Jeremiam, „Illustres eorum miserunt minores suos ad *Aquam*, venerunt „ad *Foveas*, non invenerunt *Aquam*, reversi sunt vasis suis „vacuis," XIV: 3; ubi aquae pro veris, foveae ubi non invenerunt aquas, pro doctrina, in qua non verum: apud Eundem, „Duo mala fecit populus meus, Me deseruerunt *Venam* „*aquarum vivarum*, ad excidendum sibi *foveas*, *foveas fra„ctas*, quae non continere possunt *aquas*," II: 13; ubi similiter foveae pro doctrinis non veris, foveae fractae pro doctrinalibus compilatis. Quod Fons sit Verbum, tum Doctrina, proinde Verum, apud Esaiam, „Afflicti et egeni quaerentes *aquas*, „et nullae; lingua eorum siti defecit: Ego Jehovah exaudiam „eos, Deus Israëlis non relinquet eos; aperiam super clivis *flu„vios*, et in medio vallium *fontes;* ponam desertum in *lacum* „*aquarum*, et terram siccam in *exitus aquarum*," XLI: 17. 18; ubi de desolatione veri, quae significatur per quod afflicti

et egeni quaererent aquas et nullae, et per quod lingua eorum siti deficeret; dein de consolatione, recreatione, et instructione post desolationem, ut in his Versibus ubi de Hagare, quae significantur, per quod Jehovah aperiet super clivis fluvios, poneret in medio vallium fontes, desertum in lacum aquarum, et terram siccam in exitus aquarum, quae omnia sunt doctrinae veri, et affectionis inde: apud Mosen, „Habitavit Israël confidenter solitarius ad *Fontem Jacobi*, ad terram frumenti et „musti, etiam coeli ejus stillant rorem," Deut: XXXIII: 28; fons Jacobi pro Verbo, et doctrina veri inde: quia fons Jacobi significabat Verbum, et doctrinam veri inde, ideo cum Dominus venit ad fontem Jacobi, loquutus est cum muliere e Samaria, et docuit quid per fontem, et per aquam significatur; de quibus ita apud Johannem, „Jesus venit in urbem Samariae „dictam Sichar; erat ibi *Fons Jacobi;* Jesus itaque fessus ex „itinere, consedit sic apud *fontem;* venit mulier ex Samaria ad „hauriendum aquas, cui dicit Jesus, da Mihi bibere: dixit Je„sus, si scires donum Dei, et quis sit qui dicit tibi, da Mihi „bibere, tu peteres ab eo, ut daret tibi *aquam viventem;* omnis „qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum; qui vero biberit ex *aqua*, „quam Ego dabo ei, non sitiet in aeternum, sed *aqua* quam „Ego dabo ei, fiet in eo *fons aquae* salientis in vitam aeter„nam," IV: 5. 6. 7. 10. 13. 14; quia fons Jacobi significabat Verbum, Aqua verum, et Samaria Ecclesiam spiritualem, ut pluries in Verbo, ideo loquutus est Dominus cum muliere e Samaria, et docuit quod Doctrina veri sit ab Ipso, et quod cum ab Ipso, seu quod idem, a Verbo Ipsius, sit fons aquae salientis in vitam aeternam, et quod ipsum verum aqua vivens: similiter apud Eundem, „Jesus dixit, si quis sitiverit, venito ad „Me, et bibito, quisquis credit in Me, sicut dicit scriptura, „*flumina* e ventre illius fluent *aquae viventis*," VII: 37. 38: et apud Eundem, „Agnus, qui in medio throni, pascet eos, „et deducet eos ad *vivos fontes aquarum*, et delebit Deus „omnem lachrymam ab oculis eorum," Apoc: VII: 17: apud Eundem, „Ego sitienti dabo ex *fonte aquae vitae* gratis," Apoc: XXI: 6; flumina aquae viventis, et vivi fontes aquarum, pro Veris quae a Domino, seu a Verbo Ipsius, nam Dominus est Verbum; bonum amoris et charitatis, quod unice a Domi-

no, est vita veri; sitiens dicitur qui in amore et affectione veri, alius non sitire potest: Vera illa vocantur etiam fontes salutis apud Esaiam, „Haurietis *Aquas* in laetitia ex *fontibus salutis*, „et dicetis in die illo, confitemini Jehovae, invocate Nomen „Ipsius," XII: 3. 4: quod fons sit Verbum, seu Doctrina inde, patet etiam apud Joëlem, „Fiet in die illo, stillabunt mon„tes mustum, et colles ibunt lacte, et omnes *rivi* Jehudae ibunt „*aquis*, et *fons* e domo Jehovae exibit, et irrigabit flumen „Schittim," IV: 18; ubi aquae pro veris, fons e domo Jehovae pro Verbo Domini: apud Jeremiam, „Ecce Ego addu„cens eos e terra septentrionis, et congregabo eos e lateribus „terrae, inter eos caecus et claudus; in fletu venient, et in „precibus adducam eos ad *fontes aquarum in via recti*, non „impingent in ea," XXXI: 8. 9: fontes aquarum in via recti manifeste pro doctrinalibus veri; terra septentrionis pro ignorantia seu desolatione veri, fletus et preces pro eorum doloris et desperationis statu; adduci ad fontes aquarum pro recreatione et instructione in veris; sicut hic ubi de Hagare et filio ejus: de iisdem quoque ita apud Esaiam, „Gaudebunt iis de„sertum et siccitas, et exultabit solitudo, et florebit sicut rosa; „germinando germinabit, et exultabit etiam exultatione et can„tando; gloria Libani data est illi, honor Carmeli et Scharo„nis, illi videbunt gloriam Jehovae, honorem Dei nostri, con„firmate manus remissas, et genua labentia roborate; aperien„tur oculi caecorum, et aures surdorum patebunt; erumpent „in *deserto aquae*, et *fluvii* in solitudine, et erit aridus locus „in *lacum*, et siliculosus in *scaturigines aquarum*," XXXV: 1. 2. 3. 5. 6. 7; ubi desertum pro desolatione veri; aquae, fluvii, lacus, scaturigines aquarum pro Veris, quae recreationi et gaudio illis qui in vastatione fuerunt, quorum gaudia ibi multis describitur: apud Davidem, „Jehovah emittit *fontes in val„libus*, inter montes ibunt, potum praebebunt omni ferae agro„rum, frangent onagri sitim suam: irrigat montes e *conclavi„bus* suis," Psalm: CIV: 10. 11. 13, fontes pro veris; montes pro amore boni et veri; potum praebere pro instruere; ferae agrorum pro illis qui inde vivunt, videatur n: 774. 841. 908; onagri pro illis qui solum in vero rationali sunt, n: 1949. 1950. 1951: apud Mosen, „Filius foecundae Josephus, filius

„foecundae juxta *fontem*,” Gen: XLIX: 22; fons pro doctrina a Domino: apud Eundem, „Jehovah Deus tuus introducet te „in terram bonam, terram *fluviorum*, *aquarum*, *fontium*, *abys-* „*sorum* exeuntium in valle et in monte,” Deut: VIII: 7; terra pro Regno Domini et Ecclesia, n: 662. 1066. 1067. 1262. 1413. 2571, quae bona dicitur ex bono amoris et charitatis; fluvii, aquae, fontes et abyssi pro veris inde: apud Eundem, „Terra Canaan, terra montium et vallium, ad *pluviam* coeli „imbibit *aquas*.” Deut: XI: 11. Quod Aquae sint Vera tam spiritualia, quam rationalia, ut et scientifica, patet ab his locis, apud Esaiam, „Ecce Dominus Jehovah Zebaoth, remo- „vens a Hierosolyma et a Jehudah, omnem baculum panis, et „omnem baculum *aquae*,” III: 1: apud Eundem, „Obviam „sitienti adferte *aquas*, cum pane ejus praevenite vagantem,” XXI: 14: apud Eundem, „Beati vos seminantes juxta *omnes* „*aquas*,” XXXII: 20: apud Eundem, „Qui ambulat in ju- „stitiis, et loquitur rectitudines, in altis habitabit, panis illius „dabitur, *aquae* illius *fideles*,” XXXIII: 15. 16: apud Eundem, „Tunc non sitient, in deserto ducet eos, *aquas* e petra „effluere faciet illis; et findit petram, et effluunt *aquae*,” XLVIII: 21. Exod: XVII: 1 ad 8: Num: XX: 11. 13: [11] apud Davidem, „Diffindit petras in *deserto*, et bibere fecit ut *abys-* „*sos* multum, eduxit *fluenta* e petra, et descendere fecit sicut „*flumen aquas*,” Psalm: LXXVIII: 15. 16, ubi petra pro Domino, aquae, flumina, et abyssi inde pro veris ab Ipso: apud Eundem, „Jehovah ponit *fluvios* in *desertum*, et *exitus* „*aquarum* in siccitatem: ponit *desertum* in *lacum aquarum*, et „terram siticulosam in *exitus aquarum*,” Psalm: CVII: 33. 35: apud Eundem, „Vox Jehovae super *aquis*; Jehovah su- „per *aquis multis*,” Psalm: XXIX: 3: apud Eundem, „*Flu-* „*vius*, rivi ejus laetificabunt civitatem Dei, sanctum habitacu- „lorum Altissimi,” Psalm: XLVI: 5: apud Eundem, „Per „verbum Jehovae coeli facti sunt, et per spiritum oris Ipsius „omnis exercitus eorum, colligens sicut cumulum *aquas maris*, „dans in thesauris abyssos,” Psalm: XXXIII: 6. 7: apud Eundem, „Visitas terram, et delectaris ea plurimum, ditas „eam, *rivus Dei plenus aquis*,” Psalm: LXV: 10: apud Eundem, „Viderunt Te *aquae* Deus, viderunt Te *aquae*, commo-

„ tae sunt *abyssi; effuderunt* aquas nubes; in *Mari* via tua, et „ semita tua in *aquis multis*," Psalm: LXXVII: 17. 18. 20; [12] hic quod non aquae significent aquas, nec quod abyssi commotae sint, et quod Jehovae via in mari, et semita in aquis, cuivis patet, sed quod aquae spirituales sint, hoc est, spiritualia quae sunt veri; alioquin esset cumulus vocum inanium: apud Esaiam, „ Heu omnis sitiens ite ad *aquas*, et cui non argentum, „ ite, emite," LV: 1: apud Sachariam, „ Fiet in die illo, ex- „ ibunt *aquae vivae* ex Hierosolyma, dimidia pars earum ad „ mare orientale, et dimidia pars earum ad mare posterius," XIV: 8. Praeterea ubi de Ecclesia plantanda et plantata agitur in Verbo, et illa describitur per Paradisum, hortum, lucum, aut per arbores, solenne est ut quoque describatur per Aquas aut Fluvios qui irrigant, per quos significantur Spiritualia, Rationalia aut Scientifica, quae sunt veri, sicut Paradisus, Genes: II: 8. 9, qui quoque describitur per fluvios ibi Vers: 10 ad 14, per quos significantur illa quae sunt Sapientiae et Intelligentiae, videatur n: 107 ad 121; similiter pluries alibi in Verbo; ut apud Mosen, „ Sicut valles plantantur, sicut *Horti* „ *juxta fluvium*, sicut santalos plantavit Jehovah, sicut *cedros* „ *juxta aquas;* defluent *aquae* e situlis ejus, et semen ejus in „ *aquis multis*," Num: XXIV: 6. 7: apud Ezechielem, „ Ac- „ cepit de semine terrae, et posuit id in agro sementis, accepit „ *juxta aquas multas*, germinavit, et factum est in *Vitem* lu- „ xuriantem," XVII: 5. 6, quod Vitis et vinea significet Ecclesiam spiritualem, videatur n: 1069: apud Eundem, „ Mater „ tua, sicut *Vitis* in similitudine tui, juxta *aquas plantata*, frugi- „ fera et ramosa facta est ab *aquis multis*," XIX: 10: [13] apud Eundem, „ Ecce Aschur in Libano, *aquae crescere fecerunt* „ *eam*, *Abyssus* altam fecit eam, cum *Fluviis suis* vadens cir- „ cumcirca plantam ejus, et *Aquaeductus suos emisit ad omnes* „ *arbores agri*," XXXI: 4: apud Eundem, „ Ecce ad *ripam* „ *fluvii arbor multa* valde, hinc et illinc; dixit ad me, *Aquae* „ *hae* exeuntes ad terminum orientalem, et descendunt super „ planitiem, ac veniunt versus *Mare*, in *Mare* emissae, et sa- „ nantur *Aquae;* et erit, omnis anima vivens quae reptat, ad „ omne quo venit *duorum fluviorum*, vivet; et erit piscis mul- „ tus valde, quia veniunt illuc *Aquae hae*, et sanantur, ut vi-

„vat omne quo venit *Fluvius*. Coenosa ejus et paludes ejus, et „non sanantur, in salem dabuntur," XLVII: 7. 8. 9. 11; ibi de Nova Hierosolyma, seu Regno Spirituali Domini; aquae exeuntes ad terminum orientalem significant spiritualia quae a coelestibus, quae sunt vera ex origine coelesti, hoc est, fidem ex amore et charitate, n: 101. 1250; descendere in planitiem significant doctrinalia quae rationalis, n: 2418. 2450; venire versus mare significat ad scientifica, mare est collectio eorum, n: 28; anima vivens quae reptat significat oblectamenta eorum, n: 746. 909. 994, quae vivent ex aquis fluvii, hoc est, a spiritualibus ex origine coelesti; piscis multus pro scientificorum applicabilium abundantia, n: 40. 991; coenosa et paludes pro inapplicabilibus et impuris, abire in salem pro vastari, n: 2455: apud Jeremiam, „Benedictus vir, qui confidit in „Jehovah, erit sicut *arbor plantata juxta aquas*, et juxta „*rivum* emittit radices suas," XVII: 7. 8: apud Davidem, „Erit sicut *arbor plantata juxta rivos aquarum*, quae fru„ctum suum dabit in tempore suo," Psalm: I: 3: apud Johannem, „Ostendit mihi *purum fluvium aquae vitae*, splendi„dum sicut crystallum, exeuntem e throno Dei et Agni, in „medio plateae ejus et *fluvii* hinc et illinc *arbor vitae* faciens „fructus duodecim," Apoc: XXII: 1. 2. Quia nunc Aquae significant vera in sensu interno Verbi, ideo in Ecclesia Judaica, repraesentationis causa coram angelis, apud quos ritualia spectata sunt spiritualiter, mandatum est, ut Sacerdotes et Levitae *aquis se lavarent*, cum accederent ad ministrandum, et quidem ex *Labro* inter Tentorium et Altare, et postea ex *Mari aeneo*, et caeteris labris circa Templum, quae erant loco Fontis. Similiter propter repraesentationem institutum de *Aqua peccati* seu purgationis quae spargeretur super Levitas, Num: VIII: 7. Tum de *Aqua separationis* ex cinere vaccae rufae, Num: XIX: 2 ad 19. Quod spolia a Midianitis mundarentur per *Aquam*, Num: XXXI: 19 ad 25. *Aquae quae datae ex Petra*, Exod: XVII: 1 ad 8. Num: XX: 1 ad 13. Deut: VIII: 15, [14] repraesentabant et significabant abundantiam spiritualium seu verorum fidei a Domino: *Aquae amarae* quae sanatae per lignum, Exod: XV: 22 ad 25, repraesentabant et significabant Vera quae non placent, quod ex bono seu ejus affectione,

accepta et grata fiant, quod Lignum significet bonum quod affectionis seu voluntatis, videatur n: 643: ex illis nunc sciri potest, quid Aqua in Verbo, et inde quid Aqua in Baptismo, de quo Dominus ita apud Johannem, „Nisi quis generatus fuerit ex *Aqua* et *Spiritu*, non potest ingredi in Regnum Dei," III: 5, quod nempe Aqua sit spirituale fidei, et Spiritus coeleste ejus, ita quod Baptismus sit Symbolum Regenerationis hominis a Domino per vera et bona fidei; non quod per Baptismum sit Regeneratio, sed per vitam significatam in Baptismo, in quam Christiani, qui Vera fidei, quia Verbum, habent, intrabunt.

2703. Et implevit lagenam aquae, quod significet vera inde, constat ex significatione aquae, quod sit verum, de qua nunc supra.

2704. Et potavit puerum, quod significet instructionem in spiritualibus, constat a significatione potare, quod sit instruere in veris; et ex significatione pueri, quod sit spirituale quoad verum, de qua n: 2697. Hic Status, qui est instructionis, de quo in hoc Versu, est Tertius Status eorum, qui e vastatione seu desolatione veniunt; dum enim in statum illustrationis seu lucis coelestis, veniunt, de quo in Versu praec: 18, videatur n: 2699, tunc in affectione sciendi et discendi vera sunt, et cum in illa affectione, imbuuntur facile et quasi sponte veris, qui in terra, a Verbo Domini aut a Doctrina, qui autem in coelo, ab Angelis, qui nihil beatius et felicius percipiunt, quam novitios fratres docere et imbuere veris et bonis, quae sunt Ordinis coelestis, ita quae ducunt ad Dominum.

2705. Vers: 20. *Et fuit Deus cum puero, et crevit, et habitavit in deserto; et fuit jaculator arcus.* Fuit Deus cum puero, significat praesentiam Domini apud spirituales: et crevit, significat incrementa: et habitavit in deserto, significat obscurum respective: et fuit jaculator arcus, significat spiritualis Ecclesiae hominem.

2706. Fuit Deus cum puero, quod significet praesentiam Domini apud spirituales, constat a significatione esse Deus cum aliquo, et a pueri; quod esse Deus cum aliquo, significet praesentiam Domini, constare potest absque explicatione; praesens quidem est Dominus apud unumquemvis, nam aliunde non est

vita, et singularissima ejus regit, etiam apud pessimos, inque ipso inferno, sed diversimode secundum receptionem vitae; qui vitam amoris boni et veri Ipsius recipiunt sinistre, et pervertunt in amores mali et falsi, est Dominus praesens, et regit fines eorum, quantum possibile, ad bonum, sed praesentia apud eos dicitur absentia, et quidem in tali gradu, quo malum distat a bono, et falsum a vero: apud eos autem, qui vitam amoris boni et veri Domini recipiunt, praedicatur praesentia, et quidem secundum gradum receptionis: se habet hoc comparative sicut sol, qui praesens est calore et luce in vegetatis mundi, etiam secundum receptionem. Quod puer significet spirituale quoad verum, supra dictum est, hic Spirituales, quia repraesentat hominem Ecclesiae spiritualis, tum ipsam Ecclesiam spiritualem, et in universali sensu Regnum spirituale Domini; cum enim dicitur, quod aliquis significet spirituale, ut hic puer spirituale quoad verum, involvit quod significet spirituales, nam spirituale non datur absque subjecto; ita quoque se habet cum reliquis, quae dicuntur in sensu abstracto.

2707. Et crevit, quod significet incrementa, constat absque explicatione.

2708. Et habitavit in deserto, quod significet obscurum respective, constat a significatione habitare, quod sit vivere, de qua n: 2451; et a significatione deserti, quod sit parum vitale, de qua n: 1927, hic obscurum sed respective; per obscurum respective intelligitur status Spiritualis Ecclesiae respective ad statum coelestis Ecclesiae, seu status Spiritualium respective ad statum coelestium; Coelestes sunt in affectione boni, Spirituales in affectione veri; coelestes perceptionem habent, Spirituales vero dictamen conscientiae; Coelestibus apparet Dominus ut Sol, Spiritualibus vero ut Luna, n: 1521. 1530. 1531. 2495, illis lux sicut visualis etiam perceptiva boni et veri a Domino est sicut lux diei a sole, at lux his a Domino est sicut lux noctis a luna, ita est his obscurum respective; causa est, quia Coelestes sunt in amore in Dominum, ita in ipsa vita Domini, Spirituales vero in charitate erga proximum et in fide, ita quidem in vita Domini, sed obscurius: inde est, quod Coelestes nusquam ratiocinentur de fide et ejus veris, sed quia in perceptione veri a bono sunt, dicunt quod ita sit, Spirituales

autem loquuntur et ratiocinantur de veris fidei, quia in conscientia boni sunt a vero, tum quia Coelestibus implantatum est bonum amoris in parte eorum voluntaria, ubi est principalis vita hominis, at Spiritualibus in parte eorum intellectuali, ubi est secundaria vita hominis; inde causa, quod Spiritualibus obscurum respective, videatur n: 81. 202. 337. 765. 784. 895. 1114 ad 1125. 1155. 1577. 1824. 2048. 2088. 2227. 2454. 2507; hoc obscurum respective vocatur hic desertum. *Desertum* in Verbo significat parum habitatum et excultum, et significat prorsus non habitatum et excultum, ita in duplici sensu; ubi significat parum habitatum et excultum, seu ubi paucae habitationes, ubi caulae gregum, pascua, et aquae, significat illud vel illos qui parum vitae et lucis respective habent, sicut spirituale seu spirituales respective ad coeleste seu coelestes; ubi autem significat prorsus non habitatum seu excultum seu ubi nullae habitationes, caulae gregum, pascua et aquae, significat illos, qui in vastatione quoad bonum sunt et in desolatione quoad verum: quod Desertum significet parum habitatum et excultum respective, seu ubi paucae habitationes, ubi caulae gregum, pascua, et aquae, constat ab his locis, apud Esaiam, „Cantate Jehovae canticum novum; Laus Ipsius ab „extremo terrae, descendentes mare, et plenitudo ejus, insu„lae et habitatores earum, attollent *Desertum* et *Urbes ejus*, „atria habitabit Kedar, cantabunt habitatores petrae, de ca„pite montium clamabunt," XLII: 10. 11: apud Ezechielem, „Pangam iis foedus pacis, et cessare faciam feram malam de „terra, et *habitabunt in Deserto* confidenter, et dormient in „sylvis, et dabo eas, et circuitus collis mei benedictionem, da„bit arbor agri fructum suum, et terra dabit fructum suum," XXXIV: 25. 26. 27; ibi de spiritualibus: apud Hoschcam, „Ducam eam in *Desertum*, et loquar super cor ejus, et dabo „ei vineas suas inde," II: 14. 15, ubi de desolatione veri, et postea consolatione: apud Davidem, „Stillant *caulae deserti*, „et exultatione colles cingunt se, induunt prata gregem, et „valles operiuntur frumento," Psalm: LXV: 13. 14: [15] apud Esaiam, „Ponam *Desertum* in lacum aquarum, et terram si„ticulosam in exitus aquarum; dabo in *Deserto* cedrum Schit„tim, et myrtum, et arborem olei: ponam in *Deserto* abie-

„tem; ut videant, et sciant, et reponant, et intelligant una, „quia manus Jehovae fecit hoc, et Sanctus Israëlis creavit il„lud," XLI: 18. 19. 20; ubi de regeneratione illorum qui in ignorantia veri sunt, seu gentium; et de illustratione et instructione eorum qui in desolatione; desertum praedicatur de illis; cedrus, myrtus et arbor olei pro veris et bonis interioris hominis, abies pro exterioris: apud Davidem, „Jehovah „ponit fluvios in *Desertum*, et exitus aquarum in siccitatem: „ponit *Desertum* in lacum aquarum, et terram siticulosam in „exitus aquarum," Psalm: CVII: 33. 35, similiter: apud Esaiam, „Gaudebunt eis, *Desertum* et siccitas, et exultabit soli„tudo, et florebit sicut rosa, germinando germinabit: effusae „sunt in *Deserto* aquae, et flumina in solitudine," XXXV: 1. 2. [6:] apud Eundem, „Eris velut hortus irriguus, et sicut exitus „aquarum, cujus non mentiuntur aquae, et aedificabunt a te „*Deserta* saeculi," LVIII: 11: apud Eundem, „Donec effun„datur super nos spiritus ab alto, et erit *Desertum* in Carmel, et „Carmel in sylvam reputabitur; et habitabit in *Deserto* judicium, „et justitia in Carmele," XXXII: 15. 16, ubi de Ecclesia spirituali, quae quamvis habitata et exculta, vocatur Desertum respective; nam dicitur, habitabit in deserto judicium, et justitia in Carmele: quod desertum sit obscurus status respective, ex locis illis patet quod appelletur desertum, tum quoque sylva; manifeste apud Jeremiam, „Generatio, vos videte Verbum „Jehovae, num desertum fui Israëli, num *terra tenebrarum*," II: 31. Quod desertum significet prorsus non habitatum seu excultum, seu ubi nullae habitationes, caulae gregum, pascua, et aquae, ita illos qui in vastatione quoad bonum sunt, et in desolatione quoad verum, constat quoque a Verbo; hoc desertum praedicatur in duplici sensu, nempe de illis qui postea reformantur, et de illis qui reformari non possunt; de illis qui postea reformantur, ut hic de Hagare et ejus filio, apud Jeremiam, „Sic dixit Jehovah, recordatus sum tui, misericordiae „pueritiarum tuarum, eundo post Me in *Deserto*, in terra „non sata," II: 2, ubi de Hierosolyma, quae ibi est Antiqua Ecclesia quae fuit spiritualis: apud Mosen, „Portio Jehovae „populus Ipsius, Jacob funis haereditatis Ipsius; invenit eum in „*terra deserti*, et in vastitate, ejulatu, solitudine, circumduxit

„eum, intelligere fecit eum, custodivit eum, ut pupillam oculi „sui," Deut: XXXII: 9. 10: apud Davidem, „Errarunt in „*deserto*, in solitudine viae, urbem habitationis non invene- „runt," Psalm: CVII: 4, ubi de illis qui in desolatione veri, et reformantur: apud Ezechielem, „Adducam vos ad *desertum* „*populorum*, et judicabo vobiscum ibi, sicut judicavi cum pa- „tribus vestris in *deserto terrae Aegypti*," XX: 35. 36, ubi pariter de vastatione et desolatione eorum, qui reformantur. Profectiones et errores populi Israëlitici in Deserto, nec aliud repraesentabant quam vastationem et desolationem fidelium ante reformationem, proinde eorum tentationem, siquidem cum in tentationibus spiritualibus sunt, in vastatione et desolatione sunt, ut quoque constare potest ab his apud Mosen, „Jehovah „in *Deserto* portavit eos, sicut portat vir filium, in via, us- „que ad hunc locum," Deut: I: 31: et alibi, „Recorderis „omnis viae, quae duxit te Jehovah Deus tuus jam quadraginta „annis in *Deserto*, ad affligendum te, *ad tentandum te*, et „sciendum quid in corde tuo, an serves praecepta Ipsius vel „non, afflixit te, esurire fecit te, edere fecit te mannam, quam „non nosti, nec norunt patres: ut cognoscas, quod non per „panem solum vivat homo, sed per omne quod exit ex ore Je- „hovae vivat homo," Deut: VIII: 2. 3: et adhuc, „Ne obli- „viscaris quod Jehovah duxerit te in *Deserto* magno, et terri- „bili, ubi serpens, prester, et scorpio, siticulosum ubi non „aqua, educens tibi aquam e petra silicis, cibavit te manna in „*Deserto*, quam non noverunt patres tui, ut affligeret te, *ten- „taret te*, et ad benefaciendum in postremo tuo," ibid: Vers: 15. 16; ibi desertum pro vastatione et desolatione, in quali sunt qui in tentationibus; per profectiones et errores eorum in deserto quadraginta annis, describitur omnis status Ecclesiae pugnantis, quomodo a se succumbit, sed a Domino vincit. Per mulierem quae fugit in desertum apud Johannem, nec aliud quam Tentatio Ecclesiae significatur, de qua ita, „Mulier, quae „peperit filium masculum, fugit in *Desertum*, ubi habet locum „praeparatum a Deo: datae sunt mulieri duae alae aquilae ma- „gnae, ut volaret in *desertum*, in locum suum; et ejecit ser- „pens post mulierem ex ore suo aquam sicut fluvium, ut hanc „a flumine absorptam faceret, sed adjuvit terra mulierem; ape-

„ruit enim terra os suum, et deglutivit fluvium, quem ejecit „draco ex ore suo," Apoc: XII: 6. 14. 15. 16. Quod desertum praedicetur de prorsus vastata Ecclesia, et de prorsus vastatis quoad bonum et verum, qui non reformari possunt, ita apud Esaiam, „Ponam flumina *desertum*, foetebit piscis eo„rum a nulla aqua, et morietur in siti, induam coelos caligi„ne," L: 2. 3: apud Eundem, „Civitates sanctitatis tuae fue„runt *desertum*, Zion *desertum* fuit, Hierosolyma desolata," LXIV: [9.] 10: apud Jeremiam, „Vidi et ecce Carmel *desertum*, „et omnes urbes ejus destructae sunt a coram Jehovah," IV: 26: apud Eundem, „Pastores multi corruperunt vineam me„am, conculcarunt portionem, dederunt portionem desiderii „mei in *desertum desolationis*, posuit eam in desolationem, lu„xit super Me desolata, desolata est omnis terra, quia non „quisquam ponit super cor, super omnes clivos in *deserto* ve„nerunt vastatores," XII: 10. 11. 12: apud Joëlem, „Ignis „consumsit *caulas deserti*, et flamma succendet omnes arbores „agri, exsiccati sunt rivi aquarum, *ignis consumsit caulas de„serti*," I: 19. 20: apud Esaiam, „Posuit orbem sicut *de„sertum*, et urbes ejus destruxit," XIV: 17, ubi de Lucifero: apud Eundem, „Propheticum *deserti maris*, sicut procellae in „meridie, e *deserto* venit, e terra terribili," XXI: 1 seq: desertum maris pro vastato vero per scientifica et ratiocinia inde: ex illis constare potest, quid significatur per haec quae de Johanne Baptista, „Dictum ab Esaia, vox clamantis in *deserto*, „parate viam Domino, rectas facite semitas Ipsius," Matth: III: 3. Marc: I: 3. Luc: III: 4. Joh: I: 23. Esai: XL: 3, quod nempe tunc Ecclesia prorsus vastata esset, ut non amplius aliquod bonum, et aliquod verum, quod manifeste patet ex eo, quod tunc nullus sciret quod aliquid internum homini esset, nec quod aliquid internum in Verbo; ita nec quod Messias seu Christus venturus ad salvandum eos in aeternum: inde etiam patet, quid significatur per quod Johannes fuerit „in *desertis* usque ad dies apparitionis illius ad Israëlem," Luc: I: 80; et quod praedicaverit in *deserto Judaeae*, Matth: III: 1 seq: et quod in deserto baptizaverit, Marc: I: 4, per id enim repraesentabat etiam ille statum Ecclesiae. A significatione deserti etiam constare potest, cur Dominus toties secessit in *desertum*, ut Matth:

IV: 1. Cap: XV: 32 ad f. Marc: I: 12. 13. 35 ad 40. 45. Cap: VI: 31 ad 36. Luc: IV: 1. Cap: V: 16. Cap: IX: 10 seq: Joh: XI: 54: tum a significatione montis, cur Dominus in *Montes*, ut Matth: XIV: 23. Cap: XV: 29. 30. 31. Cap: XVII: 1 seq: Cap: XXVIII: 16. 17. Marc: III: 13. 14. Cap: VI: 46. Cap: IX: 2 ad 9. Luc: VI: 12. 13. Cap: IX: 28. Joh: VI: 15.

2709. Et fuit jaculator arcus, quod significet Spiritualis Ecclesiae hominem, constat a significatione jaculi, teli, seu sagittae, quod sit verum, et a significatione arcus, quod sit doctrina, de quibus supra n: 2686. Spiritualis Ecclesiae homo olim jaculator arcus est dictus, quia per vera se defendit, et de veris disserit, secus ac coelestis Ecclesiae homo, qui ex bono tutus est, ac de veris non disserit, videatur supra n: 2708; vera per quae Spiritualis Ecclesiae homo se defendit, et de quibus disserit, sunt ex Doctrina, quam agnoscit: quod spiritualis homo olim dictus sit Jaculator et Sagittarius, et Doctrina dicta sit arcus et pharetra, et vera doctrinae, seu potius doctrinalia, dicta sint tela, jacula, et sagittae, constat porro apud Davidem, „Filii Ephraimi armati, *Jaculatores arcus*, avertunt se in die praelii," Psalm: LXXVIII: 9, Ephraim pro intellectuali Ecclesiae; in Libro Judicum, „Equitantes asinas candidas, sedentes super Middim, et ambulantes super via, meditemini, a voce *Sagittariorum* inter haurientes, ibi disserent justitias Jehovae, justitias villae ejus in Israël," V: 10. 11: apud Esaiam, „Jehovah ab utero vocavit me, a visceribus matris meae memorare fecit nomen meum, et posuit os meum sicut gladium acutum, in umbra manus suae abscondidit me, et posuit me in *Sagittam purgatam*, in *Pharetra sua* occultavit me, et dixit mihi, servus meus tu Israël, quia in te gloriabor," XLIX: 1. 2. 3; Israël pro Ecclesia Spirituali: apud Davidem, „Sicut *Sagittae* in manu potentis, ita filii pueritiarum; beati quisque qui implevit *Pharetram suam* ex illis," Psalm: CXXVII: 4, pharetra pro doctrina boni et veri: apud Habakuk, „Sol, luna, stetit sede sua, ad *lucem Sagittarum tuarum* ibunt, ad splendorem fulguris hastae," III: 11: quod Joas Rex Israëlis ex jussu Elischae jaculatus sit *Sagittam arcus* trans fenestram, dicente tunc Elisha, *Sagitta salutis Jehovae, Sagitta salutis Jehovae* in Syrum, 2 Reg:

XIII: 16. 17. 18, [16] significat arcana de Doctrina boni et veri. Sicut pleraque in Verbo etiam oppositum sensum habent, ita quoque jacula, tela, sagittae, arcus, jaculator, et significant falsa, doctrinam falsi, et illos qui in falso sunt, ut apud Mosen, «Filius foecundae Josephus, filius foecundae juxta fontem «filiarum, incedit super murum, et amaritudine affecerunt «eum, et *jaculati sunt*, et oderunt eum *Sagittarii*,» Gen: XLIX: 22. 23: apud Jeremiam, «*Jaculati* sunt linguam suam, «*arcum suum* mendacium, et non ad veritatem, *Sagitta ex«tensa* lingua eorum, dolum loquitur,» IX: [2.] 3. 7: apud Davidem, «Acuerunt sicut gladium linguam suam, *tetenderunt «sagittam suam* verbum amarum, ad *jaculandum* in occultis «integrum, subito *jaculabuntur*, et non timebunt eum; robo«rabunt sibimet verbum malum, narrabunt ad occultandum «laqueos,» Psalm: LXIV: 4. 5. 6: apud Eundem, «Ecce «mali *tendunt arcum*, parant *sagittam suam* super nervo, ad «*jaculandum* in ipsa caligine rectos corde,» Psalm: XI: 2: apud Eundem, «Scutum et clypeus veritas ejus, non timebis a «pavore noctis, a *Sagitta* volat interdiu,» Psalm: XCI: [4.] 5.

2710. In hoc Versu descriptus est status Ecclesiae Spiritualis, quod nempe sit obscurus respective ad statum Ecclesiae coelestis, et quod pugnans sit, ex causa quia Spiritualis Ecclesiae homo verum non aliunde novit quam ex doctrina, non ex ipso bono sicut coelestis.

2711. Vers: 21. *Et habitavit in deserto Paran; et accepit illi mater ejus uxorem e terra Aegypti.* Habitavit in deserto Paran, significat vitam spiritualis hominis quoad bonum; desertum, est hic ut prius, obscurum respective; Paran, est illuminatio ex Divino Humano Domini: et accepit illi mater, significat affectionem veri: uxorem e terra Aegypti, significat affectionem scientiarum, quae Spiritualis Ecclesiae homini.

2712. Habitavit in deserto Paran, quod significet vitam spiritualis hominis quoad bonum, constat ex significatione habitare, quod praedicetur de bono veri, seu de bono spirituali, hoc est, de bono spiritualis hominis; quod quale sit, describitur per id quod habitaret in deserto Paran, de quibus mox sequitur. Quod Habitare praedicetur de bono seu affectione veri, constat a pluribus locis Verbi, ubi agitur de urbibus, per quas

significantur vera, quod erunt absque habitatore, per quem significatur bonum, n: 2268. 2450. 2451; vera enim inhabitantur a bono; et sunt vera absque bono, sicut urbs in qua non habitans, ut apud Zephaniam, «Vastare feci plateas eo«rum, ut non transiens, desolatae sunt *urbes* eorum, *ut non «ullus habitans*,» III: 6: apud Jeremiam, «Jehovah dedu«cens nos per desertum, non transit in ea vir, et non *habita«vit* homo ibi; posuerunt terram in solitudinem, *urbes* ejus «exustae, ut non habitans,» II: 6. 15: apud Eundem, «Om«nis *Urbs* derelicta, et nemo *habitans* in eis,» IV: 29: apud Eundem, «In plateis Hierosolymae desolatis, et nullus homo, «et nullus *habitator*, et nulla bestia,» XXXIII: 10, plateae pro veris, n: 2336, nullus homo pro nullo bono coelesti, nullus habitator pro nullo bono spirituali, nulla bestia pro nullo bono naturali: apud Eundem, «*Urbes* Moabi in desolationem «erunt, *nullus habitans in eis*,» XLVIII: 9: apud Prophetas in singulis expressionibus est conjugium veri et boni, quare ubi urbs desolata dicitur, etiam adjicitur quod non habitans in ea, ex causa quia urbs significat vera, et habitans bonum, alioquin superfluum foret dicere non habitans, ubi dictum quod urbs desolata sit: similiter sunt voces constantes, quae significant illa quae sunt boni coelestis, quae boni spiritualis, tum quae veri, ut apud Esaiam, «Semen tuum gentes *possidebit*, «et urbes desolatas *habitabunt*,» LIV: 3, ubi possidere praedicatur de bono coelesti, habitare de bono spirituali: apud Eundem, «*Possidebunt* eam electi mei, et servi mei *habitabunt* «ibi,» LXV: 9, similiter: apud Davidem, «Deus salvabit Zio«nem, et *aedificabit* civitates Jehudae, et *habitabunt* ibi et «*possidebunt* eam, et semen servorum ejus *haereditabunt* eam, «et amantes Nomen Ipsius *habitabunt* in ea,» Psalm: LXIX: 36. 37, habitare et simul possidere, praedicatur de bono coelesti, habitare de bono spirituali: apud Esaiam, «Dicens Hie«rosolymae, *habitaberis*, et civitatibus Jehudae, *aedificabi«mini*,» XLIV: 26, ubi habitare praedicatur de bono spiritualis Ecclesiae, quae est Hierosolyma: in tantum voces in Verbo praedicantur de suis bonis et suis veris, ut solum ex notitia praedicationis talium vocum, sciri possit, de qua re in genere agitur.

2713. Quod desertum significet obscurum respective, constat a significatione deserti, quod sit obscurum, cum praedicatur de spirituali homine, respective ad coelestem, de qua supra n: 2708.

2714. Quod Paran, sit illuminatio ex Divino Humano Domini, constat a significatione Paran, quod sit Divinum Humanum Domini, ut patet ab illis locis in Verbo, ubi nominatur, ut apud Prophetam Habakuk, «Jehovah, audivi famam tuam, «timui, Jehovah, opus tuum, in medio annorum vivifica il«lud, in medio annorum notum fac, in zelo misericordiae re«corderis. Deus e *Themane* veniet, et Sanctus de *monte Pa«ran*, selah; texit coelos honor Ipsius, et laude Ipsius plena «est terra: et splendor sicut lux erit, [17] cornua de manu Ip«sius Ipsi, et ibi occultatio roboris Ipsius,» III: 2. 3. 4, ubi manifeste de adventu Domini, qui per vivificare in medio annorum, et notum facere in medio annorum, significatur; Divinum Humanum Ipsius describitur, per quod Deus e Themane veniet, et Sanctus de monte Paran; a Themane dicitur quoad amorem coelestem, et de monte Paran quoad amorem spiritualem; et quod exinde illuminatio et potentia, significatur per quod splendor et lux erit, [18] cornua de manu Ipsius Ipsi, splendor et lux sunt illuminatio, cornua sunt potentia: apud Mosen, «Jehovah de Sinai venit, et exortus est de *Seir* illis, exsplen«duit de *monte Paran*, et venit ex myriadibus sanctitatis, a «dextra Ipsius ignis legis illis, etiam amans populos; omnes «sancti Ipsius in manu tua, et conjuncti sunt ad pedem tuum, «et feret de verbis tuis,» Deut: XXXIII: 2. 3; etiam ibi de Domino, cujus Divinum Humanum describitur per quod exortus e Seir, et exsplenduerit de monte Paran, e Seir dicitur quoad amorem coelestem, de monte Paran quoad amorem spiritualem; spirituales significantur per populos quos amat, et per conjunctos ad pedem; pes significat inferius, ita obscurius, in Regno Domini: apud Eundem, «Kedorlaomer et reges cum «illo percusserunt Choritas in monte eorum *Seir*, usque *Elpa«ran*, quae super in desertum,» Gen: XIV: 5. 6. quod Divinum Humanum Domini ibi significetur per montem Seir, et per Elparan, videatur n: 1675. 1676: apud Eundem, «Fuit «in anno secundo in mense secundo, in vigesimo in mense, se

„sustulit nubes desuper tabernaculo testimonii; et profecti sunt „filii Israëlis secundum profectiones suas, e deserto Sinai, et „resedit nubes in *deserto Paran*," Num: X: 11. 12, quod profectiones populi in deserto omnes significent statum Ecclesiae pugnantis, et ejus tentationes, in quibus homo succumbit, sed pro illo Dominus vincit, consequenter quod ipsas tentationes et victorias Domini, ex Divina Domini Misericordia, alibi ostendetur; et quia Dominus tentationes sustinuit ex Humano Divino suo, per desertum Paran hic similiter significatur Humanum Divinum Domini: pariter per haec apud Eundem, „Postea profecti sunt populus e Chazeroth, et castrametati sunt „in *deserto Paran*, et loqnutus est Jehovah ad Mosen dicendo, „mitte tibi viros, et explorent terram Canaanem, quam Ego „dans filiis Israëlis: et misit illos Moses e *deserto Paran* super „os Jehovae. Et reversi sunt, et ad Mosen, et ad Aharonem, „et ad omnem coetum filiorum Israëlis, ad *desertum Paran* in „Cades, et retulerunt illis verbum, et ostenderunt iis fructum „terrae," Num: XIII: 1. 2. 3. 4. 27, per quod ex deserto Paran profecti explorarent terram Canaanem, significatur quod per Divinum Humanum Domini, illis nempe filiis Israëlis, hoc est, spiritualibus, Regnum coeleste, quod terra Canaan significat; quod autem tunc etiam succubuerint, significat imbecillitatem eorum, et ideo quod Dominus impleret omnia quae in Lege, ac sustineret tentationes et vinceret, ac ita quod illis, qui in fide charitatis sunt, tum illis qui in tentationibus, in quibus Dominus vincit, ex Divino Humano Ipsius salus; quare etiam cum Dominus tentaretur, fuit in deserto, Matth: IV: 1. Marc: I: 12. 13. Luc: IV: 1: videatur supra n: 2708.

2715. Duo hic sunt arcana, unum, quod Bonum Spiritualis hominis sit obscurum respective: alterum, quod obscurum illud illuminetur a Divino Humano Domini. Quod primum attinet, quod Bonum apud Spiritualem hominem sit obscurum respective, constare potest ex illis, quae de statu Spiritualis hominis respective ad statum coelestis hominis supra n: 2708, dicta sunt; a comparatione status utriusque id manifeste patet; apud coelestes est ipsum bonum implantatum in parte eorum voluntaria, et inde lux venit in partem intellectualem eis; sed apud Spirituales deperditum est omne voluntarium, sic

ut illis nihil boni sit inde, et ideo a Domino bonum implantatur in parte eorum intellectuali, videatur n: 863. 875. 895. 927. 928. 1023. 1043. 1044. 2124. 2256; pars voluntaria est, quae principaliter vivit apud hominem, intellectualis vero vivit inde; cum itaque voluntarium apud spiritualem ita deperditum est, ut non sit nisi malum, et tamen jugiter et continue inde influit malum in partem intellectualem seu cogitationem ejus, constat quod bonum ibi sit obscuratum respective: inde est, quod Spiritualibus non sit amor in Dominum, sicut est Coelestibus, proinde nec humiliatio quae essentialis est in omni cultu, et per quam influere potest bonum a Domino; cor enim elatum nusquam recipit, sed cor humile: Spiritualibus nec est amor erga proximum, sicut est Coelestibus, continue enim a parte eorum voluntaria influit amor sui et mundi, et obscurat bonum istius amoris; quod constare unicuique potest, si reflectit, etiam ex eo, quod cum alicui benefacit, sit propter finem in mundo, ita tametsi non manifeste, usque cogitat de remuneratione, sive ab illis quibus benefacit, sive a Domino in altera vita; sic, ut bonum ejus usque sit conspurcatum meritorio; tum quoque ex eo, quod cum aliquod bonum fecerit, si illud memorare possit, et sic se praeferre aliis, in suae vitae jucundo sit; Coelestes vero amant proximum plus quam semet; nec usquam cogitant de retributione, neque se aliis praeferunt ullo modo. Praeterea bonum apud Spirituales obscuratum est persuasivis ex principiis variis, oriundis etiam ex amore sui et mundi, quale sit persuasivum etiam fidei, videatur n: 2682. 2689 ad f: hoc quoque ex influxu mali a parte eorum voluntaria. Praeterea ex eo constare potest, quod bonum apud Spiritualem hominem sit obscurum respective, quia non ex aliqua perceptione, ut Coelestes, novit quid verum, sed ex instructione a parentibus et magistris, tum ex doctrina in quam natus, et cum aliquid superaddit ex se et ex cogitatione, tunc utplurimum sensuale et ejus fallaciae, ac rationale et ejus apparentiae, praevalent, et faciunt ut vix agnoscere possit aliquod verum purum, quale agnoscunt Coelestes, usque tamen istis quasi veris implantat Dominus bonum, etiamsi fallacia vera sunt, aut apparentia veri, sed bonum fit inde obscurum, qualificatum a veris quibus conjungitur; se habet hoc sicut lux solis influens in

objecta, qualitas objectorum, quae recipiunt, facit ut appareat lux ibi sub specie coloris, pulchri si qualitas formae et receptionis sit decens et correspondens, impulchri si qualitas formae et receptionis sit non decens, nec ita correspondens; ita ipsum bonum qualificatur secundum verum. Etiam ex eo patet, quod Spiritualis homo non sciat quid malum, vix alia credit mala, quam quae contra praecepta decalogi sunt, mala autem affectionis et cogitationis, quae innumerabilia, nescit, nec reflectit super ea, nec vocat mala, jucunda cupiditatum et voluptatum quaecunque non aliter spectat ac bona, ipsaque jucunda amoris sui et affectat, et approbat, et excusat, ignorans quod talia sint quae afficiunt spiritum ejus, et quod prorsus talis fiat in altera vita. Ex eo similiter constat, quod Spiritualis homo, tametsi in toto Verbo vix agatur nisi de bono amoris in Dominum, et amoris erga proximum, usque non sciat quod bonum sit essentiale fidei, ne quidem quid amor et charitas in sua essentia sit; et quod novit de fide, quam essentialem facit, usque disserit num ita sit, nisi confirmatus per multum vitae, quod Coelestes nusquam faciunt, norunt enim et percipiunt quod ita sit, inde a Domino dictum apud Matthaeum, «Esto sermo vester ita ita, non non, quod ultra haec est, ex malo est,» V: 37. sunt enim coelestes in ipso vero, de quo disputant spirituales num ita sit, inde coelestes quia in ipso vero, possunt inde videre indefinita, quae istius veri sunt, ita ex luce quasi totum coelum; sed spirituales quia disputant num ita sit, non possunt tamdiu venire ad primum terminum lucis coelestium, minus ex eorum luce spectare aliquid.

2716. Quod alterum attinet, nempe quod obscurum illud apud Spirituales illuminetur a Divino Humano Domini, est arcanum quod non ad captum explicari potest, nam est influxus Divini qui describeretur; solum inde aliqua ejus idea haberi potest, si ipsum Supremum Divinum influeret in bonum tale sicut descriptum, ex tot malis et falsis conspurcatum, quod non potuisset recipi, et si quid reciperetur, sentiret cruciatum infernalem, hoc est, homo cui tale bonum, et sic periret; at Divinum Humanum Domini apud eos influere potest, ac bonum tale illuminare, sicut solet sol in densas nubes quae variegantur matutino tempore in facies aurorae; sed usque non pot-

est Dominus coram illis sicut lux solis, sed sicut lux lunae apparere: exinde constare potest, quod causa adventus Domini in mundum fuerit propter Spirituales ut salvarentur, videatur n: 2661.

2717. Et accepit illi mater ejus, quod significet affectionem veri, constat a significatione matris, quod sit Ecclesia, de qua n: 289; et quia Ecclesia spiritualis, quae hic repraesentatur, in affectione veri est, et ab affectione veri habet, ut sit Ecclesia, ideo per matrem hic significatur illa affectio.

2718. Uxorem e terra Aegypti, quod significet affectionem scientiarum, quae Spiritualis Ecclesiae homini, constat ex significatione uxoris, quod sit affectio seu bonum, de qua n: 915. 2517; et ex significatione Aegypti, quod sit scientia, de qua n: 1164. 1165. 1186. 1462. In hoc Versu describitur Spiritualis Ecclesiae homo, qualis est quoad bonum, hoc est, quoad essentiam vitae suae, quod nempe Bonum apud illum sit obscurum, sed quod illuminatum a Divino Humano Domini, ex qua illuminatione existit in ejus rationali affectio veri, et in ejus naturali affectio scientiarum: quod apud Spiritualem hominem, affectio boni, qualis est apud Coelestem, existere nequeat, sed loco ejus affectio veri, causa est, quia bonum apud illum implantatum est in parte ejus intellectuali, et quod obscurum sit respective, ut n: 2715, ostensum est, inde produci et derivari in rationale ejus non alia affectio potest quam affectio veri, et per hanc in naturale affectio scientiarum: per verum non aliud verum intelligitur, quam tale quod credit esse verum, tametsi non esset verum in se; et per scientias non intelliguntur scientiae, quales sunt eruditis, sed omne scientificum, quo ab experientia et per auditionem imbui possit ex vita civili, ex doctrina, et ex Verbo; in talium affectione est Spiritualis Ecclesiae homo. Ut sciatur, quid sit in affectione veri esse, et quid in affectione boni, paucis dicendum; qui in affectione veri sunt, cogitant, disquirunt, et disserunt, num hoc verum, num ita sit, et cum confirmantur quod verum sit seu quod ita sit, cogitant, disquirunt, et disserunt, quid sit, ita haerent in primo limine, nec admitti possunt in sapientiam, antequam absque dubio sunt; qui autem in affectione boni sunt, ex ipso bono, in quo sunt, norunt et

percipiunt, quod ita sit, ita non in primo limine sunt, sed in conclavi, admissi in sapientiam: sit pro exemplo, quod *coeleste sit cogitare et agere ex affectione boni aut ex bono;* qui in affectione veri sunt, disserunt, num ita sit, num dabile sit, et quid sit, et quamdiu dubia versant de eo, non possunt intromitti; qui autem in affectione boni sunt, ii non disserunt, nec dubia versant, sed ajunt quod ita sit, quare intromittuntur, inchoant enim ibi qui in affectione boni sunt, hoc est, coelestes, ubi subsistunt illi qui in affectione veri sunt, hoc est, spirituales, sic ut ultimus horum terminus sit primus illorum; ideo scire, nosse, et percipere illis datur, quod affectiones boni sint innumerabiles, quot nempe societates sunt in coelo, et quod omnes a Domino in formam coelestem conjunctae sint, ut unum quasi hominem constituant; tum etiam cujusvis affectionis genus et speciem perceptione dignoscere datur. Vel sit hoc exemplum ita; *quod omnè jucundum, beatum, et felix, unice sit amoris, sed qualis amor, tale jucundum, beatum, et felix:* spiritualis homo detinet animum in eo, num ita sit, et annon aliunde, ut ex conversatione, sermone, meditatione, eruditione, etiam annon in possessione, honore, fama, gloria inde, non se confirmans in eo, quod illa nihil faciant, sed affectio amoris, quae et qualis in illis; coelestis autem homo, non in praeliminaribus illis haeret, sed ait, quod ita sit, quare in ipso fine est, et usu, hoc est, in ipsis affectionibus quae sunt amoris, quae innumerabiles sunt, et in quarum unaquavis ineffabilia, et hoc cum variatione jucundi, beati, et felicis, in aeternum. Sit etiam pro exemplo, quod *proximus amandus ex bono quod apud illum;* qui in affectione veri sunt, cogitant, disquirunt, et disserunt, num hoc verum sit, seu num ita sit, quid proximus, quid bonum, nec ulterius vadunt, quare praecludunt sibi januam ad sapientiam; qui autem in affectione boni sunt, ajunt quod ita sit, quare non praecludunt sibi januam, sed intrant, ac sciunt, norunt, et percipiunt ex bono, quis proximus prae alio, etiam in quo gradu sit, et quod omnes in dissimili, ita ineffabilia prae illis qui in sola affectione veri. Porro sit pro exemplo, *quod qui proximum ex bono amat, Dominum amet;* qui in affectione veri sunt, disquirunt num ita sit, et si iis dicitur, qui proximum amat ex bono, is bonum amat, et

quia omne bonum a Domino, et in bono Dominus, quando quis bonum, etiam Ipsum, ex quo illud, et in quo Ipse, amat, etiam disquirunt num ita sit, etiam quid bonum, num Dominus in bono sit magis quam in vero; quamdiu in talibus haerent, ne quidem e longinquo videre possunt sapientiam; at qui in affectione boni sunt, iiex perceptione norunt, quod ita sit, et statim [19] vident sapientiae campum ducentem usque ad Dominum. Inde constare potest, unde obscurum illis qui in affectione veri sunt, hoc est, Spiritualibus, respective ad illos qui in affectione boni, hoc est, ad coelestes: sed usque illi ab obscuro in lucem venire possunt, si modo in affirmativo velint esse, quod omne bonum sit amoris in Dominum, et charitatis erga proximum, et quod amor et charitas sit conjunctio spiritualis, et inde omne beatum et felix, ita quod in bono amoris a Domino, sit vita coelestis, non autem in vero fidei inde separato.

* * *

2719. Actum est in hoc Capite primum de Rationali Domini, quod Divinum factum, quod Rationale est Jischakus; et de Rationali mere humano, quod separatum, quod est filius Hagaris Aegyptiae: mox de Ecclesia Spirituali, quae per Divinum Humanum Domini salvata est, quae Ecclesia est Hagar et ejus puer: nunc agitur de doctrina fidei, inservitura isti Ecclesiae, quod nempe adjuncta ei sint rationalia ex scientificis humana, quae sunt Abimelechus et Phicol; conjunctio significatur per foedus, quod Abrahamus cum illis percussit; rationalia illa sunt apparentiae, non ex origine Divina, sed ex humana, quae adjunctae sunt ob causam, quia Ecclesia spiritualis absque illis doctrinam non comprehenderet, ita nec reciperet; est enim, ut n: 2715, ostensum, spiritualis Ecclesiae homo in obscuro respective, quare Doctrina investienda apparentiis talibus, quae sunt cogitationis et affectionis humanae, et non in tantum discrepant, quin Divinum bonum receptaculi instar ibi habere possit. Quia agitur in seq: Cap: XXVI iterum de Abimelecho, et de foedere, sed cum Isaco, et in sensu interno de rationalibus et scientificis secundo adjectis doctrinae fidei, licet solum summaria, quae in sensu interno de hac re

hic continentur, exponere, quae clariora ab explicatione Capitis XXVI, evadent.

2720. Vers: 22. *Et fuit in tempore illo, et dixit Abimelech, et Phicol princeps exercitus ejus, ad Abrahamum, dicendo, Deus tecum in omnibus quae tu faciens.* Vers: 23, *Et nunc jura mihi in Deum hic, si mentitus fueris mihi, et filio meo, et nepoti meo; secundum benignitatem, quam feci tecum, facias mecum, et cum terra, in qua peregrinatus es.* Vers: 24, *Et dixit Abraham, ego jurabo.* Vers: 25, *Et redarguit Abraham Abimelechum, ob causas putei aquae, quem eripuerunt servi Abimelechi.* Vers: 26, *Et dixit Abimelech, non novi quis fecit verbum hoc, et etiam tu non indicasti mihi, et etiam ego non audivi praeterquam hodie.* Vers: 27, *Et accepit Abraham gregem et armentum; et dedit Abimelecho, et percusserunt ambo illi foedus.* Vers: 28, *Et statuit Abraham septem agnas gregis solas eas.* Vers: 29, *Et dixit Abimelech ad Abrahamum, quid hae septem agnae illae, quas statuisti solas.* Vers: 30, *Et dixit, quia septem agnas accipies e manu mea, propterea sit mihi in testimonium, quod fodi puteum hunc.* Vers: 31, *Propterea vocavit locum illum Beerscheba, quia ibi juraverunt ambo illi.* Vers: 32, *Et percusserunt foedus in Beerscheba; et surrexit Abimelech, et Phicol princeps exercitus illius; et reversi sunt in terram Philistaeorum.* Fuit in tempore illo, significat statum in quo Dominus cum Rationale Divinum factum: et dixit Abimelech et Phicol princeps exercitus ejus ad Abrahamum, significat rationalia ex scientificis humana adjungenda Doctrinae fidei, quae in se est Divina: dicendo, Deus tecum in omnibus quae tu faciens, significat quod Divina quoad omnia et singula. Et nunc jura mihi in Deum hic, significat affirmationem: si mentitus fueris mihi, significat absque dubitativo: et filio meo, et nepoti meo, significat de illis quae sunt fidei: secundum benignitatem quam feci tecum, significat rationalia quibus Dominus prius instructus fuit: facias mecum, et cum terra in qua peregrinatus es, significat reciprocum. Et dixit Abraham, ego jurabo, significat affirmativum omne. Et redarguit Abraham Abimelechum, significat indignationem Domini: ob causas putei aquae quem eripuerunt servi Abimelechi, significat doctrinam fidei, quod illam scien-

tifica sibi tribuere vellent. Et dixit Abimelech, significat responsum: non novi quis fecit verbum hoc, significat quod rationale aliud dictaret: et etiam tu non indicasti mihi, significat quod non ex Divino illud: et etiam ego non audivi praeterquam hodie, significat quod nunc primum detectum. Et accepit Abraham gregem et armentum, et dedit Abimelecho, significat Divina bona implantata Doctrinae rationalibus per Abimelechum significatis: et percusserunt ambo illi foedus, significat sic conjunctionem. Et statuit Abraham septem agnas gregis solas eas, significat innocentiae sanctitatem. Et dixit Abimelech ad Abrahamum, quid hae septem agnae illae quas statuisti solas, significat ut instrueretur et agnosceret. Et dixit, quia septem agnas accipies e manu mea, significat innocentiae sanctitatem a Divino: propterea sit mihi in testimonium, significat certum: quod fodi puteum hunc, significat quod a Divino doctrina. Propterea vocavit locum illum Beerscheba, significat statum et quale doctrinae: quia ibi juraverunt ambo illi, significat ex conjunctione. Et percusserunt foedus in Beerscheba, significat quod rationalia humana adjuncta sint doctrinae fidei; et surrexit Abimelech et Phicol princeps exercitus illius, et reversi sunt ad terram Philistaeorum, significat quod usque nullam partem in Doctrina haberent.

2721. Vers: 33. *Et plantavit lucum in Beerscheba; et invocavit ibi Nomen Dei aeternitatis.* Plantavit lucum in Beerscheba, significat doctrinam cum ejus cognitionibus et quali: et invocavit Nomen Dei aeternitatis, significat cultum inde.

2722. Plantavit lucum in Beerscheba, quod significet doctrinam inde cum ejus cognitionibus et ejus quali, constat a significatione luci, et a significatione Beerscheba. Quod *Lucos* attinet, in Antiqua Ecclesia fiebat cultus sanctus super montibus et in lucis; super montibus, quia montes significabant coelestia cultus, et in lucis, quia luci significabant spiritualia ejus; quamdiu Ecclesia illa, nempe Antiqua, in sua simplicitate fuit, tunc cultus eorum super montibus et in lucis sanctus erat, ex causa, quia coelestia, quae sunt amoris et charitatis, per illa quae alta et excelsa erant, ut sunt montes et colles, repraesentabantur, et spiritualia, quae inde, per fructifera et frondosa, ut sunt horti et luci: sed postquam repraesentativa et significa-

tiva coeperunt fieri idololatrica, per id quod colerent externa absque internis, cultus ille sanctus factus est prophanus; et ideo interdictum, quod cultum haberent super montibus et in lucis: quod Antiqui cultum sanctum habuerint super montibus, constare potest ex Cap: XII: Genes. de Abrahamo, «Transtu- „lit inde in *Montem* ab oriente Betheli, et tetendit tentorium, „Bethel a mari, et Ai ab oriente, et *aedificavit ibi altare;* et „*invocavit Nomen* Jehovae,» Vers: 8; n: 1449 ad 1455; et ex significatione Montis, quod sit coeleste amoris, n: 795. 796. 1430; quod etiam cultum sanctum habuerint in lucis, constat ex illis quae in hoc Versu, «Plantavit Abraham *Lucum* in Berscheba, et *invocavit ibi Nomen Dei aeternitatis,*» tum a significatione horti, quod sit intelligentia, n: 100. 108. 1588, et Arborum, quod sint perceptiones, n: 103. 2163: quod interdictum, constat ex his quae sequuntur; apud Mosen, «Non „plantabis tibi *Lucum omnis arboris* juxta Altare Jehovae Dei „tui, quod facies tibi: et non eriges tibi statuam, quae odit „Jehovah Deus tuus,» Deut: XVI: 21. 22: apud Eundem, „Altaria gentium destruetis, statuas eorum confringetis, et *Lu-„cos* eorum diruetis,» Exod: XXXIV: 13; «et quod *Lucos* „igne comburerent,» Deut: XII: 3: et quia Judaei et Israëlitae, apud quos Ritus Antiquae Ecclesiae repraesentativus introductus est, solum in externis fuerunt, nec nisi quam idololatrae corde, quid internum, et quid vita post mortem, tum quod Messiae Regnum esset coeleste, nescientes, ac scire non volentes, quoties in libero fuerunt, cultum prophanum habebant super montibus et collibus, ut et in lucis et sylvis, tum quoque loco montium et collium sibi excelsa fecerunt, et loco lucorum sculptilia luci, ut constare potest a pluribus locis in Verbo, ut in Libro Judicum, «Filii Israëlis servierunt Balibus „et *Lucis*,» III: 7: in Libro Regum, «Israël fecit *Lucos*, ad „irritandum Jehovam,» 1 Reg: XIV: 15; et alibi, «Jehu-„dah aedificavit sibi *Excelsa*, et statuas, et *Lucos*, super „omni *colle alto*, et sub omni *arbore frondosa*,» 1 Reg: XIV: 23: alibi, «Israël aedificavit sibi *Excelsa* in omnibus urbibus, „et statuerunt statuas et *Lucos* super omni *Colle alto*, et sub „omni *arbore frondosa*,» 2 Reg: XVII: 9. 10: et alibi, «Me-„nasse Rex Jehudae erexit Altaria Bali, et fecit *Lucum*, sicut

«fecerat Achab Rex Israëlis, et posuit *Sculptile Luci*, quod «fecerat, in Domo Dei,» 2 Reg: XXI: 3. 7; ex quo, quod etiam sculptilia luci sibi fecerint, patet; quae quod destructa sint a Joschia Rege, ibidem, «Joschia fecit educi de Templo «Jehovae omnia vasa facta Baali et *Luco*, et soli et lunae, et «omni exercitui coelorum, et combussit ea extra Hierosoly«mam, et domos quas mulieres texuerunt ibi *Luco:* etiam suc«cidit *Lucos*, quos fecerat Salomo, tum quoque *Lucum* in Be«thel, quem fecerat Jeroboam,» 2 Reg: XXIII: 4. 6. 7. [13.] 14. 15: praeter quod a Chiskia Rege talia diruta sint, ibidem, «Chiskia Rex Jehudae removit *Excelsa*, et fregit statuas, et «excidit *Lucum*, et confregit serpentem aeris, quem fecerat «Moses,» 2 Reg: XVIII: 4; quod serpens aeris sanctus fuerit tempore Mosis, constat, at cum externum coleretur, prophanus factus est, et confractus, ex simili causa ac interdictus cultus super montibus, et in lucis: haec adhuc constant apud Prophetas; apud Esaiam, «Incalescentes diis sub omni *Arbore* «*frondosa;* mactantes natos in fluviis sub prominentiis petra«rum; etiam fluviis effudisti libamen, obtulisti munus, super «*monte alto* et *elato* posuisti habitaculum tuum, et ibi obtulisti «ad sacrificandum sacrificium,» LVII: 5. 6. 7: apud Eundem, «In die illo aspiciet homo ad Factorem suum, et oculi ejus ad «Sanctum Israëlis videbunt: et non aspiciet ad altaria opus ma«nuum ejus, et quod fecerunt digiti ejus non videbit, et *Lucos* «et statuas solares,» XVII: 7. 8: apud Micham, «Exscindam «sulptilia tua, et statuas tuas e medio tui, et non incurvabis «te amplius operi manuum tuarum: et evellam *Lucos* tuos e «medio tui, et perdam urbes tuas,» V: 12. 13: apud Ezechielem, «Ut sint confossi in medio idolorum eorum, circum alta«ria eorum ad omnem *collem excelsum*, in omnibus *capitibus* «*montium*, et sub omni *arbore frondosa*, et sub omni quercu «implexa, locum quo dederunt odorem quietis omnibus idolis «suis,» VI: 13. Exinde nunc patet, e qua origine cultus idololatricus, nempe quod objecta repraesentantia et significantia colerentur; Antiquissimi, qui ante diluvium, in omnibus et singulis, sicut in montibus, in collibus, in campis, in vallibus, in hortis, lucis, sylvis, in fluviis et aquis, in agris et sementibus, in arboribus omnis generis, in animalibus etiam om-

nis generis, in luminaribus coeli, aliquid repraesentativum et significativum Regni Domini videbant, sed nusquam haerebant oculis, minus mentibus in objectis, sed erant illis media cogitandi de coelestibus et spiritualibus quae in Regno Domini; et hoc usque adeo, ut prorsus nihil esset in universa natura, quod non illis inserviret pro mediis; in se etiam ita est, quod omnia et singula in natura repraesentent, quod hodie est arcanum, et vix ab aliquo creditur: sed postquam coeleste, quod est amoris in Dominum, periit, tunc non amplius genus humanum in illo statu fuit, quod nempe ab objectis ut mediis videret coelestia et spiritualia Regni Domini; sed usque Antiqui post diluvium a traditionibus et quorundam collectaneis sciebant quod illa significarentur, et quia significabant, etiam sancta habebant, inde cultus repraesentativus Ecclesiae Antiquae, quae Ecclesia, quia spiritualis, non erat in perceptione quod ita esset, sed in cognitione, nam erat in obscuro respective, n: 2715, usque tamen non colebat externa, sed per externa recordati sunt internorum, et inde cum in repraesentativis et significativis illis erant, in sancto cultus erant; potuerunt etiam, quia in spirituali amore erant, hoc est, in charitate, quam essentialem cultus fecerunt, quare sanctum a Domino in cultum eorum influere potuit: at vero cum status humani generis ita mutatus est et perversus factus, ut se removerent a bono charitatis, ita nec amplius crederent dari Regnum coeleste, aut vitam post mortem, sed quod in simili statu essent cum animalibus, praeterquam solum quod cogitarent, sicut etiam hodie, tunc cultus sanctus repraesentativus versus est in idololatricum, et colebantur externa; inde apud plures gentiles illo tempore, etiam apud Judaeos et Israëlitas cultus erat non repraesentativus, sed repraesentativorum et significativorum, hoc est, externorum absque internis. Quod Lucos in specie attinet, erant illi apud Antiquos variae significationis, et quidem secundum species arborum quae ibi; Luci, ubi oleae, significabant coelestia cultus, Luci, ubi vites, significabant spiritualia ejus, Luci autem ubi ficus, ubi cedri, ubi abietes, ubi populi, ubi quercus, varia quae coelestium et spiritualium erant; heic Lucus seu arboretum simpliciter nominatur, et significat illa quae sunt rationalium quae adjuncta doctrinae et ejus cognitionibus;

arbores enim in genere significant perceptiones, n: 103. 2168, sed cum praedicantur de Ecclesia spirituali significant cognitiones, ex causa, quia Spiritualis Ecclesiae homini non aliae perceptiones sunt, quam quae per cognitiones e doctrina aut Verbo, hae enim fiunt fidei ejus, ita conscientiae e qua perceptio.

2723. Quod autem Beerschebam attinet, significat Beerscheba statum et quale doctrinae, nempe quod sit Divina cui adjuncta rationalia humana, quod constare potest a serie rerum de quibus agitur a Vers: 22 ad hunc, n: 2613. 2614; etiam a significatione ipsius vocis in lingua originali, quod sit *puteus juramenti et septem;* quod puteus sit doctrina fidei, videatur n: 2702. 2720; quod juramentum sit conjunctio, n: 2720, ut et foedus quod juramento factum, n: 1996. 2003. 2021. 2037, et quod septem sit sanctum, ita Divinum, n: 395. 433. 716. 881, ex quibus constare potest, quod significet Doctrinam quae in se Divina cum adjunctis rationalibus seu apparentiis humanis; quod inde Beerscheba, patet ex verbis Abrahami, „Dixit Abraham, quia *Septem* agnas accipies e manu mea, propterea sit mihi in testimonium, quod fodi *Puteum* hunc, *propterea vocavit locum illum Beerscheba*, quia ibi *juraverunt* ambo illi; et percusserunt *foedus* in *Beerscheba*," Vers: 30. 31. 32; similiter ex verbis Isaci, Cap: seq: XXVI, „Fuit in die illo, et venerunt servi Ischaki, et indicaverunt illi super causis *Putei*, quem foderunt, et dixerunt illi, invenimus aquas, et vocavit illum *Schibea;* (juramentum et septem:) propterea nomen urbis *Beerscheba* usque ad diem hunc," Vers: [32.] 33; ibi etiam agitur de Puteis, de quibus fuit contentio cum Abimelecho, et de foedere cum illo, et per Beerschebam significantur rationalia humana iterum adjuncta doctrinae fidei, et quia iterum adjuncta, et sic facta doctrina ad captum humanum, dicitur urbs, quod urbs sit doctrinale in suo complexu, videatur n: 402. 2268. 2450. 2451: praeterea nominatur Beerscheba in simili significatione quoad sensum internum, Genes: XXII: 19. Cap: XXVI: 22. [23.] Cap: XXVIII: 10. Cap: XLVI: 1. 5. Jos: XV: 28. Cap: XIX: 1. 2. 1Sam: VIII: 2. 1 Reg: XIX: 3; et in sensu opposito, Amos V: 5. Cap: VIII: 13. 14. Extensio coelestium et spiritualium, quae sunt Doctrinae, in sensu interno significatur, ubi describitur extensio terrae Canaa-

nis, per a Dan et usque ad Beerschebam; per terram enim Canaanem significatur Regnum Domini, tum Ecclesia, consequenter coelestia et spiritualia, quae sunt doctrinae; ut in Libro Judicum, „Exiverunt omnes filii Israëlis, et congregatus est coetus tanquam vir unus a *Dan et usque ad Beerscheba,*" XX: 1: in Libro Samuelis, „Omnis Israël a *Dan et usque ad Beerscheba,*" 1 Sam: III: 20: alibi, „Transire faciendo Regnum a domo Schaulis, et erigendo solium Davidis super Israëlem, et supra Jehudam, *a Dan et usque ad Beerscheba,*" 2 Sam: III: 10: alibi, „Chusai ad Absalonem, congregetur omnis Israël *a Dan et usque ad Beerscheba,*" 2 Sam: XVII: 11: alibi, „Dixit David ad Joabum, ut peragraret omnes tribus Israëlis *a Dan et usque ad Beerscheba,*" 2 Sam: XXIV: 2. 7: alibi, „Mortuum est de populo *a Dan et usque ad Beerscheba* septuaginta millia virorum," 2 Sam: XXIV: 15: in Libro Regum, „Habitavit Jehuda sub vite sua, et sub ficu sua, *a Dan et usque ad Beerscheba,* omnibus diebus Salomonis," 1 Reg: IV: 25. [20]

2724. Et invocavit ibi Nomen Dei aeternitatis, quod significet cultum inde, constat a significatione invocare Nomen Dei, quod sit cultus, de qua n: 440: qui ab Antiqua Ecclesia fuerunt, per Nomen non intellexerunt nomen, sed omne quale, videatur n: 144. 145. 440. 768. 1754. 1896. 2009; ita per Nomen Dei omne in uno complexu per quod colebatur Deus, proinde omne amoris et fidei: cum autem periit internum cultus, et modo externum remansit, tunc per Nomen Dei nihil aliud intelligere coeperunt, quam Nomen, usque adeo ut ipsum Nomen colerent, nihil curantes ex quo amore, et ex qua fide; ideo distinguere se coeperunt gentes per Nomina deorum, et se praetulerunt Judaei et Israëlitae reliquis, per quod Jehovam colerent, ponentes in nominando et invocando Nomen, essentiale cultus, cum tamen cultus solius Nominis sit nullus cultus, dabilis etiam apud pessimos, qui per id magis prophanant: at quia per Nomen Dei significatur omne cultus, hoc est, omne amoris et fidei, ex quibus colitur, inde constat, quid intelligitur per „*sanctificetur Nomen tuum,*" in Oratione Domini, Matth: VI: 9: et per haec quae Dominus dixit, „Eritis odio habiti „quibuscunque propter *Nomen meum,*" Matth: X: 22. „Si

«duo consenserint in *Nomine meo* super terra, de omni re, «quamcunque petierint, fiet iis a Patre meo, qui in coelis est: «ubi sunt duo aut tres congregati in *Nomine meo*, ibi sum in «medio eorum,» Matth: XVIII: [19.] 20. «Qui relinquit domos, «aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxo«rem, aut liberos, aut agros, propter *Nomen meum*, centu«plum accipiet, et vitae aeternae sortietur haereditatem,» Matth: XIX: 29. «Osanna Filio Davidis, benedictus qui venit «in *Nomine Domini*,» Matth: XXI: 9. «Jesus dixit, non Me «videbitis posthac, donec dicatis, benedictus veniens in *No«mine Domini*,» Matth: XXIII: 39. «Eritis odio habiti ab «omnibus gentibus propter *Nomen meum;* imo tunc scandali«zabuntur multi, et se invicem tradent, et odio habebunt se «invicem, et haec omnia propter *Nomen meum*,» Matth: XXIV: 9. 10. «Quotquot Ipsum receperunt, dedit illis pote«statem, ut filii Dei essent, credentibus in *Nomen Ipsius*,» Joh: I: 12. «Qui non credit, jam judicatus est, quia non cre«didit in *Nomen Unigeniti filii Dei*,» Joh: III: 17. 18. «Je«sus dixit, quodcunque petieritis in *Nomine meo*, hoc faciam,» Joh: XIV: 14. 15. Cap: XV: 16. Cap: XVI: 23. 24. 26. 27. «Jesus dixit, manifestavi *tuum Nomen* hominibus,» Joh: XVII: 6. «Pater Sancte, serva illos in *Nomine tuo*, quos dedisti Mi«hi, ut sint unum, sicut nos,» Joh: XVII: 11. 12. «Notum «feci illis *Nomen tuum*, et notum faciam, ut amor, quo ama«sti Me, in illis sit, et Ego in illis,» Joh: XVII: 26. «Ut «credatis, quod Jesus sit Christus Filius Dei, et ut credentes «vitam habeatis in *Nomine Ipsius*,» Joh: XX: 31: praeter in permultis locis in Veteri Testamento, in quibus per Nomen Jehovae et Dei, non intelligitur Nomen, sed omne amoris et fidei, ex quo cultus. Qui autem solum Nomen colunt, absque amore et fide, de illis ita apud Matthaeum, «Multi dicent Mihi in die «isto, Domine, Domine, nonne per *Nomen tuum* prophetavi«mus, et per *Nomen tuum* daemonia ejecimus, et in *Nomine «tuo* multas virtutes fecimus, sed confitebor iis, non novi vos, «discedite a Me operantes iniquitatem,» VII: 22. 23. Cum, ut dictum, homo Ecclesiae ab Interno factus est Externus, et in solo Nomine coepit ponere cultum, tunc non magis unum agnoverunt Deum, sed plures; solenne enim Antiquis fuit ali-

quid adjicere Nomini Jehovae, ac inde recordari alicujus beneficii aut Attributi Ipsius, ut hic, «Invocavit *Nomen Dei aeternitatis:*» in Cap: seq: XXII, «Vocavit Abraham nomen loci «illius, *Jehovah Jirah*, hoc est, videbit,» Vers: 14: «Aedificabat Moses Altare, et vocavit nomen ejus, *Jehovah Nissi*, «hoc est, vexillum meum,» Exod: XVII: 15: «Aedificabat «Guideon Altare Jehovae, et vocavit Jehovae *Schalom*, hoc «est, pacis,» Jud: VI: 24, praeter alia; inde factum, quod, qui in solo Nomine ponerent cultum, tot deos agnoscerent; et quod etiam inde, apud Gentiles, imprimis in Graecia, et Romae, tot dii agniti et culti sint, cum tamen Antiqua Ecclesia, a qua epitheta illa emanaverunt, nusquam nisi quam unum Deum sub tot Nominibus veneratum, coluit, ex causa quia per Nomen intellexit quale.

2725. Vers: 34. *Et peregrinatus est Abraham in terra Philistaeorum diebus multis.* Peregrinatus est Abraham in terra Philistaeorum diebus multis, significat quod Dominus adjunxit Doctrinae fidei ex scientia cognitionum humanarum plurima.

2726. Quod peregrinatus est Abraham in terra Philistaeorum diebus multis, significet quod Dominus adjunxerit Doctrinae fidei ex scientia cognitionum humanarum plurima, constat ex significatione peregrinari, quod sit instruere, de qua n: 1463. 2025; ex repraesentatione Abrahami, quod sit Dominus, de qua n: 1965. 1989. 2011. 2501; ex significatione terrae Philistaeorum seu Philistaeae, quod sit scientia cognitionum, de qua n: 1197. 1198; et a significatione dierum, quod sit status rei, de qua agitur, n: 23. 487. 488. 493. 893, hic quia agitur de cognitionibus ex scientificis et rationalibus, et dicitur dies multi, significat respective plurima. Actum est a Vers: 22, huc usque de rationalibus ex scientificis humanis, adjectis Doctrinae fidei, ut patet ab explicatione, hic est eorum conclusum. Quod ipsam rem attinet, quia in se est profundior, et quia de eadem multis agitur in Cap: seq: XXVI, licet hic explicationem ulteriorem differre.

De Conjugiis, quomodo considerantur in coelis, et de Adulteriis.

2727. *Quid genuinus Amor conjugialis, et unde ejus origo, pauci hodie sciunt, ex causa, quia pauci in illo sunt; credunt paene omnes, quod innatus sit, et sic effluat ex quodam, ut ajunt, naturali instinctu, et eo magis, quia Conjugiale etiam existit penes animalia; cum tamen talis differentia sit inter amorem conjugialem apud homines, et conjugiale apud animalia, qualis inter statum hominis, et statum bruti animalis.*

2728. *Et quia pauci hodie, ut dictum, sciunt, quid genuinus amor conjugialis, ex illis, quae detecta sunt, describetur: Amor Conjugialis originem ducit a Conjugio Divino Boni et Veri, ita ab Ipso Domino: quod inde Amor conjugialis, non apparet ad sensum et captum, sed usque constare potest ex influxu et ex correspondentia, praeter ex Verbo: ab Influxu, coelum ex unione boni et veri, quae influit a Domino, comparatur conjugio, et vocatur Conjugium; ex Correspondentia, cum Bonum unitum Vero defluit in sphaeram inferiorem, sistit illud unionem mentium, cum in adhuc inferiorem, sistit conjugium: quare unio mentium ex bono unito vero a Domino, est ipse Amor conjugialis.*

2729. *Quod inde genuinus amor conjugialis sit, ex eo etiam constare potest, quod nemo possit in illo esse, nisi sit in bono veri et vero boni a Domino: tum ex eo, quod beatitudo et felicitas coelestis sit in illo amore; et qui in illo sunt, omnes in coelum, seu in conjugium coeleste, veniunt: etiam ex eo, cum sermo apud Angelos est de unione boni et veri, tunc in sphaera inferiore apud Spiritus bonos sistitur repraesentativum conjugii; at apud malos sistitur repraesentativum adulterii; inde est, quod in Verbo unio boni et veri dicatur conjugium; at adulteratio boni et falsificatio veri, adulterium et scortatio, videatur n. 2466.*

2730. *Antiquissimae Ecclesiae homines prae omnibus in hac Tellure in genuino amore conjugiali vixerunt, quia fuerunt coelestes, a bono in vero, et in Regno Domini simul cum*

Angelis, et in illo amore fuit illis coelum: at posteri, apud quos descivit Ecclesia, coeperunt amare liberos, non conjuges; amari enim possunt liberi a malis, sed amari conjux non potest quam a bonis.

2731. *Auditum ab Antiquissimis illis est, quod Amor conjugialis sit talis, ut velit prorsus esse alterius, et hoc reciproce, et cum mutuo et vicissim, quod in coelesti felicitate sint; tum quod conjunctio mentium talis sit, ut hoc mutuum et vicissim sit in omnibus et singulis vitae, hoc est, in omnibus et singulis affectionis, et in omnibus et singulis cogitationis: idcirco institutum esse a Domino, quod uxores sint affectiones boni quae voluntatis, et viri sint cogitationes veri quae intellectus, et quod conjugium inde sit, quale est inter voluntatem et intellectum, et inter omnia et singula eorum apud hominem, qui est in bono veri et vero boni.*

2732. *Loquutus sum cum Angelis de hoc mutuo et vicissim, quale sit et dixerunt, quod imago et similitudo unius sit in mente alterius, et quod sic non modo in singulis sed etiam in intimis vitae cohabitent, et quod amor ac misericordia Domini in tale unum possit cum beato et felici influere. Dixerunt etiam, quod qui in vita corporis in tali amore conjugiali vixerunt, una sint et cohabitent in coelo ut angeli, quandoque etiam cum liberis; sed quod paucissimi sint ex Christianismo hodie, verum ex Antiquissima Ecclesia, quae coelestis, omnes, et ex Antiqua Ecclesia, quae spiritualis, multi: qui autem in conjugio vixerunt non conjuncti amore conjugiali, sed amore lascivo, quod separentur in altera vita, quia nihil lasciviae toleratur in coelo; et quod magis adhuc separentur, qui se mutuo aversati sunt; et adhuc magis qui se odio habuerunt; cum primum in alteram vitam ambo veniunt, ut plurimum conveniunt, sed postquam dura passi sunt, separantur.*

2733. *Erant quidam spiritus, qui ex usu in vita corporis, me solertia peculiari infestabant, et hoc per influxum molliusculum quasi undantem, qualis solet esse proborum spirituum, sed perceptum quod in illo essent astutiae et similia, ut captarent et fallerent; tandem loquutus sum cum uno eorum, qui quod fuerit dux exercitus, cum vixit in mundo, mihi*

dictum est; et quia percepi, quod in ideis cogitationis ejus esset lascivum, loquutus cum illo de Conjugio sum, loquela spirituum repraesentativis illustrata, quae plene exprimit sensa, et momento plura; dixit quod adulteria in vita corporis pro nihilo reputaverit; sed ei dicere datum est, quod adulteria sint nefanda, tametsi apparent coram iis, qui tales, ex jucundo quod captarunt, et ex persuasivo inde, quod non talia, imo quod licita; quod etiam scire posset ex eo, quod Conjugia sint seminaria generis humani, et inde etiam seminaria Regni coelestis, et idcirco quod nusquam violanda, sed sancta habenda; tum ex eo, quod scire debet quia in altera vita est, ac in statu perceptionis, quod amor conjugialis a Domino per coelum descendat, et quod ab illo amore, ut a parente, derivetur amor mutuus, qui est firmamentum coeli; et ex eo, quod adulteri, dum modo approximant ad societates coelestes, quod sentiant graveolentiam suam, et se inde praecipitent versus infernum; ad minimum potuisset scire, quod violare conjugia esset contra Leges Divinas, et contra omnium leges civiles, tum contra genuinum lumen rationis, quia contra ordinem et Divinum, et humanum, praeter plura: sed respondebat, quod talia nusquam sciverit in vita corporis, nec quod cogitaverit; voluit ratiocinari num ita esset, sed dictum, quod veritas non admittat ratiocinia in altera vita, patrocinantur enim jucundis, ita malis et falsis, et quod primum cogitare debeat de illis quae dicta sunt, quia vera; aut etiam ex illo principio, quod notissimum in orbe, quod nemo alteri facere debeat quod non velit ut alter faciet sibi, et sic si quis ipsius uxorem, quam amavisset, quod fit in principio omnis conjugii, tali modo decepisset, tunc cum in statu excandescentiae super id esset, si ex illo statu loqueretur, annon quoque ipse adulteria detestaturus fuisset, et tunc, quia ingenio pollet, se confirmavisset plus quam alii contra illa, usque ut damnavisset illa ad infernum; ita quod potuisset se judicare ex semet.

2734. *Qui felicitatem in vita corporis habuerunt in conjugiis ex amore genuino conjugiali, illi quoque felicitatem habent in altera vita, sic ut felicitas unius vitae illis continuetur in alterius, et ibi fit unio mentium, in qua coelum:*

mihi dictum, quod genera felicitatum coelestium et spiritualium inde solum universalissima, sint numero indefinita.

2735. *Genuinus amor conjugialis est imago coeli, et cum repraesentatur in altera vita, fit per pulcherrima, quae usquam oculis videri, et mente capi possunt, repraesentatur per virginem pulchritudinis inexpressibilis cinctam candida nube, sic ut dici queat quod sit ipsa pulchritudo in essentia et forma; dictum, quod ex amore conjugiali sit omnis pulchritudo in altera vita; affectiones et cogitationes ejus repraesentantur per auras adamantinas ex quasi rubinis et pyropis scintillantes, et haec cum delitiis quae afficiunt intima mentium: ut primum autem aliquid lascivi intervenit, disparantur.*

2736. *Instructus sum, quod amor genuinus conjugialis sit ipsa innocentia, quae habitat in sapientia; sunt qui in amore conjugiali vixerunt, in sapientia prae omnibus in coelo,* [21] *et usque conspecti ab aliis apparent sicut infantes in aetate florente et vernali; et quicquid tunc contingit, est illis gaudium et felicitas: sunt illi in intimo coelo, quod vocatur coelum innocentiae; per illud influit Dominus in amorem conjugialem; et ex illo coelo adsunt Angeli hominibus, qui in illo amore vivunt; adsunt etiam infantibus in prima eorum aetate.*

2737. *Apud illos qui in amore conjugiali vivunt, aperta sunt interiora mentis per coelum usque ad Dominum, nam ille amor influit a Domino per intimum hominis, inde habent Regnum Domini in se, et inde habent amorem erga infantes genuinum, propter Regnum Domini; et inde illi sunt prae omnibus receptibiles amorum coelestium, et sunt prae omnibus in amore mutuo, hic enim inde venit ut rivus a suo fonte.*

2738. *Amor mutuus qualis est in coelo, non est sicut amor conjugialis; hic est quod velit esse in alterius vita ut unum, sed ille ut alteri melius velit quam sibi, qualis est parentum erga liberos, et qualis est illorum qui afficiuntur benefaciendo non propter se, sed propter quod hoc illis gaudio; talis amor angelicus derivatur ab amore conjugiali, ac inde nascitur sicut infans a suo parente, quare etiam apud parentes erga liberos ille est; hic amor conservatur a Domino apud parentes, tametsi non in amore conjugiali sunt, ex causa, ne genus humanum pereat.*

2739. *Ex conjugio boni et veri in coelis descendunt omnes amores, qui se habent sicut amor parentum erga liberos, amor fratrum inter se, et amor erga affines, et sic porro secundum gradus in suo ordine: secundum amores illos, qui unice sunt ex bono et vero, hoc est, ex amore et fide in Dominum, formantur omnes societates coelestes, quae a Domino ita conjunctae sunt ut unum hominem referant, quare etiam coelum vocatur maximus homo; sunt varietates ineffabiles, quae omnes originem ducunt et derivantur ab unione boni et veri ex Domino, quae unio est Conjugium coeleste: inde est, quod a conjugiis in terris ducatur origo omnium consanguinitatum et affinitatum, et derivarentur similiter amores secundum gradus mutuo inter se; sed quia non est amor conjugialis hodie, consanguinitates et affinitates quidem inde recensentur; sed non sunt consanguinitates et affinitates amoris: in Antiquissima Ecclesia tales derivationes amoris etiam fuerunt, quare in coelis cohabitant distinctae quasi in gentes, familias, et domos, quae omnes Dominum ut unicum suum Parentem agnoscunt.*

2740. *Genuinus amor conjugialis non dabilis est quam inter binos conjuges, hoc est, in Conjugio unius viri et unius uxoris, nusquam inter plures simul, ex causa quia amor conjugialis est mutuus et reciprocus, ac vita unius in alterius vicissim, sic ut quasi unum sint; talis unio datur inter binos, non autem inter plures, plures amorem illum discindunt. Antiquissimae Ecclesiae homines, qui fuerunt coelestes, ac in perceptione boni et veri, sicut angeli, solum unam uxorem habuerunt; dicebant quod cum una uxore coelestes delitias et felicitates perceperint, et cum modo nominaretur conjugium plurium, quod horruerint: conjugium enim unius mariti et unius uxoris descendit, ut dictum, a conjugio boni et veri, seu a conjugio coelesti, quod est tale, ut manifeste constare potest a Domini verbis apud Matthaeum, „Jesus dixit, annon legistis, quod is qui fecit ab initio masculum et foeminam fecit eos; et dixit, propterea relinquet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carnem unam; quare non amplius sunt duo, sed caro una; quod ergo Deus copulavit, homo ne separet: Moses ob duritiam*

cordis vestri permisit dimittere uxores vestras; ab initio autem non fuit ita: non omnes capiunt verbum hoc, sed ii quibus datum est," XIX: 8 *ad* 12.

2741. *Bonum et verum continue influit a Domino apud omnes, proinde amor genuinus conjugialis, sed diversimode recipitur, et sicut recipitur, talis fit; apud lascivos vertitur in lasciviam, apud adulteros in adulteria, felicitas coelestis in jucundum immundum, ita coelum in infernum; se habet hoc sicut solis lux influens in objecta, quae secundum formam objectorum recipitur, et fit coeruleum, rubicundum, flavum, viride, obscurum, etiam nigrum, secundum receptionem.*

2742. *Datur quoddam instar amoris conjugialis apud quosdam, sed usque non est si non in amore boni et veri sunt, est amor apparens sicut conjugialis, sed est ex causis amoris mundi aut sui, nempe ut serviantur domi, ut in securo sint, ut in otio, ut ministrentur cum non bene valent, et senescunt, ob curam liberorum quos amant; quibusdam est coactum ex timore pro conjuge, pro fama, pro malis; quibusdam est amor lasciviae qui inducit, hic apparet primo tempore sicut conjugialis, tunc enim aliquid innocentiae aemulantur, ludunt sicut infantes, percipiunt gaudium sicut aliquid ex coelesti, at successu temporis non uniuntur, sicut illi qui in amore conjugiali sunt, magis et arctius, sed separantur. Amor conjugialis etiam differt apud conjuges, apud unum potest esse plus aut minus, apud alterum parum vel nihil, et quia differt, uni potest esse coelum, alteri infernum, affectio et receptio determinant haec.*

2743. *Visus mihi magnus Canis instar Cerberi, et quaesivi quid significaret, dictum, quod per talem canem significetur custodia, ne in amore conjugiali transeatur a jucundo coelesti ad jucundum infernale, et vicissim; qui enim in amore genuino conjugiali, in jucundo coelesti sunt, qui autem in adulteriis, etiam in jucundo sunt quod apparet iis ut coeleste, sed est infernale; per canem sic repraesentatur, ne jucunda illa opposita communicent.*

2744. *Ostensum mihi quomodo progrediuntur jucunda ab amore conjugiali, hinc ad coelum, illinc ad infernum; progressio jucundorum versus coelum erat in beatitudines et felicitates continue plures, usque ad innumerabiles et ineffa-*

biles, et quo interius in innumerabiliores et ineffabiliores, usque ad ipsas coelestes coeli intimi seu innocentiae; et hoc per liberrimum, omne enim liberum est ex amore, ita liberrimum ex amore conjugiali qui est ipse coelestis. Ostensum dein quomodo progrediuntur jucunda amoris conjugialis versus infernum, quod se paullatim removeant a coelo, et hoc quoque ex apparente libero, usque dum iis vix aliquid humani remanet, mortiferum et infernale in quod desinunt, quod visum, non describi potest. Quidam spiritus, qui tunc apud me, et illa quoque vidit, festinabat antrorsum ad Sirenes, quae tales, clamans quod ostenderet iis quale eorum jucundum, tenens primum ideam jucundi, sed cum paullatim magis antrorsum venit, continuabatur idea, sicut jucundi progressio, ad infernum, et tandem desiit in talem horrorem: Sirenes sunt, quae in persuasione, quod honestum sit scortari et adulterari, etiam aestimatae ab aliis quod tales, et quod in decoris vitae; earum plurima pars in alteram vitam e Christianismo veniunt, de illis videatur n: 831. 959. 1515. 1983. 2484.

2745. *Sunt quae non amant maritos, sed eos vilipendunt, et tandem pro nihilo aestimant; quales illae sunt, repraesentatum est per gallum, felem sylvestrem, et tigridem obscuri coloris; dictum, quod tales incipiant multum loqui, dein increpare, et tandem tigridis naturam induunt; dicebatur a quibusdam, quod tales usque amant liberos, at responsum, quod amor ille non sit humanus, et quod influat aeque in malos, etiam in animalia quaecunque, usque adeo, ut quoque haec ament prolem prae se; adjiciebatur, quod apud tales nihil amoris conjugialis sit.*

2746. *Erat quidam spiritus in media altitudine supra caput, qui in vita corporis lascive vixerat, delectatus varietate, sic ut nullam constanter amaverit, sed in lupinaribus, et sic scortatus cum multis, et rejecerit singulas postea, inde factum, quod plures defraudaverit, et quod inde exstinxerit desiderium pro conjugio, etiam pro infantum procreatione, et sic naturam innaturalem contraxerit: omnia illa detecta fuerunt, et is misere punitus, et hoc in conspectu angelorum; et dein in infernum conjectus. De infernis adulterorum videatur in Parte Prima n:* 824 *ad* 830.

2747. *Quia adulteria sunt contraria amori conjugiali, adulteri non possunt esse cum angelis in coelo, tum quia in contrariis bono et vero sunt; et sic non in Conjugio coelesti, tum quia de conjugio non nisi quam spurcas ideas habent; cum modo nominatur conjugium, aut ejus idea obvenit, illico in eorum ideis sunt lasciva, obscoena, imo nefanda; similiter cum de bono et vero Angelis est sermo, tunc tales cogitant contra illa; omnes enim affectiones et cogitationes inde, quales fuerunt in mundo, remanent homini post mortem. Adulteri sunt animo destruendi societates, plures eorum sunt crudeles, n: 824, ita corde contra charitatem et misericordiam, ridentes ad aliorum miserias, cuique sua auferre volunt et faciunt quantum audent, oblectamentum iis est destruere amicitias, et struere inimicitias; religiosum eorum est, quod dicant se agnoscere Creatorem universi, et Providentiam sed modo universalem, et ex fide salvationem, ac quod iis non possit pejus fieri quam aliis; sed cum explorantur quales sunt corde, quod fit in altera vita, ne illa quidem credunt, verum pro Creatore universi naturam, pro universali Providentia nullam, de fide nihil cogitant; haec omnia, quia adulteria sunt prorsus contra bonum et verum; inde, quomodo in coelum venire possint, quisque judicare potest.*

2748. *Quidam spiritus, qui adulterii vitam in mundo egerunt, ad me veniebant, mecum loquuti; appercipiebam, quod non diu in altera vita fuerunt, nesciebant enim quod ibi essent, putantes adhuc esse in mundo, reflexio ubinam essent illis adempta fuit; iis dicere datum, quod in altera vita essent, sed mox obliti, quaerebant ubinam essent domus, ubi se insinuare possent, sed dictum, annon respectum haberent spiritualium, nempe amoris conjugialis, qui per similia allectamenta dissociatur, et quod contra ordinem coelestem esset, sed ad haec nihil attendebant, nec illa intelligebant; dixi porro, annon timerent leges, et punitiones secundum leges, sed haec contemnebant; at cum dixi, si forte a domesticis tractarentur male verberibus, haec solum timebant. Dein percipere dabatur eorum cogitationes, nam illae communicantur in altera vita, erant tam spurcae et obscoenae, ut probi non possint non horrescere, quae tamen quoad omnia et singula*

in altera vita propalantur coram spiritibus et angelis: inde etiam constare potest, quod tales non possint esse in coelo.

2749. *Qui per adulteria pro conjugiis fastidium et nauseam ceperunt, dum aliquod jucundum, beatum et felix ex coelo angelorum pervenit, vertitur hoc iis in fastidiosum et nauseabundum, dein in dolorificum, tandem in graveolentum, usque ut inde se praecipitent versus infernum.*

2750. *Instructus sum ab angelis, quod, quando quis adulterium committit in terra, tunc ei illico coelum claudatur, et quod dein solum in mundanis et corporeis vivat; et tunc tametsi audit de illis quae amoris et fidei sunt, usque ea non penetrent ad interiora ejus; et quae ipse loquitur de illis, non ex interioribus ejus veniant, sed solum ex memoria et ore, excitante fastu aut amore lucri; sunt enim interiora clausa, quae non aperiri possunt, quam per seriam poenitentiam.*

2751. *Antrorsum superius ante oculum sinistrum, erant conglobati tales, qui in vita corporis in occulto et callidius aliis insidiati sunt, erant adulteri, et adhuc in mundo spirituum, quia inter recentes; pro more habebant, ex globo suo emittere aliquos huc illuc, qui insidientur non modo contra amorem conjugialem, sed etiam contra bonum et verum, et maxime contra Dominum; qui emittuntur, redeunt ad illos, et narrant, quid audiverunt, et sic consultant: ad me miserunt etiam unum, putantes quod essem spiritus, quia loquutus loquela spirituum; emissarius ille cum loqueretur, scandalosa effutiebat, maxime contra Dominum, sic ut esset ex quasi meris scandalis compositus; sed respondi, ut abstineret a talibus, sciens ex quo globo, et ex qua fece sit; quod Dominum attinet, novi absque omni dubio, quod unus sit cum Patre, quod universum coelum Ipsius sit, quod ab Ipso omnis Innocentia, Pax, Amor, Charitas, Misericordia, etiam omnis Amor conjugialis, et ab Ipso omne Bonum et Verum, quae omnia sunt Divina; et quod de Ipso Moses et Prophetae, hoc est, omnia et singula Verbi in sensu interno, et quod Ipsum omnes ritus Ecclesiae Judaicae repraesentaverint, et quia de illis ita certus sum ut nihil dubii, quid nunc amplius vellet; his auditis cum pudore recessit; dicebantur illa, ut*

narraret adulteris qui constituebant nefandum illum globum, e quo missus.

2752. *Qui adulteriis inescati sunt, prae aliis in altera vita obsidere volunt homines, et sic per eos redire in mundum, sed detinentur a Domino in Inferno, ne veniant inter eos spiritus qui apud homines; plerique tales sunt ex orbe Christiano, raro ex aliis.*

2753. *Sunt quidam in mundo, qui cupiditate feruntur pellicere virgines ad scortationes, ubicunque loci sint, in monasteriis, in familiis, apud parentes, etiam uxores, et se insinuant astutis modis et blanditiis; ii quia talibus assuefacti, et inde naturam imbuerunt, in altera vita retinent quod in societates se insinuare possint per blanda et simulata, sed quia cogitata eorum patent, rejiciuntur; transeunt sic ab una societate ad alteram, sed ubivis rejiciuntur, etiam mulctantur, surripere enim jucunda et beata aliorum student; tandem in nullas societates admittuntur, sed postquam graves poenas sustinuerunt,* [22] *associantur similibus in inferno.*

2754. *Dolosissimi apparent quandoque alte supra caput, sed infernum eorum est profunde sub calcaneo pedis, sunt hodierni antediluviani, per innocentiam insidiantur, per misericordiam, et per varias affectiones bonas cum persuasione; fuerunt, dum vixerunt in mundo, adulteri prae aliis; ubi aliqua uxor pulchra, et juvenis, absque conscientia intrarunt, et per illa commoverunt ad stuprum; sunt invisibiles, nec volunt detegi, quia agunt incognito; sunt quoque crudeles, sibi solis studuerunt, et pro nihilo reputaverunt, si vel universus mundus pro iis periisset: tales hodie sunt magno numero, etiam dictum quod ex Christianismo: infernum eorum est omnium gravissimum.*

2755. *Inferna adulterorum plura sunt, ibi nihil plus amant quam sordes et excrementa, haec iis tunc jucunda; quod etiam constare potest a pluribus istius sortis in vita corporis, quibus delectabile est sordida et cogitare et memorare, sed abstinent modo propter decorum: jucundum adulterii in altera vita vertitur in talia; se habet hoc, sicut dum calor solis, etiam vernalis, influit in excrementum seu in cadaver.*

2756. *Sunt qui pro principio habuerunt communionem*

uxorum, ii in altera vita loquuntur sicut boni, sed sunt maligni et dolosi; poena eorum est horrenda, colligantur quasi in fasciculum, et repraesentative sicut serpens circumextenditur, qui cingit omnes sicut globum confasciculatum, et sic rejiciuntur.

2757. *Cum perducerer per aliquot mansiones, veniebam ad unum, ubi calor occupabat pedes et lumbos, dictum, quod ibi essent, qui voluptatibus indulserunt, sed usque non exstinxerunt desiderium naturale procreandi sobolem.*

2758. *Quod genuinus amor conjugialis sit coelum, repraesentatur in regnis naturae, nam nihil in universa natura datur, quod non aliquo modo repraesentat Regnum Domini in communi, Naturale enim omnem suam originem e Regno spirituali ducit, quod absque origine se priore est, est nihil, non datur aliquod inconnexum a causa, ita a fine, quod inconnexum dilabitur momento, et fit nihil; inde nunc repraesentativa Regni Domini in regnis naturae: amor conjugialis quod coelum, ex transformatione vermiculorum in nymphas seu chrysallides, et sic in volatilia, patet, cum enim tempus eorum nuptiarum venit, quod est cum exuunt formam terrestrem, quae est eorum vermicularis, et insigniuntur alis, ac fiunt volatilia, tunc elevantur in atmosphaeram, suum coelum, ibi inter se ludunt, conjugia agunt, ponunt ova, et succis e floribus nutriuntur, in pulchritudine etiam sua tunc sunt, alas enim habent coloribus aureis, argenteis, aliisque venuste discretis, decoratas: talia producit Conjugiale apud tam vilia animalcula.*

2759. *Ad latus dextrum e terra inferiore exsurgebat quasi volumen, dicebatur quod essent spiritus multi ex plebe indocta, non prava; fuerunt rustici et alii simplices; loquutus cum iis, dicebant, quod sciant Dominum, cujus Nomini se commendant; praeterea parum noverunt de fide et ejus mysteriis; alii postea exsurgebant, qui aliquantisper plus sciebant; quod interiora eorum potuissent aperiri, perceptum est, hoc enim in altera vita manifeste percipi potest; conscientiam habuerunt, quae mecum communicata, ut scirem, et dictum quod in amore conjugiali simpliciter vixerint, dicebant quod conjugem amaverint, et ab adulteriis abstinuerint,*

quod haec ex conscientia, constabat ex eo, quod dicerent, se non aliter potuisse quia contra eorum voluntatem: tales informantur in altera vita, et perficiuntur in bono amoris et vero fidei; et denique recipiuntur inter angelos.

FINIS PARTIS SECUNDAE.

ERRATA,

quorum quae asterisco * notavi post correctionem vitio typothetae irrepserunt.

Pag. 4. l. 6. post aliquod; p. 8. l. 7. post Rationalis; l. 25. post adhuc dele comma; quae Errata ab ipso Autore indicata sunt post 2494. Ibid. pro significant [pag. 4. l. 30.] emendavit significat, sed legit sine dubio significent.

* — 9. l. 12. infr. pro significa- lege significat.
* — — l. 6. infr. pro Intellect lege Intellec-
* — 16. l. 15. infr. pro nisiper l. nisi per,
— 105. l. 15. infr. dele [16],
* — 149. l. 1. pro inte- l. inte.
* — 226. l. 2. post explicatione fige punctum,
* — 423. l. 24. post 31 fige punctum,